Theol. P

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I

EDITA A PROFESSORIBUS

PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT

ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIX / ~~FASC. I~~

~~15 Martii~~ 1950

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1950

37041

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

De sententia fundata in lege iniusta. P. Petrus M. Abellán S. I. 5

De sic dictis obiectoribus conscientiae. P. Michael S. Fábregas S. I. 34

De fundationibus ecclesiasticis in iure germanico. R. D. A. Szentirmai 52

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII.

1. *Allocutio SS.mi Domini Nostri in Sacro Consistorio et deputatio trium Cardinalium a Latere Legatorum* 72

2. *Constitutio Apostolica ad Germaniae Episcopatum data postquam ad beatissimi Bonifatii sepulchrum annuum coetum celebraverit* 75

3. *Allocutio ad Socios Unionis Iurisperitorum catholicorum Italiae* 79

4. *Allocutio ad Praelatos Auditores ceterosque omnes qui apud Tribunal Sacrae Romanae Rotae operam suam navant* 88

S. Congregatio de D. Sacramentorum

5. *Decretum quo facultas datur unam sanctam Missam litandi media nocte quae intercedit inter finem anni* MCMXLIX *et exordium Anni Sacri* MCML 94

6. *Animadversiones quaedam Omnibus Locorum Ordinariis et Iudicibus Tribunalium Matrimonialium relate ad processus matrimoniales* . . 95

S. Congregatio Rituum

7. *Communicatio qua electrophonicorum organorum usus non prohibitus declaratur* 102

S. Congregatio de Sem. et Stud. Universitatibus

8. *Epistula de disciplina Musicae Sacrae in Seminariis* 104

S. S. Congregatio S. Officii

9. *Decretum de validitate Baptismi in quibusdam sectis collati* 106

Annotationes P. Franciscus Hürth S I. . . . 107

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIX / FASC. I
15 Martii 1950

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1950

v. 39
1950

IMPRIMI POTEST

Romae, die 3 apr. 1950

P. PAULUS DEZZA S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 10 apr. 1950

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE SENTENTIA FUNDATA IN LEGE INIUSTA

1. Allocutio Summi Pontificis, habita die 6 Novembris mensis a. 1949, Sociis Unionis Iurisperitorum Catholicorum Italiae, ob nationalem conventum Romae coadunatis [1], eximiam doctrinam de Iure continet, quae tum omnibus legisperitis, tum vel maxime Iudicibus, altas simul et perspicuas normas agendi suppeditare debet. Munus enim catholici viri qui se Iuris cultorem profitetur, et natura ipsius Iurisprudentiae, quae recte ab Ulpiano describitur « divinarum atque humanarum rerum notitia iusti atque iniusti scientia », ita ample evolvuntur ut textus nullam explicationem postulet [2] et locum commentariis vix tribuat.

Est tamen quaestio gravissima in recentiore Theologia Morali agitata, quam Summus Pontifex peculiariter tractare voluit in fine Allocutionis: *De liceitate nempe sententiae iudicialis quae fundatur in lege iniusta.*

Ipsam breviter exponemus, ut momentum pontificiae doctrinae plenius intelligatur, in luce disputationum quae

---

1 AAS. XXXXI, 597-604.

2 Cum tamen quidam nonnullas cavillationes huic doctrinae immerito prorsus opponerent, ipse Summus Pontifex dignatus est eisdem respondere in Allocutione ad Socios III Conventus Internationalis Proeli Catholici. Cfr. AAS. XXXXII, 255-256.

inter Moralistas praecesserunt. Non intendimus quidem earum historiam penitus exponere, nec multo minus omnes Auctores allegare. Talis scientifica inquisitio dignissima est quae peragatur, et magnam lucem toti quaestioni afferet, sed limites huius articuli superat. Voluimus tamen Auctores ex diversis Scholis variisque populis seligere, quo clarius diversi problematis aspectus patefiant.

2. Lex iniusta potest considerari in primis *ratione subiecti* cui imponitur, et quidem dupliciter iuxta distinctionem S. Thomae [3]: « Iniustae autem sunt leges dupliciter. Uno modo per contrarietatem ad bonum humanum », quae « magis sunt violentiae quam leges, quia sicut Augustinus dicit in libro de Lib. Arb. (I, c. 5) *lex esse non videtur quae iusta non fuerit* ... Alio modo per contrarietatem ad bonum divinum ». Priores « non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum scandalum vel turbationem, propter quod etiam homo iuri suo debet cedere ». Posteriores autem « nullo modo licet observare, quia sicut dicitur Act. 5, 29, *obedire oportet Deo magis quam hominibus* ».

Hic respectus ad obligationem subdito impositam nunc a nobis *directe* non attenditur.

Potest etiam considerari *respectu iudicis* qui eam debet per sententiam applicare. Hic etiam fundamentale principium ponitur ab Aquinate [4]: « Lex scripta sicut non dat robur iuri naturali, ita nec potest eius robur minuere vel auferre: quia nec voluntas hominis potest immutare naturam. Et ideo si scriptura legis contineat aliquid contra ius naturale, iniusta est, nec habet vim obligandi: ibi enim ius positivum locum habet ubi quantum ad ius naturale *nihil differt utrum sic vel aliter fiat*, sicut supra (2. 2, q. 57, a. 2 ad 2) habitum est. Et ideo nec tales scripturae leges dicuntur, sed potius legis corrup-

---

[3] S. Th., l. 2, q. 96, a. 4.

[4] S. Th., 2. 2, q. 60, a. 5, ad 1.

tiones, ut supra (1. 2, q. 95, a. 2) dictum est. Et ideo secundum eas non est iudicandum ».

Quos textus si coniungimus, exsurgit distinctio inter actus qui a subdito licite fieri possunt, quia in se nihil mali continent, *iniuste* tamen imponuntur a lege ex defectu v. gr., competentiae in legislatore, ex non observata iustitia distributiva, etc.; et actus qui a lege imponuntur et honeste a subdito poni nequeunt [5].

Iam vero de legibus quae praecipiunt utriusque generis actus valet principium S. Thomae: « Secundum eas non est iudicandum ».

3. Dum leges, spiritu christiano imbutae, ut plurimum iustae fuerunt, applicatio principii nullum speciale problema suscitavit apud cultores Theologiae Moralis. Fuerunt certe apud nonnullos Status leges contra catholicos; sed circumstantiae tales erant ut aperte constaret earum applicationem exigi in odium fidei, et scandalum grave apud fideles producere. Unde numquam catholici iudices in munere permanere potuerunt cum eas applicare debuissent.

Vergente autem saeculo XVIII casus dari coeperunt ubi applicatio principii duplicis effectus videbatur possibilis ad cohonestandam sententiam nixam in iniusta lege; ideoque res denuo examinari debuit, maxime cum Status laici legem de matrimonio civili et de divortio introduxerunt.

Nihil ergo mirum, supposita hac historica occasione, si specialis attentio sententiae divortii a iudice civili pro-

---

[5] Recte explicat Suárez (*De Leg. I, c. 9, n. 2*) « legem debere esse iustam, uno modo respectu ipsius actus exercendi a subdito ex vi talis legis, nimirum quod talis sit ut possit iuste ab eo fieri; alio modo respectu ipsiusmet legis, quod nimirum sine iniuria homini imponatur; potest enim interdum actus esse talis, ut a subdito iuste fieri possit, v. c., ieiunare in pane at aqua, et quod superior iniuriam illi faciat talem actum praecipiendo ».

nuntiandae tribuatur inter scriptores Theologiae Moralis ultimi temporis, et ipse Romanus Pontifex eam in Sua Allocutione expresse consideret. Quapropter etiam nos distincte tractabimus: 1) De liceitate sententiae fundatae in lege iniusta. — 2) De applicatione principiorum ad sententiam divortii.

§ 1. - *De liceitate sententiae fundatae in lege iniusta.*

4. Solutio quaestionis pendet in primis ex recta doctrina circa *naturam sententiae iudicialis.* Ita determinari poterit quas partes habeat iudex in effectibus pravae legis.

Fuerunt quidam scriptores qui totum problema de sententia fundata in lege iniusta solvere voluerunt assignantes iudici merum munus declarandi quid prava lex statuat. Haec autem declaratio nihil in se mali continet. Sed revera sensus sententiae iudicialis prorsus alius est: ipsa enim novam obligationem aut novum ius antea non exsistens in concreto parit, ideoque ab antiquis vocabatur lex particularis[6]. Non est mera declaratio doctrinalis legis iniquae, prout fit v. gr., a viro docto qui exponit historice sensum Edictorum contra christianos in Romano Imperio vel Civilis Constitutionis Cleri in Gallia (quae expositio est actus per se indifferens); sed practica et authentica applicatio legis in casibus particularibus, cum auctoritate partes obligante, prout evidenter apparet in sententia condemnatoria, quae reum certae poenae obnoxium facit, dum lex solummodo statuit ut obnoxius fiat; ideoque habetur cooperatio per modum executionis iniqui mandati. Nihil ergo mirum si lex, latis sententiis, practice confirmatur et moribus recipitur[7].

---

[6] S. Th., 2. 2, q. 67, a. 1.

[7] Vermeersch, *Theologia Moralis* (1933), II, n. 133; Lehmkuhl, *Theologia Moralis* (1914) I, n. 962; Noldin-Schmitt, *Theologia Moralis* (1930) II, 726.

Unde merito asserere possumus: Iudex supposita lege iniusta, quam sua sententia applicat ad casus particulares, nequit omnem a se imputationem amovere, eam totaliter reiciendo in legis auctores. Sunt illi quidem causae principales pravi effectus, qui a lege per sententiam derivantur; sed *iudex est concausa,* ideoque moralitas actus proferendi sententiam tali lege nixam, iuxta normas de cooperatione est aestimanda [8].

5. *Consequenter* iudici numquam fas erit quemquam obligare ad quemlibet actum intrinsece immoralem, idest natura sua contrarium legi divinae vel ecclesiasticae [9].

Duo casus distinguendi sunt. *Primus*: si lex imponat aliquid contrarium legi naturali aut divino-positivae, iudex non potest sententiam ferre qua *praecipiatur* aliquid contra hoc ius [10], v. c., ut catholicus actum cultus idololatrici ponat [11]; sed abstinere debet a re iudicanda, si potest, vel secus officium dimittere [12].

Non solum ultronea cooperatio, quae quasi formalis excusari nequit [13], sed ipsa applicatio legis quae rem in-

---

[8] « Per ogni sentenza vale il principio che il giudice non può puramente e semplicemente respingere da sè la responsabilità della sua decisione, per farla ricadere tutta sulla lege e sui suoi autori. Certamente questi sono i principali responsabili degli effetti della legge medesima. Ma il giudice che con la sua sentenza l'applica al caso particolare, è concausa, e quindi corresponsabile di quegli effetti ». (AAS XXXXI, 602).

[9] « Il giudice non può mai con la sua decisione obbligare alcuno a qualche atto intrinsecamente immorale, vale a dire per sua natura contrario alla legge di Dio o della Chiesa ». (ib.).

[10] S. Th., 2. 2, q. 60, a. 5, ad 1; Prümmer, *Manuale Teologiae Moralis* (1928) II, n. 154; Ferreres, *Compendium Theologiae Moralis* (1940) II, n. 7; Génicot-Salsmans, *Institutiones Theologiae Moralis* (1946) II, n. 4; Bucceroni, *Institutiones Theologiae Moralis* (1914) III, n. 19; Vermeersch, II, 133.

[11] Prümmer II, 154; Ferreres II, 7.

[12] Merkelbach, *Summa Theologiae Moralis* (1935) II, n. 637; Prümmer II, 154; Bucceroni III, 19.

[13] Vermeersch II, 133.

trinsece malam *praecipit*, est etiam intrinsece mala [14], ideoque nullo accedente incommodo excusabitur. Ut enim iniquum est exsequi rem iniquam, ita iniquum est eius exsecutionem mandare [15].

Secundus casus: Si agatur de lege civili contraria legibus ecclesiasticis in quibus Summus Pontifex dispensare potest, debet *per se* iudex opportunam petere facultatem a legitima auctoritate ecclesiastica [16]. Sic enim, cedente Ecclesia iure suo, magistratus civilis non laedit eius competentiam, vitat periculum scandali, suam submissionem Ecclesiae profitetur, ideoque excludit positive quamlibet cooperationem, quae, sive revera sive apparenter tantum, formalis sit, cum auctore pravae legis eiusque intentione in ipsa condenda [17].

Diximus hanc facultatem esse *per se* postulandam. Potest enim fieri ut Ecclesia concesserit iam expresse generalem facultatem, attentis adiunctis, aut saltem exorta sit legitima consuetudo sic agendi, ex tacito consensu ecclesiasticae auctoritatis. Solet enim Ecclesia in his casibus benigne annuere, praesertim ne magistratus catholici loco cedere teneantur, cum graviore damno spirituali christiani populi [18]. Data tamen sunt adiuncta quibus commune bonum Ecclesiae postulabat ut haec facultas ne concederetur, prout videbimus in parte secunda agentes de divortio. Pariter diverso modo procedit Ecclesia cum agitur de causis criminalibus clericorum Episcopis inferiorum, ubi facultas ad procedendum iudici laico facilius tribuitur; atque in iisdem causis Superiorum Praelatorum, circa quas S. Sedes suam exclusivam compententiam

---

[14] Merkelbach II, 637.

[15] S. Th., 2. 2, q. 60, a. 5; Bucceroni III, 19.

[16] Bucceroni III, 19; Vermeersch II, 133; Ferreres II, 7; Merkelbach II, 637; Iorio, *Theologia Moralis* (1946) II, 954.

[17] Bucceroni III, 19; Iorio II, 954, 7°.

[18] Bucceroni III, 19.

fortius tuetur [19]. In hisce similibusque casibus, standum est iudicio Ecclesiae, cum sola ipsa recte iudicare possit quae sibi magis conveniunt ad bonum animarum et Dei honorem [20].

6. Numquam licet iudici *expresse aprobare legem iniustam* [21]. Haec enim approbatio esset iam actus in se malus, et cooperationem formalem importaret. Unde problema extra nostrum statum quaestionis poneretur.

Insuper lex iniusta numquam potest constituere *fundamentum iudicii validi in conscientia* et coram Deo [22]. Quod evidenter patet ex argumentis prius allatis ex S. Thoma circa verum sensum legis.

Hinc etiam nequit iudex sua sententia etiam poenam imponere, quae *approbationem legis iniustae* importet [23].

Non tamen in concreto habetur semper haec approbatio; nam quamvis ille qui decernit *poenam* formaliter et reduplicative, necessario improbat actionem cuius causa poena imponitur (poena enim formaliter talis datur *propter culpam*); accidere potest ut malum poenae imponatur mere materialiter; ita ut neque in intentione iudicis neque in interpretatione hominum cordatorum referatur ad veram *culpam* [24].

---

19 Vermeersch II, 133.

20 Marc-Gestermann, *Institutiones Morales Alphonsianae* (1940) I, n. 2292.

21 Schilling, *Theologia Moralis Specialis* (1940) II , n. 501; cfr. n. 361, 4.

22 « La legge ingiusta del resto non costituirebbe mai il fondamento di un giudizio valido in coscienza e dinanzi a Dio ». AAS. XXXXI, 603. Cfr. AAS. XXXXII, 255-256.

23 « Egli non può in nessun caso espressamente riconoscere e approvare la legge ingiusta ... Perciò egli non può pronunziare una sentenza penale, che equivalga a una simile approvazione. La sua responsabilità sarebbe anche più grave, se la sua sentenza cagionasse scandalo pubblico ». (AAS. XXXXI, 603).

24 « Nota autem improbationis interpretatione communi auferri potest, ita ut mere noscatur esse applicatio litteralis legis

Curare insuper debet iudex ne ex suo procedendi modo, quamvis interna dispositio recta sit, *scandalum* oriatur apud fideles.

Sed hoc scandalum diversimode iudicandum est secundum circumstantias. Quandoque enim lex in se prava leve detrimentum affert, et fideles sufficienter instructi sunt de motivo quo iudex catholicus talem legem per sententiam applicat. Exemplo sit, ait Génicot, iudex qui in Belgio, sine gravi damno proprio abstinere nequit a mulcta imponenda parocho qui benedictionem nuptialem ante civile matrimonium impertiit [25].

Supposito ergo quod non omnis sententia applicans legem iniustam aequivalet approbationi ipsius legis, et adhibita opportuna sollicitudine ad scandalum removendum, iudex potest secundum principium duplicis effectus, imo quandoque debet, permittere ut lex iniusta suos pariat effectus, cum hoc sit unicum medium impediendi maius malum [26].

7. Hos inter effectus praesertim consideratur a Moralistis poena innocenti imposita. Circa quam non omnes Auctores concordabant, prout iam notaverat Vermeersch[27]. Argumenta negantia liceitatem bene proponit Lehmkuhl, dicens [28]: « Leges secundum quas iudici iudicandum est, supponi debent iustae dum eas iniustas esse non constat. Si vero constet, iniquas eas et iniustas esse, ut leges libertatem Ecclesiae violantes, certum est iudicem fe-

---

quae ad maiora mala vitanda toleranda est ». Sic Vermeersch II, 133.

[25] Génicot II, 4; Similiter Bucceroni III, 19.

[26] « Tuttavia non ogni applicazione di una legge ingiusta equivale al suo riconoscimento o alla sua approvazione. In questo caso il giudice può — talvolta forse deve — lasciar fare il suo corso alla legge ingiusta qualora sia il solo mezzo per impedire un male maggiore » (AAS. XXXXI, 603).

[27] Vermeersch II, 133

[28] Lehmkuhl I, 962.

rendi sententiam eas exsequi non posse. Nam notorie innocentem reum declarare et poena afficere per se loquendo, intrinsecus malum est. Neque iuvat dicere aliquando licere innocentem condemnare, aut iudicem ferentem sententiam enuntiare tantum quid leges statuant, neque peccatum esse declarare quid lex iniqua contineat. Nam ad primum responderi debet, licere aliquando innocentem punire, qui secundum leges in se iustas iuridice de crimine convictum sit, non autem eum quem innocentem esse plane pateat, et quem solae leges iniquae reum statuant ». Alii ut Merkelbach [29] rationem addunt, quod sic lex roboretur in praxi.

Ipse tamen Lehmkuhl (l. c.) agnoscit adesse complures Auctores mitius sentientes. Cum autem eos percurrimus statim apparet illos propriam doctrinam ita limitibus circumscribere ut nullus remaneat laxitati locus. Statuunt enim *conditiones*:

A. — *Ex parte culpae iuridicae propter quam poena imponitur*: Ita Bucceroni [30]: « Id tamen videtur etiam limitandum ad casum, in quo non agatur de lege directe contra naturam, quamvis satis dura sit et non satis iusta. Nam cum sententia iudicis non sit declaratio quaelibet sed auctoritativa, auctoritative confirmare legem contra naturam, poenam etiam pecuniariam et levem determinando, contra naturam est. Contra naturam est ad mortem damnare christianum, qui idola renuit adorare; contra naturam est eum ad poenam et mulctam vel quinque tantum libellarum damnare quia coram idolo noluit genuflectere. Certe de tali iudicio dici non potest quod sit *definitio vel determinatio iusti sive iuris*, nec de iudice dici potest quod sit *interpres iustitiae* vel *iustitia animata* (Cfr. S. Th., 2. 2, q. 66, a. 1; a. 5 ad 1; q. 67, a. 3).

---

[29] Merkelbach II, 637.

[30] Bucceroni III, 19.

Similiter Iorio [31]: « Dummodo haec impositio levis poenae non faveat legi latae contra ius naturale vel divinum, v. c., quia aliquis coram idolis renuat genuflectere ».

B. — *Ex parte poenae absolute consideratae.*

Semper excluditur poena gravissima [32] et sine dubio poena mortis: « Nam si agatur de poena mortis, mutilationis, etc., cum neque ipsa persona possit cedere iuri suo, nec societas sua auctoritate sancire possit talem poenam, iniquum prorsus est eam imponere [33].

Exigitur ut poena *non sit gravis* [34] vel positive *vocatur levis* [35], vel supponitur consistere in quadam *mulcta pecuniaria* [36]; qui ultimus casus saepe versatur ante oculos Auctorum, eo quod frequenter parochi matrimonio religioso assistentes, priusquam sollemnitas civilis locum habuerit, ad exiguam poenam pecuniariam condemnantur.

C. — *Ex parte poenae in sua relatione ad malum quod vitari intenditur.*

Principium fundamentale omnem casuisticam transcendens, assignatur a Vermeersch [37]: « Solutio ex consideratione *praevalentis boni publici* repetenda videtur ». Hoc bonum publicum communiter residet in eo quod iudices boni munus suum servare possint [38].

---

31 Iorio II, 954, 7°.

32 *Génicot* II, 4.

33 Bucceroni III, 19.

34 Ubach, *Theologia Moralis* (1935) I, n. 1357; Vermeersch II, 133.

35 Tanquerey, *Synopsis Theologiae Moralis et Pastoralis* III (1929), n. 991 nota; Iorio II, 954, 7°; Merkelbach II, 637; Bucceroni III, 19.

36 Ferreres II, 7; Bucceroni III, 19.

37 Vermeersch II. 133.

38 Ferreres II, 7; Merkelbach II, 637; Tanquerey III, 991; Bucceroni III, 19; Vermeersch II, 133.

Difficilior est quaestio cum agitur *de bono privato iudicis*. Ubach [39] exigit ut poena innocentis sit « notabiliter minor quam malum a iudice subeundum, si munus dimittere deberet. Etiam Génicot : « Imo etiam probabilius non licet ipsi ut damnum grave vitet, damnare innocentem ad poenam non ita gravem » [40]. Noldin autem [41] solutionem eiusdem casus quaerit tantum in consensu innocentis damnificati : « Quare non licet iudici ad proprium grave damnum evitandum, ne leve quidem poenam innocenti imponere nisi ex consensu saltem praesumpto eius qui poenam subire debet. Ex hac ratione licitum dici potest quod iudex qui sine proprio gravi damno a sententia abstinere nequit, mulctam imponat sacerdoti qui ante civile matrimonium nupturientibus assistit in Ecclesia ».

D. — *Ex parte illius qui damnum subit.*

Evidenter cum agatur de bono renuntiabili, ipse potest cedere iure suo. Non autem praesumendus est ita procedere nisi agatur de poena omnino levi [42] aut bonum obtinendum sit publicum et maximi momenti, prout iuxta omnes est quod boni iudices in munere exercendo pergere valeant [43].

Imo, etsi ipse expresse renueret, praevaleret tamen ratio boni communis [44]; et etiam bonum privatum iudicis, si ex non imposita *levi* poena subire deberet amissionem muneris. Qui ultimus casus vix practicus erit, cum *etiam* ibi detur ratio boni communis de facto.

8. Hos diversos aspectus synthetice comprehendens, doctrina Romani Pontificis profunda perspicuitate nobis

---

39 Ubach I, 357 .

40 Bulot, *Compendium Theologiae Moralis* (1908) I, 616; Génicot II, 4; Iorio II, 954.

41 Noldin II, 726.

42 Merkelbach II, 637; Tanquerey II, 991; Vermeersch II, 133.

43 Vermeersch II, 133.

44 Marc-Gestermann I, 2292.

offert id quod indubie et tuto teneri debeat; simulque viam aperit, tum ad ulteriorem evolutionem doctrinae circa puncta nondum elucidata, tum ad varias applicationes practicas, quae in multis nationibus, legibus iniquis oppressis, vere actuales et necessariae sunt. Haec autem doctrina sic proponi potest:

1. Iudex potest licite infligere poenam propter transgressionem legis iniquae, si haec poena talis sit ut qui illam subire debeat, rationabiliter paratus est illam sustinere, ad illud maius malum vitandum aut ad bonum altioris ordinis causandum; atque si iudex scit aut prudenter supponit, talem sanctionem fore a transgressore legis libenter acceptandam.

Sic tempore persecutionum saepe sacerdotes et laici permiserunt sine oppositione se condemnari, etiam a magistratibus catholicis ad mulctas pecuniarias vel ad privationem libertatis personalis, propter violationem legum iniquarum, cum ita possibile erat servare in populo bonos magistratus, et avertere ab Ecclesia et a fidelibus calamitates magis formidandas [45].

2. Sed ut patet, quo graviora sunt damna inflicta innocenti ex iudiciali sententia, tanto maius et universalius esse debet bonum obtinendum, aut malum per ipsam vitandum [46].

---

[45] Egli può infliggere una pena per la transgressione di una legge iniqua, se essa è di tal sorta che colui, il quale ne è colpito, è ragionevolmente disposto a subirla per evitare quel danno o per assicurare un bene di assai più alta importanza, e se il giudice sa o può prudentemente supporre che tale sanzione sarà dal trasgressore, per motivi superiori, volentieri accettata. Nei tempi di persecuzione, spesso sacerdoti e laici si sono lasciati condannare, senza opporre resistenza, anche da magistrati cattolici, a multe o a privazioni della libertà personale per infrazione di leggi ingiuste, quando in tal guisa era possibile di conservare al popolo una magistratura onesta e di stornare dalla Chiesa e dai fedeli ben più temibili calamità » (AAS. XXXXI, 603).

[46] « Naturalmente, quanto più grave di conseguenze è la sen-

3. Imo habentur casus in quibus nullum bonum compensare potest malum innocenti irrogatum. Cuius principii applicatio immediata [47] est absoluta illiceitas sententiae damnantis ad mortem propter transgressionem legis iniustae [48].

§ 2. - *De applicatione principiorum ad sententiam divortii.*

9. Problema de liceitate sententiae divortii civilis a magistratu catholico pronuntiata, quae apud antiquos Auctores vix considerabatur, iam saeculo XIX propter leges civiles divortium statuentes, locum dedit disputationibus inter Moralistas circa quaestionem magis generalem, supra a nobis tractatam, de sententia applicante legem iniustam. Sed insuper propter specialem naturam matrimonii, seorsim et in individuo exposita est.

Plurimae fuerant quaestiones circa ipsam ab Auctoribus propositae, quarum obscurior hic tangitur; nam hac soluta, caeterae facilius solventur.

Ut autem quaestionem circumscribamus rectis limitibus, notare oportet:

1. Etiam supposita usurpatione competentiae Ecclesiae circa causas matrimoniales baptizatorum, quae saepe habentur in Codicibus civilibus Statuum, Ecclesia ipsa, ut iam notaverat Wernz [49], *tolerat* [50] sive expresse sive

---

tenza giudiziaria, tanto più importante e generale deve essere il bene da tutelarsi o il danno da evitarsi » (ib).

47 Sed non exclusiva.

48 « Vi sono però casi in cui l'idea del compenso mediante il conseguimento di beni superiori o l'allontanamento di mali maggiori non può avere applicazione come nella condanna a morte » (ib.).

49 Wernz-Vidal, *De Matrimonio* n. 712; Cfr. Wernz, *Ius Decretalium* IV, pars 1, n. 752.

50 *Tolerat* inquam; nam si unus saltem coniugum est baptizatus, iudex laicus est omnino incompetens circa quamcumque cau-

tacite, ut iudices saeculares catholici, in foro civili causas matrimoniales etiam baptizatorum iudicandas suscipiant, si:

a) rectam doctrinam de competentia exclusiva Ecclesiae profiteantur; et

b) nullam ferant sententiam iuri divino aut ecclesiastico repugnantem.

2. Hinc practice nulla difficultas aderit:

a) in decernenda separatione a thoro et cohabitatione, si, iudicio Episcopi, constat de legitimis causis.

b) in pronuntianda sententia declarante nullitatem matrimonii, quod, iudicio Ecclesiae, nullum est. Tunc enim divortium tribuit in foro civili libertatem partibus quae revera liberae sunt. Ideo eius effectus tantum est naturale ius civiliter agnoscere.

c) In sancienda civiliter dissolutione vinculi matrimonialis, quod legitime solutum est etiam in foro ecclesiastico; sive per privilegium Paulinum (aut aliter ex potestate Pontificis in favorem fidei); sive per professionem sollemnem aut dispensationem Romani Pontificis, cum agitur de matrimonio rato et non consummato.

d) In deneganda separatione a thoro et cohabitatione, cum legitimae causae non habentur.

e) In denegando divortio civili, cum vinculum matrimonii obiective adest.

3. Totum ergo problema, idque gravissimum, proponitur relate ad casum quo:

a) Iuxta ius divinum et canonicum, permanet vinculum veri matrimonii, sive rati, sive mere legitimi.

b) Iudex tamen catholicus secundum leges civiles pronuntiare debet sententiam divortii [51].

---

sam matrimonialem eius. Sed Ecclesia, quamvis non tribuat iudici laico suam iurisdictionem, eatenus cedit iure suo quatenus ille iniuste non agat. Cfr. Gasparri, *De matrimonio* (1932) n. 1237.

[51] *Debet*, inquam, nam etiam sententia benigna, postea exponenda permittens certis in casibus ut iudices et syndici catholici

Plurimi Moralistae sustinuerunt talem sententiam non esse actum intrinsece malum, ideoque cooperationem quam secum fert licitam esse propter motiva proportionate gravia [52]; dum alii contrarias partes acriter defendentes, absolutam illiceitatem pronuntiabant [53].

10. Non defuerunt consultationes Sanctae Sedi propositae circa casus particulares, quarum magis notae legi possunt apud Gasparri (De Matrimonio, nn. 1312-1323) aliosque auctores. Sed si haec responsa accurate legimus, patebit S. Sedem nullum decretum generale edidisse, quod quaestionem hanc dirimat, imo et ab ea theoretice dirimenda abstinuisse [54].

Recte tamen notatur apud Marc-Gestermann [55]: ex aliquibus, responsis etiam particularibus « recto tramite concludere possumus sententiam divortii non esse quid intrinsece malum; ad excludendam enim intrinsecam malitiam satis est ut vel in uno casu liceitas admittatur ».

---

divortium pronuntient, restringitur ad casum quo ab exercendo actu officio suo sese subducere nequeunt, et stricta lege ad sententiam divortii pronuntiandam coguntur. Imo etiam tunc, ut recte notat De Smet (*De Sponsalibus et Matrimonio*, 1927) n. 397, tenetur iudex in quantum potest legem stricte interpretari, et tunc tantum pronuntiare locum esse divortio, quando vi evidentis tenoris legis aliter facere nequit; non potest proinde causas divortii a lege admissas, larga interpretatione ultra strictum legis intentum et tenorem extendere.

52 Series Auctorum in utramque partem contendentium, videri potest apud De Smet, n. 399. Sunt etiam qui ancipites manet ut Chelodi, *Ius Matrimoniale* (1921) n. 152.

53 Sententiae severioris exemplum sint verba Bucceroni, III, 19, qui eam, more suo, sine ambagibus proponit: « Sic etiam proferre non licet sententiam divortii secundum legem nempe qua coniugii vinculum solvitur, facta potestate coniugibus novas ineundi nuptias. Id enim aperte contra ius naturale, divinum et ecclesiasticum est. Ut enim iniquum est exsequi rem iniquam, ita iniquum eius exsecutionem mandare ».

54 Cappello, *De Matrimonio* (1947) n. 837, 1; Prümmer III, 893; Vermeersch II, 133.

55 Marc-Gestermann II, 2126.

Simile argumentum adhibent Iorio [56] et Tanquerey [57]. Iuxta Cappello [58] quaestio numquam solvitur, ne in casu particulari quidem; nam licet oratores quaerant *an liceat, an fieri possit,* responsum utitur formulis magis temperatis: *posse posse tolerari.* Animadvertit tamen P. Palmieri [59] nec immerito sane, fideles decisionem postulasse ut suae conscientiae coram Deo consulerent. His consulere intendebat S. Paenitentiaria. Unde tolerantia quam S. Tribunal in nonnullis casibus commendat Episcopis, talis naturae esse debet, ut malitiam actus excludat [60]. Non enim agitur de mera dissimulatione in foro externo, nec de relinquendis oratoribus in bona fide, si ipsi quaestionem proposuerant.

Recte videntur exponere Noldin [61] et Cappello [62] rationem propter quam S. Sedes cooperationem iudicis ad divortium civile in aliis locis (v. c. in Belgio) toleravit, in aliis ut olim in Gallia, interdixerit. Agebatur enim de cooperatione in exsequendis legibus quae adversantur iuribus et legibus Ecclesiae. Talis autem cooperatio illicita est, non solum quando obiectum immediatum actus est intrinsece malum, sed etiam quando cedit in commune damnum Ecclesiae. Iudicium vero num leges civiles in commune Ecclesiae damnum cedant, ad ipsam Ecclesiam pertinet; quae diversimode iuxta varia locorum et temporum adiuncta casus solvit.

Quaedam insuper responsa particularia data sunt talibus in adiunctis, ut sententiae benigniori favere videantur. Nihil ergo mirum si Emmus Card. Gasparri, qui in priore editione sui operis « De Matrimonio » liceita-

---

[56] Iorio III, 998-1000.
[57] Tanquerey, I, 779.
[58] Cappello 837, 1
[59] Ballerini-Palmieri, *Opus Morale,* (1900) VI, n. 531.
[60] Similiter Tanquerey I, 779.
[61] Noldin III, 670.
[62] Cappello 837, 2.

tem talis sententiae divortii absolute negaverat, dein mitius protulerit iudicium [63].

Nunc autem Summus Pontifex, sûo modo loquendi *supponere videtur* licitum esse pronuntiare sententiam divortii in certis adiunctis, simulque admonet *motiva esse debere màgni momenti* [64] .Nam haec sententia practice non tangit tantum effectus civiles sed alia prava consectaria ordinis moralis secum fert; quae inter explicite commemorat errorem considerandi vinculum praecedens ut solutum, novum autem (si aliud matrimonium civile ineatur, prout frequenter fit) tamquam validum et obligans [65].

---

[63] « At, quidquid sit de anteactis temporibus, quando nos ipsi in rigidam opinionem inclinabamur, cui S. C. S. Officii, quae in his quaestionibus suprema est, favere videbatur, hodie S. Officium mitiorem sententiam sequi videtur. Proposito enim dubio in casu particulari: *Num permitti possit ut mulier ob gravissimas causas petat divortium a tribunali civili,* eadem S. Congregatio die 6 aug. 1906 respondendum censuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, permitti posse, dummodo mulier oratrix coram Ordinario vel eius delegato et duobus testibus etiam iureiurando declaret se matrimoniale vinculum nullatenus abrumpere, sed tantummodo a civilis ritus oneribus exsolvi velle; remoto scandalo quo meliori modo iudicio Episcopi fieri poterit.* Quam norma S. Paenitentiaria in sua posteriore praxi recepit » (Gasparri II, 1324).

Unde logice sequitur: « quoties licite huiusmodi divortium peti potest, toties licitum esse et iudici ferre sententiam et procuratori et advocato divortii causam sustinere etiam voluntarie et ob lucrum » (ib. 1325).

[64] « In particolare il giudice cattolico non potrà pronunziare, se non per motivi di grande momento, una sentenza de divorzio civile (ov'esso vige) per un matrimonio valido dinanzi a Dio ed alla Chiesa » (AAS. XXXXI, 603).

[65] « Egli non deve dimenticare che tale sentenza praticamente non viene a toccare soltanto gli effetti civili, ma in realtà conduce piuttosto a far considerare erroneamente il vincolo attuale come rotto e il nuovo come valido e obbligante » (ib.).

11. His ergo suppositis, tria ostendere conabimur:

1. Pronuntiatio divortii civilis, etiam supposito matrimonio valido, non est *per se* actio intrinsece mala.

2. Est tamen *cooperatio,* licet materialis, indirecta et mediata, ad actionem producentem effectus pravos, et quidem per se graves.

3. Unde licita non erit nisi *gravi de causa.*

Argumenta ad demonstrandum ipsam sententiam civilis divortii non esse in se intrinsece malam, diversimode ab Auctoribus proponuntur[66]. Ex quibus *varia elementa* synthetice colligimus:

1. Pronuntiatio divortii a magistratu civili facta, secum fert destructionem vinculi quod per matrimonium civile fuerat causatum[67].

2. Hoc autem « vinculum » quod sic dictum « matrimonium civile » producit, non est obiective verum vinculum matrimoniale (saltem cum agitur de iis qui ad formam ecclesiasticam tenentur quamvis id saepe legislator intendat); sed est merum vinculum legale coram societate civili, causans aliquos civiles effectus[68].

3. Unde sententia pronuntians divortium civile nequit dici intrinsece mala quatenus tangit illud vinculum civile. Nam: quemadmodum actus matrimonii civilis non

---

[66] Praescindimus quidem ab illis qui nituntur in sensu mere declarativo sententiae iudicialis. Cfr. Davis, *Moral and Pastoral Theology* (1938) IV, pag. 238.

[67] Ballerini-Palmieri VI, 820; De Becker (*De Matrimonio,* 1931) n. 237; Gasparri II, 1311; Prümmer, III, 893, ait: « Nihil aliud est nisi destructio matrimonii civilis ». — Huc videntur referenda verba P. Cappello, n. 837; « Pronuntiatio divortii in se considerata, importat dumtaxat dissolutionem *formalitatum civilium* ». — Pariter de Smet, n. 394: « Proprium obiectum actionis manet dissolutio *formalitatum civilium* ». — Matharan, *Casus de Matrimonio* (1896) n. 125, totam argumentationem optime quidem proponit, sed per modum difficultatis, eamque reicit.

[68] Ballerini-Palmieri VI, 820; Matharan n. 125; Tanquerey I, 779.

est res intrinsece mala, quatenus ordinem dicit ad effectus civiles producendos, ideoque mere ab extra accedit ad verum et sacramentale vinculum, sed illud non afficit [69], ita, respectu eiusdem, non est intrinsece mala annullatio illius actus eiusque valoris, quae annullatio fit cum facultas divortii pronuntiatur. Nihil proinde hoc pacto agitur contra ius divinum matrimonii [70]; nam verum vinculum matrimonii intactum manet [71].

Sicut verba quibus coniuges consensum matrimonialem coram civili magistratum exprimunt, possunt nihilominus ab ipsis proferri in sensu peragendi caeremoniam mere civilem, et de facto sic procedunt nupturientes catholici, ita sententia qua iudex divortium causat, potest ab ipso pronuntiari in sensu illo, ex se indifferenti, destruendi effectus caeremoniae civilis, pridem a coniugibus peractae [72].

Hoc potest etiam intelligi de ipsa lege, et ita nonnulli conantur explicare benignius responsum S. Sedis relate ad legem Belgii; quae, iuxta ipsos, primitus solutionem vinculi intendebat; postea autem sensum diversum per usum acquisivit, ita ut « lex potius permittat agere ac si vinculum solutum esset, quam ipsa vinculum solvere intendat » [73].

Sed eadem conclusio admitti potest, etsi legislator et coniuges qui divortium petunt, ipsam vinculi matrimonialis solutionem intendant [74]. Nam etiam in hac hypothesi, ob absolutam auctoritatis civilis hac in re incom-

---

69 Cfr. Noldin III, 669.

70 Ballerini-Palmieri VI, 820 quem adducit et approbat De Becker, 237.

71 Cappello, 837.

72 Ubach II, 2830.

73 Wouters, *Manuale Theologiae Moralis* (1933) II, n. 844. — Quis autem fuerit sensus legis in BGB germanico vide apud Göpfert-Staab, *Moraltheologie* (1924) III, n. 297.

74 Noldin III, 669.

petentiam, nullum est vinculum vere matrimoniale quod per sententiam divortii reapse afficiatur [75], ideoque malitia, si adsit, proveniet ex mala intentione iudicis attentantis effectum sibi impervium, aut ex aliis circumstantiis extrinsecis ipsi sententiae obiective consideratae.

Illa autem prava intentio omnino exsulare potest, tum a mente iudicis tum ab eius manifestatione. « Si enim ita pronuntiare potest et pronuntiat ut clare pateat idque litigantibus innotescat, se nullatenus tangere neque tangere velle ipsum vinculum seu contractum, sed solum civilium iurium protectionem vel cessationem, secundum leges quoad reliqua non iniquas, se determinare, non negaverim, id ex adeo gravi causa iudici licere » [76].

12. Argumentum fundamentale opinionis negantis malitiam intrinsecam talis sententiae, sic proponitur a Gasparri: « Divortium civile est solutio unius vinculi civilis, a religioso prorsus distincti et separati, seu est solutio *vinculi reipsa non exsistentis*: atque solutio vinculi reipsa non exsistentis est per se moraliter indifferens » [77].

Ne tamen oriatur aequivocatio et sit lis de verbo, cum illud « vinculum » diversimode accipi possit, et revera *aliquid* sit, quatenus causat quosdam effectus civiles a matrimonio per se separabiles, magis placet forma quam Iorio praebet huic argumento: « Etenim in se spectata talis sententia, plenum divortium decernens, nihil aliud importat quam destructionem effectuum civilium, quos matrimonium civile induxit. Et re vera sententia iudicis in casu, tantum *de iure* potest quantum ipsa lex civilis. Lex autem civilis in matrimonio saltem christianorum, de iure circumscribitur et limitatur ad effectus civiles tan-

---

[75] Th. M. Vlaming, *Praelectiones Iuris Matrimonii* (1919) II, n. 697.

[76] Lehmkuhl II, 921 nota.

[77] Gasparri II, 1311.

tum, et nullo pacto attingere valet ipsum vinculum. Idipsum ergo et nihil aliud iudici laico concessum est » [78].

Huic considerationi attentus, recte scribit Merkelbach [79]: « Dissolvit *valide* contractum mere civilem, ita ut matrimonium iam non donetur affectibus *mere* civilibus qui *unice* a lege civili pendent ».

In casu autem de divortio pleno inter infideles maior est difficultas, nam tunc saepe per caeremoniam civilem fit verum matrimonium, « attamen non videtur sufficiens adesse fundamentum ut sententia divortii putetur diversam induere significationem in uno casu quam in alio; si in primo significabat meram effectuum civilium suppressionem, hanc significare debet in hoc altero casu; nulla enim sive ex parte legis sive ex parte iudicis fit distinctio » [80].

Omissio autem iuridicae tuitionis relate ad effectus etiam inseparabiles vinculi matrimonialis adhuc exsistentis, quae iuxta praedicta constituit de facto effectum immediatum sententiae divortii civilis, probari nequit esse intrinsece mala; ideoque ex proportionata causa licita erit. Quid vero tenendum sit de dicta « facultate » contrahendi novas nuptias, videbimus postea.

13. Ad haec argumenta respondent, nec semper immerito, defensores sententiae severioris, quorum animadversiones optime complectitur Gasparri:

« Divortium civile inducit civilem libertatem inter partes, idest importat partes deinceps coram lege civili nullum ius ac officium matrimoniale habere ad invicem, hinc relationes inter ipsas esse illegitimas, filios post divortium habitos esse illegitimos, matrimonium ab ipsis cum tertia persona initum esse validum licitumque, relationes legitimas, filios legitimos, etc. Atqui haec omnia

---

78 Iorio III, 996. — Cfr. Tanquerey I, 779.

79 Merkelbach III, 977.

80 Ubach II, 2832.

si matrimonium religiosum exsistit inter partes, ita mala sunt ut numquam pronuntiari a iudice, peti a parte, defendi a procuratore et advocato valeant. Ergo.

Neque dicas iudicem, partem, advocatum, praescindere, sicut civilem legislatorem a vinculo religioso, quod subest, et unice spectare vinculum civile, quod reipsa nihil est. Nam haec verissima erunt; sed, non obstante hac abstractione, vinculum religiosum exsistit; et vinculum religiosum exsistens, reddit intrinsece malam civilem partium libertatem » [81].

14. Ut haec difficultas vim praecedentium argumentorum non elidat, distinguendum est inter *obiectum proprium atque essentiale* sententiae divortii, et *effectus* cum illo obiecto non essentialiter sed *separabiliter coniunctos.* Si malitia afficit solummodo hos effectus, non autem obiectum primarium, dicenda est non essentialis et per se, ideoque non intrinseca. Iam vero *terminus primarius sententiae divortii est dissolutio vinculi civilis* quae semper et necessario habetur, et de ipsa valent argumenta proposita.

Certe ex hoc divortio *sequitur* effectus contrarius iuri divino, nempe quod matrimonium religiosum privetur suis connaturalibus sequelis in ordine civili. Sed hic effectus sequitur *mediate et indirecte, etsi necessario.* Iam vero iuxta principium duplicis effectus, licitus est actus *per se indifferens,* ex quo certe *sed indirecte tantum,* sequitur effectus contrarius iuri etiam divino [82].

Nec obici potest sententiam divortii *aeque primario* concedere coniugibus facultatem ineundi novum matrimonium [83], quod intrinsece malum esset. Nam in primis

---

[81] Gasparri II, 1309.

[82] Cfr. Gasparri II, 1310.

[83] Ipse Vermeersch (II, 133) primo aspectu videtur hunc effectum tamquam aeque primarium assignare cum scribit: « Nec

facultas, cuius sensum statim determinabimus, *per se* non immediate conceditur per sententiam iudicis, cuius primarium obiectum est solutio civilis vinculi praecedentis. Iudex autem sententiam pronuntians, potest praescindere ab intentione legislatoris et eorum qui divortium petunt.

15. Sunt certe auctores, ut Noldin [84] qui multum insistunt in eo quod *iuxta sensum legis,* per sententiam divortii, novo matrimonio civili quod forte coniuges contrahere possunt, mera impunitas conceditur.

Similiter Lehmkuhl [85] iuxta quem iudex « tunc pronuntiat in hisce circumstantiis hoc et illud matrimonium a civili auctoritate tamquam non exsistens considerari, et legalem *impunitatem* adulterandi, *non licentiam* pronuntiat atque contribuit. Quod a legibus statui iniquum quidem est et malorum gravium causa; quae tamen, cum impediri a iudice nequeant, permitti ab eo posse dixerim ».

Pariter Tanquerey [86]: « Nam quando iudex pronuntiat divortium civile, non declarat *licere* coniugibus *inire* novas nuptias, sed solum eas a lege civili *non puniri* ut adulterinas ».

Sed quidquid sit de legibus particularibus ad quas ii Auctores sese referunt, idem dici potest quamvis lex civilis, intendat non meram tolerantiam secundi matrimonii, ita ut poenas tantum bigamiae effugiat, sed positivam legalem permissionem contrahendi illud.

Nam supponamus formulam legalem sententiae di-

---

applicando legem divortii iudex praecipit aliquid inhonestum, sed civilem protectionem a matrimonio tollit, et partibus facultatem concedit novi matrimonii civilis ». Sed recte explicari potest quatenus effectus enumerat non tamen eos in eadem linea collocat.

84 Noldin III, 669.

85 Lehmkuhl II, 921.

86 Tanquerey I, 778.

vortii civilis, quam iudex mutare nequit, continere clausulam, vi cuius tribuitur coniugibus qui divortium obtinuerunt, *facultas* ineundi novas nuptias civiles. Quis erit sensus talis « facultatis »? Praescindimus nunc ab intentione legislatoris, sive mere subiectiva, sive etiam aliquo modo in textu legali manifestata. Nam quamvis *voluerit* concedere facultatem ineundi novum matrimonium obiective validum, et hanc voluntatem expresserit, cum hoc non pendeat a tali voluntate, et agatur de re impossibili, valor legis erit *tantum* obiective tribuere protectionem iuris relate ad novum vinculum civile si forte ineatur. Haec autem protectio, ex una parte reddit non punibilem secundam hanc unionem, et ex alia ipsi concedit eosdem effectus iuridicos (quoad filiorum legitimitatem, quoad communionem bonorum, etc.) qui subsequuntur quodlibet vinculum coniugale coram lege civili validum. Iam vero concessio impunitatis potest licite dari a legislatore secundum generalem doctrinam de lege permittente, propter rationem proportionatam. Illi autem effectus civiles *in se* nihil continent quod intrinsece malum sit. Erunt fortasse occasio scandali, iuxta posterius dicenda, sed hoc permitti potest ex causa proportionata. Unde si lex ipsa, recte intellecta, intrinsece mala non est, idem dicendum erit, sub hoc respectu de sententia iudicis qui illam applicat.

16. Potest tamen accidere ut aliqua actio, in se non intrinsece mala, vetetur semper, saltem de facto, propter pravas sequelas quas inducit. Eritne necesse ita de sententia divortii iudicare?

Fateri oportet *plura et gravissima mala* ex tali sententia communiter subsequi. Nam inter alia:

a) Stabiliuntur aut confirmantur apud populum falsae notiones circa competentiam iudicis civilis in causis matrimonialibus, et circa indissolubilitatem matrimonialis vinculi;

b) Denegantur in foro civili matrimonio, quod etiam post sententiam divortii permanet in se validum, effectus, quorum nonnulli non profluunt ex mera lege civili, sed ex iure naturali et divino, ut legitimitas filiorum, si forte ab iisdem coniugibus postea inter se procreentur;

c) Subsequi potest de facto novum matrimonium civile, quod re vera erit permanens unio adulterina, a lege civiliter protecta.

Tales autem effectus subsequi non possent, nisi sententia divortii praecessisset. Unde ponitur quaestio de cooperatione iudicis ad haec prava consectaria, quae cum sententia ab ipso prolata coniunguntur. In qua re graves Auctores haec tenent:

A) *Relate ad malos effectus ipsius divortii* cooperatio iudicis catholici erit materialis, quamvis proxima, et insuper non necessaria.

Materialis: nam iudex illos effectus nullo modo intendit, sed permittit, paratus eos impedire quantum in se est. Quidquid fuerit de intentione legislatoris statuendo legem divortii contra indissolubilitatem matrimonii et exclusivam competentiam iurisdictionis Ecclesiae relate ad causas matrimoniales baptizatorum, iudex sententiam pronuntians potest ab hoc fine praescindere et rectum scopum intendere [87].

Nec opponi potest, ut recte notat De Smet [88] « pravam intentionem implicite et exercite contineri in ipsa divortii pronuntiatione, quatenus illud pronuntiantes, legem iniquam applicando, censentur suam intentionem conformare praeposterae intentioni legislatoris; hoc enim

---

87 « Ad intentionem pravam legislatoris quod attinet, talis intentio non cadit sub lege, nec efficit ut subditi non possint exsecutioni eius cooperari; alias enim neque iungi possent matrimonio civili fideles qui optime norunt pessimam legislatoris intentionem in hac lege condenda ». De Becker, 237.

88 De Smet, 394.

tunc tantum obtineret, si lex esset efficax ac, ad mentem legislatoris, ipsum vinculum reipsa dissolveret, vel si, lex esset in odium religionis applicanda ».

Proxima: nam revera sententia iudicis causat immediate illos effectus; non tamen ut causa principalis, quae est prava lex, sed ut concausa subordinata per applicationem legis.

Non necessaria, vel iuxta modum loquendi aliorum, *non insupplebilis,* quia si iudex illam sententiam non pronuntiat, alius iudex aut Superius Tribunal id concedent quod ipse negavit.

B). *Relate autem ab subsequentia peccata coniugum* [89] qui novum matrimonium attentant, et sic in concubinatu vivunt, cooperatio est pariter materialis et magis remota [90]. Haec enim peccata pendent immediate non ab ipsa sententia divortium pronuntiante, sed a mala voluntate subsequente et exclusiva coniugum separatorum [91]. Relate autem ad hanc pravam voluntatem, sententia divortii est *occasio, non causa.*

17. Adduci etiam solet ad probandam illiceitatem sententiae divortii *scandalum* quod quod ex ipsa connaturaliter subsequitur. Certe:

a) *Potest* exsurgere scandalum indirectum apud infirmiores spiritus.

b) Hoc tamen scandalum *praeveniri aut removeri potest,* sive explicita declaratione iudicis, cum ex adiunctis haec sit medium necessarium ad scandalum evitandum

---

[89] Haec distinctio inter cooperationem ad malos effectus divortii et cooperationem ad malas actiones coniugum, optime assignatur a De Smet, 396. Primi autem oriuntur ex ipsa sententia; posteriores exigunt aliam actionem ipsorum coniugum.

[90] Cappello, 837.

[91] De Smet, 395; Tanquerey, I, 778; Conte a Coronata, *De Sacramentis* (1945) III, n. 716 nota.

vel removendum; aut alio opportuno modo, ex quo appareat vinculum coniugale per sententiam non attingi.

Hoc autem in Nationibus ubi huiusmodi casus a longo tempore occurrunt, haberi potest ex mero facto quod iudex sit catholicus. Etenim cum iudex *potest* abstrahere ab intentione legislatoris, utpote catholicus (nam de eo quaestio ponitur) *censeri debet* ab ea abstrahere [92].

Ideo distinguendum est inter scandalum quod habetur in natione ubi haec lex est recenter inducta, et alia ubi iam catholici sufficienter instructi sunt. Insuper hoc non tangit intrinsecam naturam actus, et ab Ecclesia potest diversimode solvi secundum diversa adiuncta [93].

c) Denique licet quandoque hoc scandalum pusillorum maneat, *permitti poterit*, iuxta generales normas, propter rationem proportionate gravem.

18. Attamen iuxta principia generalia de cooperatione, etiam materiali et remota, haec licita non erit nisi detur causa proportionate gravis, idest nisi haec actio cooperativa *aeque immediate* producat bonum quod aequale sit aut maius quam malus effectus ipsius actionis.

Auctores in concrete determinanda tali causa re coincidunt, quamvis diversum modum loquendi adhibeant. Sic e. gr., iuxta Prümmer [94], Cappello et Conte a Coronata [95] requiritur causa *gravissima*. Secundum Merkelbach [96] exigitur *gravis et proportionata*. Gasparri [97] ait: « Porro haec causa, ut iusta sit, debet esse *aliquo modo proportionata* malo quod sententia producit ». Vlaming [98] autem: « Ad divortii sententiam pronuntiandam an et quatenus

---

92 Wouters II, 844.
93 Prümmer III, 893.
94 Prümmer III, 893.
95 Cappello 837; Conte a Coronata III, 715.
96 Merkelbach III. 977.
97 Gasparri II, 1311.
98 Vlaming II, 697.

catholico iudici ex mente S. Sedis *causa sufficiens* exsistere possit, id *non omnino liquet* ».

De facto *duplex causa* proportionata considerari potest: bonum publicum, et bonum privatum coniugis innocentis aut filiorum. *Praescindimus* a consideratione boni privati iudicis; nam practice damnum quod ipsi obvenire potest ex non pronuntiata iuxta leges sententia divortii, coincidit cum privatione officii aut remotione a loco: quae iam consideratur sub alio respectu, scil. boni publici.

a) *Bonum publicum* de quo loquitur Summus Pontifex, prout supra vidimus, iam a Moralistis considerabatur. Nam maxime interest Ecclesiae et reipublicae ut viri in his muneribus constituti sint vere et perfecte catholici [99]. Si autem « omnes iudices timoratae conscientiae officio cederent, id in grave societatis damnum vergeret » [100]

Quae ratio, ut secundum principium duplicis effectus valida sit, notari debet illud bonum maximi momenti quod est rectum iudicem in exercitio sui muneris permanere, obtineri *non mediante effectu malo* divortii, sed ex ipso facto proferendi sententiam secundum leges, quaecumque illae sint.

b) *Bonum privatum* coniugis innocentis aut filiorum, *potest* etiam in nonnullis adiunctis causa esse. Generalibus verbis illud agnoscit Merkelbach [101], causas adducens, quae exclusivae non videntur: « Gravis et proportionata causa... interdum adesse potest, tum pro ipsis coniugibus, tum etiam pro iudicibus ». Sic. v. c. cum agitur de vitando in coniuge innocente aut in filiis periculo perversionis; nam hoc bonum licet privatum, est ordinis supernaturalis.

Cardinalis Gasparri [102] ait etiam nonnullos patronos rigidioris sententiae hanc causam admittere, etiam relate

---

[99] Merkelbach III, 977.

[100] Gasparri II, 1311.

[101] Merkelbach III, 977; Conte a Coronata III, 713.

[102] Gasparri II, 1311.

ad advocatum et procuratorem, qui talem causam voluntarie patrocinandam suscipiant.

19. Tria denique relate ad practicam applicationem praecedentis doctrinae notanda sunt:

1. Cum pronuntiatio divortii civilis quatenus ordinem dicit ad effectus civiles non sit intrinsece mala, licita esse potest, non solum in casu quo licita sit eius petitio ex parte coniugum, sed etiam si sit illicita: dum cooperatio sit mediata, adsit causa proportionate gravis et non sit maius malum vel scandalum vitandum.

2. Haec omnia intelligenda sunt, seclusis specialibus adiunctis et positiva Ecclesiae prohibitione; nam fieri potest ut speciales contingant circumstantiae v. c. quod lex sit lata in odium religionis, licet eius applicatio non exigatur in religionis contemptum; vel quod recenter sit inducta ita ut fortis resistentia abrogationem legis efficaciter possit provocare. Tunc enim alicubi multo aegrius legitima erit legis applicatio per sententiam iudicis, et facilius etiam positiva Ecclesiae prohibitione, cuius supremum est iudicium, reprobabitur [103]. Hoc ultimum saepe accidit in Nationibus catholicis, in quibus Ecclesia fortius se opponit tam civili caeremoniae matrimonii, quam sententiae civilis divortii. Quod iure meritoque fit nam ibi fere semper rationes sufficientes ad excusandam cooperationem desunt, et mala quae subsequuntur ex praepostera applicatione sententiae benignae, multo maiora sunt.

3. Remanere tamen adhuc possunt casus ita difficiles ut non solvantur hisce principiis generalioribus. Tunc consulere oportet S. Officium aut S. Paenitentiariam iuxta respectivam competentiam.

Petrus M. Abellán, S. I.

---

[103] De Smet, 397; Prümmer III, 893.

DE SIC DICTIS OBIECTORIBUS CONSCIENTIAE

Non semel recens evenit, ut qui Patriae legibus, sub eius signis, militare adstringebantur, conscientiam allegantes in stipendiorum numerum venire recusarunt.

Si est iis credendum, intimus animi sensus moralisque persuasio eos prohibet quominus rei militari operam dare possint. Nec inauditum est inveniri, quos omni fluctuatione liberatos putares, qui tamen, temporum opinionumque levitate moti, dubitant utrum eorum opinioni cedendum sit an obstare necessarium.

Quid ergo? Ad militiam legitime vocato qui non timore, non ignavia, non ulla castrorum probabili erumna perterritus ei obiicit quia eam inhonestam credit, licetne militare servitium capere, debetne Status, vel publica Potestas, eiusmodi conscientiae obsequi?

Ad has quaestiones in universum solvendas, praesumpta existentia ordinis moralis obiectivi, considerare necesse erit, quid liceat conscientiae quae in certo falsoque iudicio, quae in opinione, quae in dubio de bonitate speculativa seu universali actionis hic et nunc ponendae aut vincibiliter aut invincibiliter versetur.

Occasionem tradendae doctrinae arripio ut magni Gabrielis Vazquez Bellomontani perspicuam, sat propriam, aliquandoque subtilem, de his, tractationem in medio proferam.

I

Praemittenda

1. Validissimis omissis argumentis quibus probatur existencia *obiectivae normae moralitatis* a nostra volunta-

te prorsus independentis, cuis si humani actus conveniant boni sunt a qua si discrepent mali efficiuntur, eam esse *rationalem naturam* qua talem cum Vazquez assumam [1].

Animadvertenda: Natura rationalis qua rationalis primam regulam constituit quam sequi debet humana actio ut bona sit. Sed quia voluntas nostra quod ei consentaneum est prosequi nequit nisi quatenus per intellectum tale proponitur ideo ratio nostra iure dicenda est proxima actionum humanarum regula. Ea, quae rationali naturae deceant vel secus iudicamus. Sed cum humana diligentia non omnia quidem sine errore assequitur et aliquando sine culpa quod re malum est uti bonum apprehendit, id revera naturae humanae conveniens aut repugnans censetur quod ut tale probabili et diligenti nostrae cogitationi occurrit.

Eadem est causa cur recta, practica ratio existimari debet, quae proponit quod naturae rationali conveniens est; aut satius, quae diligenter ostendit quod sibi videtur naturae rationali consentaneum [2].

2. Cum Vazquez audis dicentem actionis bonitatem ab obiecto non praecise ut in se est sed ut a ratione propositum dependere, seu ut S. Thomam interpretans ait; « bonitatem actionis sicut pendet ab obiecto ita e ratione pendet » [3], eius verba in malam partem accipere noli. Ne fingas eum subiectivae conscientiae praeeminentiam quomodocumque admittere quae autonomiam conscientiae ab obiectiva moralitatis norma, vel subiectivae conscientiae super obiectivam, praevalentiam significet.

Vazquez reiceret ut omnino falsum et damnaret ut

---

1 G. Vazquez. Commentariorum ac Disputationum in Primam Secundae S. Thomae, Tomus I. Disp. LIIX. C. II n. 9 et passim in

2 V. Op. T. Disp. et C. citatis n. 10.

3 V. Op. T. Disp. LVII C, III n. 13 ubi addit « quasi dicat (S. Thomas) bonitas non pendet ab obiecto prout in re est sed prout per rationem proponitur et iudicatur ».

haereticum subiectivam conscientiam ab obiectiva non essentialiter dependere.

Clarissime tenet proximam moralitatis normam esse utique conscientiam sed subiectivam, sed ut mensuratam et mensurandam ab obiectivis recti ordinis normis [4].

Ad mentem P. Vazquez, quae una est vera et catholica, conscientiae subiectivae — iudicio ultimo-practico de bonitate vel malitia alicuius actionis — in tantum praeeminentia tribui potest in quantum nobis facultas est et officium secundum eam etsi forse invincibiliter erronea sit, agendi.

Ipse infitias prorsus iret suprematiam subiectivae conscientiae qua huic cum obiectiva collatae aequalis vel maior excellentia adnectentur, et rationis obligatio in normam obiectivam inquirendi eique iudicium practicum aptandi sperneretur.

Brevi: Vazquez non concederet nos recte agere « propria lumina vel luces nostras sequentes » ut protestantes volunt nisi postquam quantum fieri potest ad aptandum conscientiam ad veras naturae rationalis exigentias fecimus, prouti ea dictaverit egerimus.

3. Tunc pro certo affirmare licet nos recte operari non formaliter solum sed etiam *obiective* quatenus quod natura rationalis exigit — conscientiam subiectivam inculpabiliter certam sequi — implevimus.

Vir in silvis educatus qui filum electricam vim trahens manu tangeret abs dubio occideretur, neque tamen

---

[4] Evidenter Vazquez distinguit inter conscientiam rectam et veram illamque dicit ad hanc conformari debere ut patet ex his: « Recta ratio practica illa tebet iudicari quae diligenter proponit id quod videtur conveniens naturae rationali, ut rationalis est, non quod conformis sit rei quam enuntiat sed quia *diligenter et prudenter* id quod rectum et consentaneum naturae rationali videtur ». Op et T. citatis Disp. XIIX C. II n. 10 Dubium de existentia, necessitate et suprematia normae obiectivae moraliter ne in mentem quidem ei venerat.

aliquis mortem ei vitio verteret. Quae bona honestaque fide aguntur in culpam imputari nequeunt immo, ut rite seu bene facta ab omnibus habentur in quantum voluntas a qua procedunt *modo agendi* moraliter bona reputatur.

Tamen eadem etiam *obiective* mala dicuntur in quantum *id quod factum* est rationali naturae seu normae obiectivae moralitatis adversum fuerit. Barbarus ille e numero viventium inculpabiliter actione alioqui moraliter bona exivit, nihilominus vere mortuus est quia ut vitam incolumem servaret filum numquam contingere debuisset [5].

Principia

Novimus semper esse illicitum operari contra conscientiam: iudicium nempe quo aliquid prohibitum vel praeceptum, bonum vel malum putamus. Qui contra conscientiae dictamen agit, facit quod scit legi divinae vel humanae adversari. Etiamsi de ipsa legis existentia vel de eius natura erraverit cum agere contra eam existimat, conscius est malum esse: a) actioni consentire quae uti mala — ratione voliti — apprehenditur: b) legi humanae vel divinae, etiam in existimatione existenti, opponi velle; c) rationali naturae qua rationali — quae voluntarias actiones ad conscientiam dirigi exigit et huius exigentiae impatientes exprobat — reluctari [6].

---

[5] « Non potest dici opus aliquod malum moraliter nisi imputetur ad culpam; nam quoties ob aliquam causam non imputetur culpae opus, quod alias esset malum efficitur non malum et aliquando redditur bonum: V. O. et T. citatis Disp. LIIX. C. I. n. 7.

Cf. Hurth-Abellán. De Principiis et Virtutibus et Praeceptis Pars I. Tit. II. C. I. in quo optima hac de re inveniuntur quaeque eorum venia in articulo inserui.

[6] V. Op. et T. citatis Disp. LIIX. CII. n. 10 et Disp. LIX. C. II. n. 9.

2. Delinquit igitur quisquis adversus conscientiam certam sive veram, sive invincibiliter aut vincibiliter erroneam, operatur et quidem leviter, si lex contra quam, re vel opinione novit se agere, leviter obligaverit, graviter si lex a se apprehensa sub gravi vel in confuso, ut aiunt, actum quem vult omittere praecipit, vel quem ponere vult prohibet.

Cum vero conscientia, sive vera sive falsa sit, nullam aliam obligationem secum afferat praeter eam quae legis vel virtutis propositae est vel esset propria, contra eam agens unam tantum malitiam specificam contrahet [7].

3. Accedit quod qui invincibili ignorantia laborat non solum contra conscientiam agere nequit sed et secundum eam operari debet.

Ratio in eo est, quod nullum excogitari medium potest inter actionem quae contra eam fiat et actionem quae secundum eam ponatur. Qui errore vel ignorantia invincibili putat se mentiri debere ad propriam vitam sartam tectamque servandam et a mendacio abstineret, idem esset ac si contra conscientiam ageret proindeque peccaret. Nam si quod medium esset inter, non non mentiri, et mentiri, inveniretur profecto in obligatione ignorantiam seu errorem depellendi. Atqui haec obligatio non adest cum quaestio fit de ignorantia invincibili quae praecise est invincibilis quia deponi aut nequit aut non debetur [8].

4. Neque exinde inferas eum ad peccandum cogi. Mentiri in se peccatum est; sed qui invincibili ignorantia ductus mentitur quia mendacii malitiam ignorat non delinquit; immo honeste agit cum eius voluntas in id quod bonum existimat feratur. Conscientia invincibiliter erronea se habet ut legislatoris minister qui sine culpa legem aliter quam lata fuit promulgat cui parere debemus non

---

[7] V. Op. et T. citatis Disp. LIX. C. III. n. 11.

[8] V. Op. et T. citatis Disp. LX. C. II. nn. 4-6.

quod ea, re vera, sed existimatione in medio est, sicut ab eo promulgata [9].

5. Verum tamen vero id non implicat alios erroneae conscentiae morem gerere teneri.

Ut optime ait P. Hürt; a) qui ita — « invincibiliter » — errat, ipse sine culpa suam conscientiam sequitur; neque alii hanc obedientiam propriae conscientiae praestitam in culpam personalem imputare possunt erranti b) Qui ita errat, relate ad alios non potest idem sibi vindicare quod competit conscientiae rectae *et verae*. Absurdum est enim errori idem ius esse atque veritati. c) Aliis ob eam *solam* rationem, quod alius dictamina erronea suae conscientiae pro veris et rectis habet, licitum non est erranti *cooperari* in exsecutione conscientiae erroneae « v. g. furti quod licere putetur » neque ob eam rationem tenentur, ut erranti omnia suppeditent quibus indiget ad dictam exsecutionem. Sed propter alias rationes « v. g. ad detrimendum vitandum » licitum esse potest omnia illa « v. g. scalam » ei dare, non quidem ea intentione, ut media et bona data ad errorem « furtum » exsequendum adhibeat, sed propter alias illas rationes; etsi cum certa praevisione media concessa adhibitum iri de facto ad dictum finem. d) Si quis errat ex sua conscientia erronea, aliorum iura, bona fide, invadit aut bono communi nocumentum infert, ab aliis positive impediri potest ne ita agat. e) Velle et instare ut alius formaliter contra suam conscientiam invincibiliter erroneam agat, licitum non est; idem esset atque velle alterius formale peccatum. At velle et cogere, ut alter materialiter passive sustineat, quod est contra eius conscientiam et quod esset formale peccatum si alter ipse hoc libere faceret, ob causas proporcionate graves licitum esse potest e. g. vi medicamentum aut nutrimentum necessarium minorenni ingerere

---

9 V. Op. et T. citatis Disp. LX. C. I. n. 2.

qui ex conscientia invincibiliter erronea fame mortem sibi inferre vellet [10].

6. Nunc quaedam de conscientia vincibiliter erronea certa. Eiusmodi conscientia onerato nec contra eam. agere neque eam sequi licet. Non contra eam: Actio quae fertur in id quod cognoscitur esse malum quacumque ratione tale cognoscatur et existimetur est mala. Sed hoc satis superque persecuti sumus.

Rursus: qui contra conscientiam vincibiliter erroneam operatur tantum unum peccatum committit non duo scilicet aliud quia contra conscientiam agit et aliud ratione culpabilis ignorantiae. « Ignorantia rerum agendarum seu ignorantia practica, ait Vazquez [11], non est speciale peccatum etiamsi quis ex negligentia et desidia ut fugiat laborem in ignorantiam incidat; alioquin sequeretur multo gravius peccare eum qui ex ignorantia delinqueret quam qui scienter, hic enim unico tantum simplici peccato peccaret verbi gratia in materia homicidii, si non occideret ex odio; ille autem praeter homicidium committeret aliud peccatum ignorantiae contra aliam virtutem, scilicet contra studiositatem..., recte dixit S. Thomas quaestione 75 a. I ad 3. 1ae-2ae, privationem regulae rationis secundum se non esse peccatum nec malum culpae antequam applicetur ad actum; quasi dicat peccatum non consistere in privatione regulae », sc. ignorantia vincibili, « sed in operatione, praecedente tali privatione ».

7. Non secundum eam: Ostenditur ratione quam Divus Thomas a. 6 ad 1 eiusdem quaestionis tradit; bonum

---

[10] Hürt-Abellan. Op. Tit. et cap. citatis n. 322. Quae hic a P. Hürth stabiliuntur facile constabunt consideranti alios eadem saltem iura habere, ius nempe et officium propriam conscientiam sequendi, quae invincibiliter errans vel ignorans habet. Si quis vellet de iurium collisione loqui, *ex bono et aequo* error debet cedere veritate, id quod minus est ei quod pluris, unitas vel individua, maioritati.

[11] V. Op. et T. cit. Disp. CXIX. C. II.

ex integra causa consurgit, malum autem ex singulari defectu. Quam ita enucleat Vazquez « ut actio sit bona necesse est ferri in bonum quod in existimatione omnino iudicatur bonum. Cum igitur ille qui sequitur conscientiam erroneam vincibilem qua iudicatur aliquid esse bonum non feratur in bonum quod in existimatione est omnino bonum eius actio bona esse non potest ». In existimatione non est omnino bonum eo quod qui secundum conscientiam vincibiliter erroneam agit id vult inque id fertur de quo actu, vel scit vel scire debet, se ignorare-ignorantia quam de cetero excutere posset - utrum quod bonum putat re ipsa sit bonum [12].

8. Pugnantia non dicimus asserentes agentem secundum conscientiam invincibiliter erroneam, honeste agere cum facit quod bonum existimat, et re malum est; agentem vero secundum conscientiam vincibiliter erroneam cum id agit peccare? Pro alio, ut recte immo bonum operetur sufficit in bonum existimatum tendere; cur igitur id et pro altero non sufficiet?

Rationem exhibet Vazquez in bona voce Cordubae; ut actio sit bona integra requiritur causa: integra autem causa exigit ut in intellectu sit integra ratio apprehensionis boni; id est, ut intellectu omnia in quibus est moraliter actus iudicentur bona et nullo modo iudicentur nec debeant iudicari mala.

Conscientiam vincibiliter erroneam sequens: a) Si facit bonum quod malum putat, actionem ponit ortam a voluntate cum cognitione *ipsius malitiae* malitiae inquam quae necesse est reperiri in velle malum sive reale sive existimatum; b) Si malum facit quod credit bonum, eius voluntas ita in bonum fertur ut etiam malum quod fit quamdam rationem voluntarii propter ignorantiae voluntarietatem habeat. Hoc enim tantum errore vel igno-

---

12 V. Op. et T. cit. Disp. LX. C. III nn. 9. 10.

13 V. Op. et T. cit. Disp. LX. C. III nn. 9. 10.

rantia *invincibili* — qua vero nota vincibilis erronea conscientia caret — submovetur. Cum ergo malum quod re factum est sit aliquo modo voluntarium et imputabile, efficitur ut voluntas conscientiam erroneam sequens semper sit mala.

Addit et aliud argumentum: Ut ignorantia qua proponitur ut bonum quod malum est, quod in conscientia vincibiliter erronea aliquando continget, sit culpabilis opus est aliquod dubium vel aliquam cogitationem de malitia actionis persentiri, secus voluntas malum intenderet insciens, seu quid id adverteret, quod invincibili ignorantia aequiparatur. Quare positive sequens vincibiliter erroneam conscientiam cum aliquam actus malitiam cognoscat numquam integram habet causam [14].

Ad haec obiiciet aliquis: Qui fierit potest ut conscientiam vincibiliter erroneam sequi non liceat cum contra eam agere par esse cum secundum eam operari videatur nisi sic agentem in casu perplexo implicare velimus?

Sed in vicino solutio reperitur. Removeatur vincibilis conscientiae error. Cum eiusmodi conscientia datur v. c. quis putat se mentiri debere ad vitam amici servandam, necessitas non vitandi mendacium minime *ab-*

---

[14] Cum Vazquez hoc in loco ait « ut ignorantia sit culpabilis qua proponitur ut bonum quod malum est, debet subire et pulsare animum nostrum aliqua cogitatio aut dubitatio de malitia illius » licet intelligas eum significare « tunc esse ignorantiam vel inconsiderantiam invincibilelem quando *nulla subit cogitatio aut ratio dubitandi* » ut ait in disp. 123 cap. 2 n. 6 quae ratio dubitandi et actualem dubii pulsationem et quod culpabiliter eam sive proxime sive remote non impedivit, includere dicerem: neque enim, aliter, mirum esset quod ait « id primum docuimus in nostro Collegio Complutensi anno Domini 1581 quod quamvis aliquibus viris doctis, paulo post, primo adspectu visum fuerit difficile, tandem re bene perspecta et rationibus expensis non solum probarunt sed etiam scripto docuerunt et tamquam propriam doctrinam tradiderunt; ut vel inde discant non nisi maturo iudicio aliorum opiniones notare ». Hos inter numerandus estne Suarez?

solute includit mentiendi necessitatem; nam si verum est stante tali conscientia ne alioqui contra eam agat illicitum esse *non velle mentiri,* tamen cum errorem depellere possit et teneatur, nequaquam debet mendacium velle.

Itaque nec is in casu perplexo versatur nisi *conditionate,* permanente scilicet illa conscientia cum certo offenderet tam si contra quam si secundum eam ageret, sed *non absolute* quia ante omnem obligationem ei sive repugnandi sive obsequendi scire tenebatur, mentiri semper iniquum. [15].

Hic quaestio haberi potest de necessitate quam Vazquez contra « Nonnullos Thomistas » asserit actualis iudicii in conscientia contra quod agens faciat ut et erronea conscientia agi dici possit et actio imputari liceat.

Ne in definitionibus, quid sit actu, quid habitu, quid virtute manere immoremur — tam Vazquez quam multi sui temporis Doctores de iis non omnino accurate loquuntur — notare sufficiat in de quo agimus theologus noster: « dicitur actu permanere conscientiae iudicium ita ut agere contra illud sit peccatum quando id aliquo modo reclamat vel per plenum iudicium vel per aliquam dubitationem ». Illi « Nonnulli Thomistae » eo referente, sufficere arbitrabantur iudicium illud, antea-non tamen multo tempore — in conscientia praecessisse et non revocatum per contrarium iudicium esse. Ita si quis ante feriam quintam maioris haebdomadae iudicasset sibi non licere tali die carnibus vesci et postea quum dies advenit, nec eo iudicio actu manente, nec revocato, tamen carnes comedit non minus secundum eos peccaret quam si actu animo adverteret se contra illud falsum iudicium carnes manducare. Vazquez opinionem suam ostendere conatur, Thomistas exemplis oppugnando. Quidquid sit de his, mihi magis probatur quae est eius opinio. Ponamus Titium errore culpabili iudicasse ut dicebamus se proximo

---

15 Vazquez. Op. et T. citatis Disp. LX. C. II. n. 6.

die iovis sancti non licite posse carnibus vesci. Post hoc dictamen, vel sibi proposuit, illo non obstante, carnes illo die sumere, vel ab omni proposito abstinuit. Si postremum accidit et illo die, erroris sui prorsus immemor, carnes edit, comestio involuntaria est respectu conscientiae erroneae utpote quod ab ea nequaquam ut a sua causa orta est.

Si primum, et aliquot diebus elapsis, feria quinta carnes manducat quin errorem et propositum habitum meminerit — utique eum peccasse concedo cum propositum illud contra conscientiam admisit — quo pacto nunc peccet, vel quo modo actio comedendi nunc carnes a voluntate procedat cognoscente ea in quibus est moraliter, constituta actio certo non video. Dicent fortasse, sufficere illum carnibus vesci quas manducaret etiamsi errore culpabili vetitas crederet?

Mihi videtur ei qui actu conscius non est se contra conscientiam agere non posse imputari actus nisi saltem intentione contra eam postea agendi, media adhibuit quae eum duxerunt ad actionem quae conscientiae adversabatur in qua iudicium illud actu vel virtute manere dicerem [16].

Sequitur pars de qua religiosi libenter disceptabant: comparatio, ut Vazquez ait, conscientiae erroneae cum praecepto superioris [17]. Aliqui — saeculi XVI — recentiores opinabantur erroneam subditi conscientiam maiori vi obligare quam Praepositi — aut Principis — mandatum quia, ut tenebant, ea tamquam Dei mandatum quo maius dari nequit obligat.

Alii antiquiores — afferuntur Alexander, Antonius, Gerson et Sylvester — censebant Superioris praeceptum magis quam conscientia obligare, cum, quae in se indifferentia sunt, iubentur.

---

[16] Vazquez. Op. et T. citatis Disp. IX. C. III. n. 13.

[17] Vazquez. Op. et T. citatis Disp. LXI C. I. n. 5.

Quidquid fuerit de istis opinionibus et de fidelitate qua a Vazquez adducuntur, imprimis recordemur conscientiae erroneae vim talem esse ut neque Deus dispensare possit ab obligatione non agendi contra eam. Permanente iudicio dictante aliquid illicitum esse, fieri non potest ut Deus id facere permittat. Conscientia est proxima agendi norma ut voluntati applicans praeceptum per eius notitiam. In hoc sensu cum aliquid agendum vel vitandum proponit dici posset eam non esse diversam regulam ab ipso praecepto quod proponit; tamdiu enim dicitur operanti manere praeceptum ita ut ei imputetur quidquid contra illud egerit quamdiu in eius conscientia manet. Quare operari contra conscientiam non est operari contra aliud praeceptum quam contra illud ab ea propositum: idem est permanere conscientiam praecepti ac praeceptum ipsum. Atqui contradictorium est actu teneri aliquid facere vel vitare et simul non teneri.

Deinde, accidere potest ut subditus etiam post intimationem a superiore datam invincibili errore certo credat superioris praeceptum malum esse, quod legi naturali vel divinae vel superiori a praeposito lata adversari immotus putat.

Ex dictis apparet tunc maiori vi constare erronea subditi conscientia quam superioris mandatum.

Si autem subditus invincibili errore putaret se praecepto superioris parens contra legem agere a qua superior iubens dispensare potest, tunc certo maiorem vim, dicendum est, legem superioris quam subditi conscientiam habere.

In priori casu conscientia legem urget quam superior tollere nequit ideoque « subditus debet sequi suam conscientiam erroneam contempto superioris praecepto ».

In altero casu comparatio fit inter fictum praeceptum a quo errans scit superiorem posse dispensare et superioris mandatum. Tunc nisi subditus tam durae cervicis sit ut ne hoc quidem possit intelligere superioris iussa perficere velle debet.

12. Quae dicta sunt de comparatione conscientiae invincibiliter erroneae cum superioris praecepto valent quoque cum conscientia vincibiliter erronea est. At tamen hoc in casu minime oblivioni tradendum agentem nisi eam deponat peccare cum conscientiae erroneae paret et etiam cum mandatum superioris exsequitur.

13. Haec ad novam quaestionem perducunt: utrum gravius sit contra conscientiam vincibiliter erroneam facere — v. c. ad praeceptum superioris quod forse detur implendum — an conscientiam vincibiliter erroneam sequi [18]. Bassolis, inquit Vazquez, docuit magis offendere qui eam sequatur quam qui ei adversetur quia conscientia lex est inferioris hominis nempe operantis dum id cui obstat lex est Principis aut Dei.

At rationem hanc nihil efficere patet ex eo quod conscientia nulla lex est sed mera legis propositio.

Henriquez dixit gravius peccare qui secundum conscientiam erroneam affectatam agat quam qui contra ipsam; at vero si conscientia erronea ex ignorantia simpliciter culpabili ut est ex negligentia inquirendi derivatur tunc, contra, magis delinquere qui operatur contra quam qui iuxta illam.

Sententiam veram tradit Vazquez: « Obligatio conscientiae non est diversa ab obligatione materiae et praecepti quod apprehenditur cumque varia praecepta omnino inaequalia concurrere possint, in eo quod est contra conscientiam agere eamque sequi certa regula dari non potest ». Evenit interdum ut gravius peccatum sit agere secundum erroneam vincibilem quam contra illam; sic v. c. si quis ea conscientia existimaret se debere plures homines occidere ad honorem proprium vindicandum levius peccaret missum faciens honorem quam stragem inferens.

---

[18] Vazquez. Op. et T. citatis Disp. LX. C. III. nn. 12-15.

Sed de conscientia certa invincibiliter aut vincibiliter erronea satis.

14. Feri potest ut conscientiae obiectores a quibus haec disputatio processit vel solum aut opinentur aut dubitent militare illicitum esse.

Iam ut rem expediamus: Certum est eum qui sine conscientia practice certa de honestate actionis hic et nunc ponendae egerit semper peccare. Non tantum illicitum est contra conscientiam operari sed etiam quemlibet actionem ponere quae non procedat hic et nunc de certo et determinato iudicio de certa et determinata conscientia, eam licitam esse.

At quaestio prior est, utrum ille qui speculative seu universali iudicio assentitur cum formidine errandi, opinatur aliquid illicitum, manente tali opinione possit contra eam agere.

Assentiri, nihil aliud est, docet Vazquez, quam cognoscere convenientiam inter se extremorum alicuius propositionis. Cum ita sint, repugnat aliquem posse assensum praebere alicui propositioni v. g. « Militia illicita est » ex principiis intrinsecis et propriis rei et simul e principiis item intrinsecis eius contrariae vel contradictoriae assentiri v. g. militia est licita ».

Qui tamen uni parti contradictionis opinione adhaeret id cum formidine errandi facit; seu reflexo iudicio intelligit rationes sui assensus tam evidentes non esse quae contrariae partis rationes excludant, indeque hanc esse posse veram admittit eo vel magis quo plures vel graviores dari auctores constet qui eam amplectuntur.

Iam, ex quo opinioni, suae, contrariae solidam probabilitatem agnoscit iudicium certo-practicum formare potest, sibi, licere illam actionem ponere quam iudicio speculativo seu universali uti malam seu illicitam apprehendebat.

Ad id securo pede perveniet, vel in universum Probabilismo innitens vel quia iudicat sibi licere quae auc-

toribus qui contrariam sententiam sequuntur. Neque de imprudentia exprobandus; quemadmodum enim imprudentia non est aliorum amplecti consilium cum de non praeceptis agitur ita nec ut imprudens corripiendus qui contra propria opinionem etiam in iussis agat [19].

15. Occurret cuipiam: qui contra hanc propriam speculativam opinionem agat necesse est vel habeat duos de eadem re contrarios assensus, quod absurdum est, vel contra conscientiam operetur quod non licet.

Difficultatem paucis solvemus. Assensus quem trado speculativae propositioni, « e. c. choreae illicitae sunt » ex propriis chorearum sive principiis sive natura deductis, convenientiam praedicati « illicitae » cum subiecto « choreae » talem ostendit, qualis amplectatur seu includat hoc iudicium: « choreas inire illicitum est ». Iudicio vero singulari quod, probabilitate contrariae opinionis excusa, fingo « licitum est mihi saltare » nequamquam ostenditur convenientia praedicati cum subiecto propositionis quae sit illi universali contrariae. Nam singulare hoc iudicium non significat saltare natura sua esse licitum, sed hic et nunc id mihi licere nec culpae mihi imputari, etiamsi in re saltare peccatum esset; non enim omne quod pravum re ipsa est imputatur cuilibet id operanti, ut colligitur ex principio extrinseco: Adeo sequi licet aliorum solide probabilem opinionem ut qui secundum eam agit omni culpa vacat [20].

16. Si licite subditus potest contra propriam opinionem superioris mandata exsequi nemo negabit eum *et debere* ad illius mandatum obtemperare. Cum Superioris iussa possunt licite observari — vi obedientiae vel iustitiae legalis — ea observari opus est.

17. Denique animadvertendum est cum subditus rem speculative per principia eius intrinseca considerans, *du-*

---

19 Vazquez. Op. et T. citatis Disp. LXII. C. CI. per totum.

20 Vazquez. Op. et T. citatis Dispt. LXII. C. IX. n. 45.

bius de eius bonitate haeret, per principia extrinseca potest etiam, ac proinde debet, iudicium singulare ultimo practicum seu conscientiam certam sibi formare qua ad superioris praeceptum se dirigat; si enim id valet in eum qui probabilem assensum habet contra id quod a superiore imperatur a fortiori eum tenebit qui ad nullum assensensum pervenit [21].

Quae ita intelligenda sunt cum subditus sciat ea quae praepositus iubet saltem probabiliter licere. « Porro autem probabilem esse opinionem iuxta quam praepositus praecipit, non debet subditus ex eo iudicare quod ille, superior est et praecipit; neque enim dignitas praepositi praecipientis facit probabilem opinionem eius quod praecipit sed quia aut subditus alias scit illam esse apud Doctores probabilem opinionem; aut quia ipse superior doctus et prudens est ... » [23].

---

21 Vazquez. Op. et T. citatis Dispt. LXII. C. VI. n. 32.

22 Vazquez. Op. et T. citatis Dispt. LXII. C. VI. n. 33.

23 Fama est (quam iusta non est meum investigare) P. Vazquez optimum fuisse religiosum sed tali indole praeditum ut immediatos superiores non magno aestimaret aut parum apud eos gratia polleret. Tamen bene de religiosa obedientia et de religiosis praepositis sentiebat cum in quaest. XIX. art. VI. Disp. LXVI. cap. IX. agens quo pacto inferior se gerere debeat in dubio cum suo superiore haec habet: « ut quaestioni satisfaciam distinguendum esse censeo. Aut enim tale dubium est circa factum, ut cum quis dubitat utrum acciderit an non ex quo sequitur ipsum debere abstinere a celebratione divinorum officiorum, aut dubium est utrum liceat id quod praecipitur an non. Si dubium contingat priori modo inferior non poterit obedire superiori praecipienti ut contra tale dubium operetur si talis est superiora quo tale impedimentum irregularitatis auferre non possit. Ut dicebamus in tale dubio facti debet iure naturali quisque eligere partem tutiorem ... Caeterum cum multum fidendum sit praeposito et prudentiae illius, contingere aliquando facile poterit, ut etiam tale dubium circa factum deponere possit et debeat inferior ex iudicio praepositi ac proinde debeat obedire, deposito tali dubio. Si vero loquamur de dubio posteriori modo dicendum est, permanente tali dubio non posse inferiorem obedire praeposito quia cum tali dubio non potest

III

Casus solutio

Si obiector conscientiae errore invincibili certus est militiam illicitam seu malam esse nullo pacto ei licet sponte in eam ingredi aut ulli propriae activitati in ea consentire. Debet, utcumque tempora permittent, eam fugere.

Si vero errore vel ignorantia vincibilis est peccat tum aquiescens tum reluctans eam amplecti. Depellere debet errorem.

---

habere iudicium conscientiae determinatum quo credat licitum esse id quod praecipitur, sed sed conscientia etiam dubia erit; cum conscientia autem dubia operari non minus malum est quam contra iudicium conscientiae quo creditur aliquid esse peccatum. Caeterum licet aliquis etiam doctus considerans per intrinseca principia id quod praecipitur dubius sit, potest aliquando et debet si potest per extrinseca principia deponere dubium ut ita parere possit et debeat. Extrinseca autem principia sunt auctoritas et doctrina ipsius praepositi, quando scientia, doctrina et prudentia pollet, aut denique aliorum doctorum quorum opinionem ipse sequitur. Haec autem quae dixi verà sunt pro subdito qui doctus est et optime novit de rebus practicis opinari et dubitare utrum aliquid liceat an non, et tunc verum est, debere subditum etiam doctum parere praelato ubi non deprehendit peccatum manifeste.

Rudes autem et ignorantes subditi qui non facile sciunt discernere id quod praecipitur neque circa illud dubitare utrum sit licitum an non, multo magis excusantur si bona fide secuti auctoritatem praepositi ei obediant non discernendo iustitiam eius quod praecipitur, quia ipsi id iudicare non possunt ... Qua ratione ... docent subditos vocatos ad bellum, iussui sui regis debere obedire non examinantes utrum sit causa iusta an non, quia non expedit causas belli omnibus aperire nec id fieri potest. Qua ratione et subditi in religione cum non apparet esse iniustum id quod praecipitur, nec dubium aliquod secundum rationem oritur circa illud, iuxta ea quae hactenus dicta sunt parere debent praeposito, nec id quod ipse praecipit examinare, nec causam illius exposcere et in hoc casu laudatur a Patribus obedientia coeca de qua alibi fusius disputandum.

Si opinetur vel dubitaverit eam probabiliter vel probabilius in se malam esse, potest, et, posita lege, debet, iudicio ultimo practico certo de liceitate ad eam adeundi formato in stipendiorum numerum sponte venire. Publica auctoritas quae militiae legem, iure tulit, potest semper eum cogere immo et publico bono id postulante obligatur eum cogere et ut in militiam ingrediatur eique, ad eius normas, operam navet. Quod si incideret, publicis officialibus numquam licebit eum in errore suo invincibili permanentem, vel quandocumque iudicium singulare certum de militiae liceitate sibi formare nequierit, inducere, ut sponte militari servitio consentiat.

Mihi non ipse proposui quid dicendum de eo qui militiae obiicerit, non conscientiae vel peccati ratione, sed mentis imbecillitate aut falsa naturae legum notione aliisque id genus quae, ita suspicor, frequentius quam rationes boni vel mali moralis, in causa erunt cur conscientiae obiectores militare detrectent.

MICHAEL S. FABREGAS, S. I.

DE FUNDATIONIBUS ECCLESIASTICIS IN IURE GERMANICO

Quamvis in iure Codicis haud multa inveniantur instituta, quae ex iure populorum Germanorum originem duxerint [1], non est tamen parvi pendenda vis, quam leges germanicae sive aetate francorum sive carolingiorum in ius canonicum evolvendum exercuerant. Quod ad fundationes quidem ecclesiasticas attinet, legum germanicarum erat iuris romani praescripta de ipsis conservare et iuri canonico decretalium ea transmittere.

Mos est in historia iuris germanici aevum antiquum et francorum atque carolingicum distinguere [2]. Aevo tamen antiquo fundationes seu pias causas frustra quaereres. Caesaropapismus regum francorum similitudine quadam in materia ecclesiastica cum iure Iustinianeo insignitur, quin tamen propter differentiam indigentiarum evolutione iuris regentium discrepantias ab ipso penitus desint [3]. Aetate demum karolingica ingruente leges in synodis ecclesiasticis latae iam praevaluisse cernuntur, at neque ius profanum a negotiis Ecclesiae definiendis omnino abstinuit.

Quum ad fundationes ipsas investigandas progrederemur, breviter prius considerandum est, quibusnam circumstantiis evolutio ipsarum aevo Francorum promota esset. Dissolutio Imperii — corruente praesertim parte occidentali — haud caruit consequentiis ordinis oeconomici. Iuxta latifundia in dies crevit egestas, quae ad extrema augebatur propter bella temporibus invasionis Ger-

---

[1] Eichmann, Lehrbuch d. Kirchenrechts I, 29.

[2] Schröder, Künssberg, Amira, etc.

[3] Weyl, Das fränkische Staatskirchenrecht (1888), pag. 1.

manorum valde crebra; nil ergo mirum, quod numerus indigentium celeriter supra modus auctus est. In evolvendis fundationibus naturae socialis, quae iam tempore reipublicae romanae, magis autem Imperii apparent — puta largitiones alimentorum caesaerae privataeque[4] — facile animadvertis studium Status et optimatum quorum id maxime intererat, iniustitias sociales mitigandi. Dissoluto autem Imperio cura simul egentium desivit. Constantinus M, tamen mature adhuc indigentiis socialibus providebat ordinationem caritativam bonorum ecclesiasticorum fovendo et privilegiis ipsam muniendo. Invadentibus Germanis Ecclesia permansit, et actus caritatis fraternae exercuit fundationesque caritativas sub imperatoribus creatas in commodum populorum germanicorum deinceps sustinuit. Quibus iam amplectimur, quo processu iuri germanico idea fundationis inserta sit. In operibus caritatis reponenda est ceterum — sicuti iam Iulianus Apostata optime animadvertit — vis efficacissima, qua etiam populi Germani ad Ecclesiam trahebantur[5]. Tempore autem Imperii Karolingici novis fundationis speciebus haud ortis iuri aevi carolingici paucae tantum innovationes in materia fundationum ascribendae sunt.

1. Relate ad *notionem fundationis* non est cur miremur, quod in iure francorum eadem ac in iure romano appareat. Ecclesiam enim in regno etiam francorum secundum legem romanam vixisse optime notum est[6], licet

---

4 Pernice, Labeo III pag. 151-153, Aude, La fondation perpétuelle dans l'antiquité, pag. 87; Eliachevitch, La personnalité juridique en droit privé romain, 328; Casoria, De personalitate iuridica piarum causarum (1937) pag. 33 sqq.

5 Dopsch, Witschaftliche u. soziale Grundlagen d. europ. Kulturentèicklung aus d. Zeit von Cäsar bis Karl d. Gr. (1923-24) II 209-211.

6 Lex Rib. 58, 1.

in iure germanico principium viguisset quemlibet illius nationis legibus esse obnoxium, cuius stirpe ortum duxisset. Status iste privilegiatus Ecclesiae clericorumque efficiebat, ut idea fundationis, quam in Collectionibus Iustinianeis cernimus, in legibus francorum reciperetur.

Fundationes caritativae iam saec. 6. apud Francos apparent [7], et quidem ipsae quae in imperio byzantino evolutae sunt. Xenodochia ceteraeque causae piae caritatis operibus inservientes totum exemplis romano-byzantinis assimilabantur [8]. Mirum sane est, quantum capitula francorum in enumerandis fundationibus ecclesiasticis cum legibus Caesarum concordent. Xenodochia non aliter ac in iure Iustinianeo ad peregrinos recipiendos destinantur; ptochotrophium infirmis miseris curandis inservire dicitur; agitur de nosocomiis et orphanotrophiis necnon gerontocomiis (quibus nempe egenis senibusque subveniendum erat); pro liberis patebant brephotrophia [9]. Carolus Calvus hospitalia erigenda curat et urget, ut in ipsis omnia iuxta statuta procedant [10]. Nova quaedam piae causae species habendum est leprosorium [11].

Quorum omnium destinatio et regimen ecclesiastica sunt [12], haud exceptis fundationibus, quae a regibus erectae dotataeque sunt [13]. Piae causae in iure anglosaxonum (aeque coloris germanici) serius, saec. scilicet XIII. tantum apparent, quin de earum indole ecclesiastica dubitare liceat [14]. — Ceterum curae pauperum inde a

---

[7] Loening, Gesch. d. deutschen Kirchenr. II, pag. 648.

[8] Schnürer, Kirche u. Kultur in MA, I pag. 192.

[9] Capit. Anseg. II 29.

[10] Capit. a. 858, XXII, 10.

[11] Heusler, Institutionem d. deutschen Privatrechts, I, pag. 324.

[12] Loening, op. cit. II, pag. 650.

[13] Fehr, Staat u. Kirche im fr. Reiche (1869), pag. 425.

[14] Pollock-Maitland, The history of English Law I (1923), pag. 126, nota 5.

saec. IV. non modo bona fundationalia sed pars quaedam universarum opum Ecclesiae inserviebat. Testibus litteris Simplicii Papae (saec. V.) quarta pars eleemosynae dicata est, Gelasius Papa autem tertias partes pauperibus distribui iussit [15].

Quid de specimine fundationario piorum institutorum aliarumque fundationum? Non est dubium de ipso. Admissa etiam constructione aliquomodo corporativa — de qua mox dicemus — clare percipitur ordinationem bonorum fundationis ipsiusque functiones ab externo esse determinatas, quae affectatio externa, ut recte notat cl. Saleilles, specificam fundationis notam constituit [16]. Notissimus est autem in iure germanico francorum bona fundationis ad specialem scopum determinari a fundatore, seu voluntate quae bene distinguatur a corporatione cum instituto forsan coniucta [17].

Praeter fundationes caritativas neque aliae, cultui sc. divino destinatae frustra quaeruntur in iure germanico. Speciali mentione dignae sunt fundationes Missarum anniversariarum utpote ex iure gremanico ortae. Bona erant istae ad illum finem ordinata, ut pro salute fundatoris vel alterius personae die anniversaria obitus ipsorum sacrificium Missae celebretur (Jahrzeitstiftung) [18]. Mos tales fundationes erigendi piam quandam religiosorum consuetudinem imitabatur, quo pro anima Abbatis defuncti recurrente die obitus sacrificium expiatorium quotannis offerebatur [19]. Nec aliae fundationes cultui inservientes deerant: pro omnibus sit mentio de fundationibus, quae cereis procurandis destinabantur [20]. Ad eccle-

---

15 Kurtscheid, Historia Juris Canonici, I. (1941), pag. 216.

16 De la personnalité juridique, pag. 116.

17 Planitz, Germ. Rechtsgesch. pag. 197.

18 Heusler, op. cit. I, 325.

19 Cfr. Cap. Aquisgranen. anni 817, cap. 73.

20 Capit. anni 805, I 6. et Form. Marculfi apud Baluzium (Capitularia Regum Francorum 1772) II, col. 304.

sias seu oratoria quod attinet, silentio ipsa omittere licebit, cum proprio iam momento gaudeant, neque fundationibus stricto nomine dictis adnumerentur.

2. Num in iure germanico medii aevi attribuenda sit piis causis *personalitas iuridica,* ex eo pendet, utrum in illo aliquatenus saltem huius notio apparuerit. Distingue tamen inter notionem theoretice apprime elaboratam interque rem, quae in eo consistit, quod ens aliquod independenter ab entibus psysicis seu hominibus ipsum forte componentibus subiectum iurium esse potest. Cum ius etiam aevi carolingici (non secus atque ius Iustinianeum) circa hanc quaestionem anceps haesisse sciatur, vanum est illius solutionem temporibus antecedentibus expectare. Quae tamen in iure romano-byzantino de personalitate iuridica piarum causarum valent, forsan in legibus etiam francorum recepta sunt vi adagii supralaudati: Ecclesia vivit secundum legem romanam. Quaeritur ergo, recepta sint-ne instituta iuris Iustinianei ad id spectantia.

Dubitare non possumus, quin persona iuridica corporativa iuri germanico optime nota fuerit [21], etsi de natura eius iuridica divergentia exstent placita. Theoria Gierkeiana (Genossenschaftstheorie) notionem personae moralis e corporationibus germanicis deducere conatur. Alii ipsarum personalitatem in dubium vocant ostenddendo v. c. bona corporationis communia fuisse non quidem associationis qua talis, sed qua summae personarum ipsam efficientium (Gesamte Hand) [22]. Fundamentum igitur theoreticum personalitatis iuridicae — supposito utique quod lineamenta theoretica licitum sit quaerere in casu — alienum est a fundamento « universitatis » iuris romani, quamvis in personalitate iuridica personalitatem

---

[21] Planitz, loco cit.

[22] Michiels, Principia generalia de personis in Ecclesia, pag. 313 sqq.

naturalem imitanti ius germanicum cum illo concordet. Iuris tamen germanici est coacervationi magis singulorum attribuere personalitatem moralem, dum econtra leges romanae novum quoddam ens creasse videntur in hereditate vel corpore subiectum iurium reponentes, quod independenter a partibus ipsum componentibus existentiam habuisse creditur [23]. Fundamentum seu titulus essendi personae iuridicae est scopus quidam sui generis et « sui iuris » in iure romano, ordinatione autem communi unitas servatur in iure germanico [24].

Possunt-ne appellari nomine personae iuridicae in iure germanico fundationes ecclesiasticae? Quantumvis vigor iuris Iustinianei relate ad Ecclesiam clerumque in Capitularibus agnoscatur, nihil inde ad rem deduci potest. Spectatis enim ipsismet fontibus difficultates exurgere videntur. Agitur nempe de terminologia neque iuri romano ignota, quae fundationes possessiones Dei habere videtur, prout in tabulis fundationum et in contextu ipsorum legum apparet. Cum Ecclesia eamdem cum Christo personam constituat, bona etiam ecclesiastica Dei esse dicuntur [25]. At neque textus desunt qui theoriis « patrimonii sanctorum vel pauperum » favere colliguntur. Carolus M. e. g. notam « necatoris pauperum » nefariis illis hominibus inurit, qui bonis ecclesiasticis aliquid detrahere vel forte auferre praesumunt [26]. Ex regulis iurisdictionem episcopalem quoad fundationes ordinantibus alia videtur exoriri difficultas. Leges enim Karolingiorum in materia bonorum Ecclesiae latae potestatem episcopis de ipsis illimitatam competere affirmant salvis s. canonum praescriptis [27]. Qui tamen si con-

---

23 Michelis, op. cit., pag. 314.

24 Lammeyer, De jur. Personen d. kath. Kirche (1929), pag. 79-80.

25 Cap. Anseg. VI, 307, 404, 407.

26 Capit. III. incerti anni, c. 9.

27 c. 12 Nicaen., c. 49. Trull., c. 15. Ancyr. et s. p.

sulantur, simul difficultas solvitur, cum in illis episcopis quoque vetitum sit bona fundationalia alienare [28]. Haud aliter dicendum, si quandoque oeconomi proprietatem habuisse viderentur [29].

Teste historia Ecclesiae germanicae instituta pia, xenodochia sc. similiaque loca quandoque monasteriis adiuncta exstiterunt. Pauciora sunt tamen indicia, quae demonstrent monasterium quoddam praecise fundationis gratia erectum esse [30]. Quin neque pia loca et monasteria correlativas esse in iure germanico notiones probabis, cum leges id minime innuant naturam iuridicam tantummodo monasterii et fundationis necnon oratorii identicam esse affirmantes. Cl. Ueding duas tabulas fundationum pro exemplo affert, quarum contextus ad verbum congruunt excepto, quod in prima de xenodochio atque monasterio agatur, in altera autem de ecclesia quadam [31]. In regno francorum unicum invenies xenodochium monasterio adiunctum, illud Autuniense. Inter monasterium et piam causam (ut terminologia iuris romani utar) clara adest distinctio. In Formulari Marculfiano v. gr. hanc invenies inscriptionem seu titulum: « ex sinodochio aut monasterio [32]. Leges coaevae ecclesiasticae — inter alias canones synodi Claromontani a. 543. celebratae [33] minime istas confundunt notiones, sed strictam ostendunt distinctionem inter xenodochium et monasterium. Quodsi mentio est facienda eiusmodi sententiae, quae instituta pia necessario monasteriis adiuncta esse vult [34], non est

---

[28] Capit. inc. a., III, c. 3: Placuit ut Episcopi rerum Ecclesiarum in omnibus iuxta s. canonum sanctiones plenam semper habeant potestatem.

[29] Cap. a. 882, III, c. 7.

[30] Ueding, Geschichte d. Klostergründungen d. frühen Merowingerzeit (1935), pag. 152.

[31] Op. cit., 222 sq.

[32] Form. Marc. II 1.

[33] Can. 13, apud Ueding, 124.

[34] Loening, op. cit. II, pag. 651-3.

praetermittendum illam forte experientiae inniti, quae ostendat pias etiam fundationes opere et labore aliquot personarum usas atque omnes etiam sacello seu oratorio provisas esse. Quae omnia procul dubio similitudinem quamdam cum monasteriis prae se ferre non est, cur negetur.

Contra personalitatem moralem fundationum ecclesiasticarum in territorio iuri germanico obnoxio sitarum solam afferes difficultatem, illam sc. instituto « ecclesiae propriae » seu « monasterii proprii » (Eigenkirche, — kloster) depromptam. Contra cl.mum Stutz nostrates plerique in dubium vocant eorum indolem specialiter germanicam et ad parallela iuris romani, immo graecohellenistici provocant [35], quin tamen ecclesias et monasteria « propria » in regno merovingico et carolingico francorum summum attigisse momentum infitientur [36]. Dum enim organisatio ecclesiastica Imperii romani circum urbes erat disposita, quae etiam sedes episcoporum erant quibuscum instituta et oratorio extra oppidum sita connexa extiterunt, in regnis germanicis e contra crescente numero aedificiorum et in genere bonorum Ecclesiae impossibilis sensim evasit horum administratio centralisata. Postquam vero administratio decentralisata fuerat, ius quoque proprietatis ad singula entia transivit [37]. Proprietas oratorium, mox etiam monasteriorum, cum proprietate fundorum coalescebat, dein proprietarius illa non modo relate ad ius dominii sed etiam sub aliis respectibus sua habebat [38]. Quo institutum alicui ecclesiae vel monasterio adiunctum indolem iuris privati

---

35 Kurtscheid, op. cit. I 270 sq.; Zeiger, Historia Iuris Canonici II (1947), pag. 93; Schwerin, Deutsche Rechtsgesch. pag. 97 originem adhuc germanicam defendit.

36 Schwerin, loco cit.

37 Werminghoff, Verfassungsgesch. d. d. Kirche in MA (1913), pag. 24-25.

38 Kurtscheid, op. cit. 270.

adeptum est, proprium aliquid factum est domini, neque inspectio episcopalis usque ad aevum carolingiorum nota esse creditur [39]. Admittendum est ergo, quod de personalitate iuridica « piarum causarum » ecclesiis seu monasteriis « propriis » adhaerentium revera vix agi poteris.

Quibus tamen non obstantibus asserendum est pias causas in iure etiam germanico personalitate iuridica gavisas esse. Verum quidem est, quod ex fontibus iuris ex aliisque documentis argumenta contraria proferri valent, ne tamen obliviscaris receptionem iuris romani influxum determinativum in hac quaestione exercuisse. Certe non est neganda evolutio aliqualis [40]. Instituta in sedibus episcopalibus erecta aut cum monasteriis coniuncta verisimiliter initio non uti entia sui iuris apparuerunt [41], neque certa qualitas ptochotrophii ecclesiae parochiali (ubi ad rem non ad terminologiam attendimus) adiuncti eruitur [42]. Cum tamen in fontibus oratoria seu ecclesiae atque instituta necnon monasteria sub eodem veniant respectu, probata iam videtur personalitas iuridica « piarum causarum ». Nemo est enim, qui in dubium vocet personalitatem moralem ecclesiarum in iure germanico. Neque tabulas fundationum theoriam « proprietatis divinae » uno ore fulcivisse constat. Evenit enim ut ipsa ecclesia censeatur quorumdam bonorum domina [43]. Immo etiam monasterium proprium quandoque personalitatem iuridicam habere cernitur: « in re mea propria... monasterium in honore illius Sancti aedificavi... et constituimus ibi Abbatem nomine illum (ex nominatione praesulis pro certo habeas monasterium, de quo agitur, vere « proprium » fuisse)... Propterea donamus et donatam es-

---

39 Loening, op. cit. II, pag. 650.

40 Heusler, op. cit. I, pag. 24.

41 Fehr, op. cit., pag. 408-409.

42 Form. Andegav. 48.

43 Form. Baluz. 27, apud Baluzium, op. cit. II, col. 394.

se volumus ad iam nominato monasterio...»[44]. Personalitatem demum monasteriorum, quibuscum instituta pia similitudinem internam habuisse iam diximus, probat causa quaedam contentiose duorum monasteriorum circa ius propietatis a rege processu iudiciali, non autem administrativa dirempta. Monasteria igitur subiecta iurium dicenda sunt [45]. Ipsarum fundationum personalitatem innuit, quod ipsae capacitate processuali praeditae fuerunt testibus causis, quorum notitiam habemus [46].

In praxi Ecclesiae Germanorum institutum « consecrationis » sensu, quem in iure romano habuit, nihilominus apparet, quam si capitularia admittunt [47], consequenter res consecratione qualificatas « extra commercium » stare agnoscunt; quo tamen iam personalitas moralis constituitur. At nec argumenta magis expressa desunt. Capitula Caroli M. supponunt quidem xenodochia alicui propria esse, sed capitulare anni 793. permittit, ut sui iuris » evadant et sub inspectione simultanea episcopi potestatisque civilis administrentur [48]. Fundationes praeterea capacitate possidendi quoque fruuntur [49] et donationibus acceptandis aptae sunt [50], etc.

Quid dicendum in casu iam memorato, quando nempe in tabulis fundationum locutiones bona fundationis Christo vel Sanctis attribuentes leguntur? Vel significatur indoles ipsorum ecclesiastica [51], vel effectus iuridicus « consecrationis » indicatur, rem sc. extra commercium stare. Quod autem ad connexionem monasteriorum cum

---

44 Form. Baluz. 37, op. cit. II, col. 400.

45 Heusler, op. cit. I, 315, sqq.

46 cfr. G. de Lapradelle, La fondation perpétuelle, pag. 37.

47 Cap. Anseg. V, 382.

48 cap. 7.

49 Cap. nAseg. II 29: rem loco venerabili reddat, cuius antea fuerat.

50 Cap. Legib. Sal. add. a. 819, I, 6.

51 cf. Cap. Anseg. VI 404 et 407.

piis institutis adtinet, addere valemus, quod personalitas iuridica fundationum revera a personalitate istorum est repetenda, sed iam ante personalitatem iuridicam adeptam « sui iuris » fuerunt nullo habito respectu ad monasteria coniuncta [52]. Simili processu prodiere instituta e complexu ecclesiarum vel monasteriorum « propriorum ».

3. Praeter instituta personalitate morali praedita haud deerant *fundationes fiduciales* (*Zustiftungen*), quibus sane donata legataque fundationibus iam autonomis tributa adnumerari debent. Eiusmodi fuisse videtur fundatio Missarum. Bona ipsam constituentia alicui monasterio vel ecclesiae pertinebant « sub modo » tamen, ita ut aliis licet piis finibus nequiissent impedi, nisi pro Missis die statuta litandis [53]. Item non est dubium, quin fundationes ad eleemosynas erogandas creatae personalitate iuridica prorsus caruerint [54].

4. In iure germanico sec. nationalitatem cuiusque determinatum fuit, quaedam leges in casu applicari debuerint. Ita etiam circa actus fundationis. Pius fundator enim ius suae nationis sequere debuit in erigendo instituto. Lege Burgundiorum [55] tamen cautum est libertati regulas iuris romani vel proprii germanici eligendi, dummodo de fundationibus cultus vel caritatis actum esset. Si quis ius romanum elegit, sec. principia iuris iustinianei procedendum ei erat. Si contra ex legibus suae nationis fundaturus erat institutum, actio eius, immo etiam praesupposita huius, indolis proprie germanicae esse debuerunt.

---

[52] cf. Loening, op. cit. II, 649.

[53] Heusler, op. cit. I, pag. 326.

[54] Form. Baluz. VII; cf. etiam Schnürer, op. cit. I, pag. 367.

[55] Schröder - Künssberfi, Lehrbuch d. deutschen Rechtsgesch, (1922), pag. 311.

Quod ad *actus inter vivos* iuris germanici adtinet, omnium iurium particularium commune fuit principium actus gratuitos seu donationes sensu stricto sumptas non esse admittendum. In omnibus actibus quaedam restitutio requirebatur, utpote donatio ex parte donatarii vel modus, qui donationi inhaesit a donatario implendus [56]. Iuxta sententiam cl.mi Dopsch [57] restitutio huiusmodi neque donationibus, qui fundationis erigendae causa factae sunt, defuit ac in providendo de salute animae cernitur. In iure germanico donatio natura sua irrevocabilis est et plenum dominium per ipsam transfertur [58]. Facultates ad causas donare pias cuique liberum esse iam Lege Baiuwariorum edictum est [59]. Fundatoris erat praeterea decernere, cuinam institutorum piorum bona cederent, si episcopus vel abbas (quo nomine quandoque etiam oeconomus fundationis venire solet) [60], cui iuxta tabulas fundationis regimen ipsius instituti commissa est, alii scopo ac praevisum est, bona impenderet. In ceteris quoque ad amussim servandae videntur praescripta in tabulis fundationis contenta [61].

5. Species quaedam propria donationis iuris germanici invenitur *in donatione cum retento usufructu.* Quae in eo consistit, quod dominium bonorum donatorum a donatore in donatarium transit quidem, et donatio perfecta esse dicitur; donatario tamen obligatio simul incumbit, ut bona illa ad usumfructum donatori redderet, a quo casu etiam mercedem obtinet [62]. Inde a saec. VII.

---

56 Op. cit. I, pag. 213 sqq.

57 L. Burg. LX, 1.

58 E. gr. Form. Marc. II, 1: donatumque in perpetuum esse volo atque de meo iure in eorum potestate et dominatione transmitto; Form. Sirm. 1: iure proprietario trado atque transfundo...

59 L. Baiuw. I, 1.

60 Ueding, op. cit. pag. 223.

61 Loening, op. cit. II, 659-661.

62 Hübner, Die donationes post obitur (1888), pag. 76-78.

in fundationibus erigendis ista quoque species donationis apparet [63], quae origine quidem est iuris romani [64], ad creberrimum tamen usum in iure germanico pervenit, in quo est una ex maxime usitatis [65]. Usufructus nimirum fundatori ad vitam solum debitus minime ad heredes transiit [66].

6. Inter *actus « mortis causa »* in iure etiam germanico mediaevali distinguuntur donationes et legata. Donatio autem duplicem complectitur speciem. Prima nomine « cessionis mortis causa » venit et eadem est, ac « donatio mortis causa » apud romanos, seu est actus conditionatus, qui vim solummodo habeat, si donatarius donatori supervixerit. Cessio mortis causa durante vita donatoris revocabilis est, nisi de cessione in commodum Ecclesiae facta agatur, in qua donator plerumque renuntiare solet iuri suo revocandi actum [67].

Altera est « donatio post obitum », quae praecise in fundationibus erigendis prima apparet. Cum enim Ecclesia aut institutum pium personae sint morales, nulla adest ratio conditionem adponendi: « si donatarius donatori supervixerit », persona enim moralis necessario superstes erit. Pro actu ergo hypothetico efformatus est in iure germanico actus absolutus quidem sed quoad effectum suspensivus (suspensiv bedingtes Rechtsgeschäft [68]), qui simul valorem sortitus est atque contractus contigit, at vim plenam post obitum donatoris tantum exseruit. Donator autem antequam diem supremum obiisset, non solum usu sed etiam dominio bonorum donatorum frue-

---

[63] Loening, op. cit. II, pag. 656 sqq.

[64] C. Iust. 1, 2, 14, 9 et L. Rom. Visig., interpr. ad C. Theod. 8, 5, 2.

[65] Hübner, op. cit. 78.

[66] Form. Sirm. 34.

[67] Loening, op. cit. II, 655 sqq.

[68] Hübner, op. cit. pag. 16.

batur [69]. Donationes « post obitum » praeprimis bonorum immobilium in usu fuere [70]. Persimilies sunt quidem actui fundationali, qui « reservato usufructu » contrahitur, in eo tamen actui fundationali, qui « reservato usufructu » contrahitur, in eo tamen differunt, quod per illam fundator non nomine instituti sed proprio utitur bonis neque dominium amittere videtur. Respectu sollemnitatum — de quibus mox sermo fiet — magis adhuc differentia apparet inter donationem « retento usufructu » et illam « post obitum ».

Notissimum est in iure antiquo Germanorum testamenta penitus defuisse [71] successionemque tantum legalem admissam esse [72]. Hereditarius ergo non voluntate sed propinquitate determinatus est [73], neque persona familiae vel stirpi extranea ullam in hereditatem habere potuit intentionem [74]. Vetitum istud duplici tamen modo eludi potuit. Persona liberis orbata bona sua ad alios transmissura valuit enim personam extra familiam ortam adoptare [75], vel adhuc vivens bona alicui donare [76]. Qui quidem modi in legibus regum francorum primum apparent [77], praecisa ad donationes « pro remedio animae » (Seelgerät) facilitandas. Nulla est igitur testamentifactio ante saec. VII [78]. In Lege Saxonum permittitur testamentum in commodum regis vel Ecclesiae [79], in Lege

---

69 Eodem, pag. 17-18.

70 Eodem, pag. 28-29.

71 Tacitus: heredes tamen successores sui cuique liberi et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi (Germ. XX).

72 Schröder-Künssberg, op. cit., pag. 78.

73 Schwerin, Germ. Rechtsgesch., pag. 176-177.

74 Planitz, op. cit. pag. 26.

75 Schwerin, op. cit. pag. 179.

76 Schröder-Künssberg, op. cit., pag. 356.

77 Schwerin, op. cit. pag. 180.

78 Schröder-Künssberg, op. cit., pag. 223-225.

79 L. Sax., c. 62.

Baiuwariorum tandem cautum est de libera testamentifactione viri liberis orbati [80]. Neque tamen propter fundationem cognati parte sua privari potuerunt, cum pars tertia vel quinta solummodo bonorum causis ecclesiasticis tribui valeret [81] absque propinquorum assensu, qui utique ad maiorem partem fortunarum legandam adesse debuisset [82]. In Lege Alamannorum autem omnino cessant limitationes: « Si quis liber res sua vel semetipsum ad Ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei [83]. Similiter concilium Bavaricum anno 772, apud Dingolvingiam celebratum: « ... ut si qui de nobili genere et de hereditate sua dare (vellet) ad sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nemo prohibuisset, nec mutaret in perpetuum [84]. Testamentifactio romana sub Carolo M. tandem instante Alcuino recepta est [85], medio autem aevo inter testamenta numerosiora erant illa quae in commodum Ecclesiae confecta sunt fundationis erigendae gratiae [86]. Saec. XIII. et XIV. tantum libertas fundationes testamento instituendi coarctatur ad consulendum iuri heredum legalium [87].

7. At ne omittas *solemnitates* actuum fundationis quae in iure germanico varie regulabantur. Usque ad saec. XIII. desunt monumenta scripta. Contractibus tria fuerunt essentialia: personaliter, visibiliter et modo quo audiri posset fieri debuerunt. Adhibendi sunt ergo testes qui de pacto et iuramento paciscentium testificari que-

---

[80] L. Baiuw., XV, 10: aut testamento sive partem sive omnes contulerit facultates.

[81] Planitz, op. cit., pag. 88 sqq.

[82] Schröder-Künssberg, op. cit., pag. 827.

[83] L. Alam. I, 1.

[84] c. 4, apud Hartzheim I, pag. 129.

[85] Loening, op. cit. II, pag. 675.

[86] Planitz, op. cit., pag. 190.

[87] Heusler, op. cit. II, pag. 644-645.

ant [88]. Contractus scripto mandati in iure populorum Germanorum meridionalium primum apparent, qui influxui iuris romani magis obnoxii regulam actus in scriptis fieri debere receperunt; simul neglexere antiquam iuris germanici cautelam, iuxta quam contractus coram testibus fieri debuit [89]. Tabula donationis seu fundationis nomine « chartae » venit. In ipsa mentio est facienda nominis fundatoris, bonorum ad fundationem spectantium aliarumque circumstantiarum [90]. Pactione coram testibus vel per chartam absoluta traditio quaedam symbolice concepta bonorum adhuc requirebatur. In iure quidem romano ipsa res solet tradi, in iure autem francorum « traditio chartae » praevalet, sequenti ritu : charta — antequam conficeretur — humi deponebatur, mox a fundatore revelata exarata est atque subsignata, demum donatario tradebatur. Dein subsequitur sic dicta « investitura », quando donator chirothecas proicit in terram, super qua pactum est, donatarius autem illas relevans dominio potitus esse putatur [91]. Si de donatione « retento usufructu » actum esset, donatarius per triduum actus patrare debuit, quibus ius dominii significatur (triduana sessio v. possessio) [92]. Formalitates donationis « post obitum » simpliciores fuerunt, quo etiam distinctio ipsius a donatione « cum usufructu » indicatur. Charta enim tradita neque investitura, neque sessio triduana requiritur [93], cum valor iuridicus negotii suspensus maneat.

Ad testamenta vero quod attinet, sollemnitates ipsorum persimiles sunt illis donationum. Testamentum viva voce praesentibusque testibus vel coram consilio seu tribunali factum libro civitatis (Stadtbuch) inscribendum

---

88 Amira, Grundriss d. germ. Rechts (1913), pag. 136 sqq.
89 Id., op. cit., pag. 140.
90 L. Burg. XLIII, 1, L. Alam. I, 1, L. Baiuw. I, 1.
91 Schröder-Künssberg, op. cit. 304-5.
92 Heusler, op. cit. II, pag. 119.
93 Heusler, op. cit., II 19.

erat [94]. Quandoque contigit testamentum, quo fundatio erigitur, coram sacerdote duobusque testibus fieri [95]. Respectu tamen sollemnitatum circa actus in commodum piarum causarum factos facultas ius romanum sequendi cuique semper fuit [96].

8. De *administratione et inspectione* fundationum piarum haud multas in iure germanico regulas invenies, cum quaestiones huiusmodi definiendae in competentia Ecclesiae relictae sint. Ab Ecclesia autem statuta iuris Iustinianei invocata sunt. Ingerentiam potestatis civilis apud Bavaros solum novimus. Priusquam fundatio erigeretur, consensus principis requirebatur usque ad annum 788 (quando nempe principatus Baiuvariorum in regno francorum susceptus est), quamvis synodus Dingolvingien [97] iam pridem huic legi frustra quidem obrogasset.

Rectori instituti in legibus germanicis « oeconomus » vel « archimandrita » est nomen [98], cuius etiam officia iuraque cum legibus romanis conformiter determinantur [99]. In iure inspectionis episcoporum regendo canones conciliorum orientalium allegantur [100]. In negotiis maioris momenti circa fundationum regimen episcopo utendum erat consilio synodi vel cleri sui [101].

9. Ad *privilegia* autem piarum causarum quod adtinet, frustra talia ante saec. VI. quaeras. Contrarium enim fuisset iuri francorum instituta ecclesiastica im-

---

94 Planitz, op. cit. pag. 190.
95 Eodem.
96 L. Rip. LVIII, 1 et Regino De synod. causis I, 405.
97 a. 772, can. 4.
98 Cap. Anseg. II 29.
99 Eodem loco.
100 Cap. Caroli M. incerti anni III, 3 et Cap. Anseg. VII, 74.
101 De synod. causis I 347.

munitate tributorum praedita esse. Monasteria, ecclesiae et quaedam fundationes tamen « mundiburdium » regis tamen adipiscebantur, quo privillegiis potirentur [102], dum Ludovicus Pius decreto suo omnia entia ecclesiastica privilegiis « mundiburdii » regii munivit. Saec. VI. immunitates factae sunt activae [103], ex. gr. ius erat entibus ecclesiasticis tributa in aliquo territorio in proprium commodum exigere [104]. Officiales regis nullam ergo potestatem in his regionibus exercebant, cum pro ipsis functionarii ecclesiastici varia genera tributorum collegissent. At hoc iam participes potestatis civilis effecti ansam praebuere influxui eiusdem potestatis in nominationem eorum [105]. Carolus M. testatur fundationes et in genere entia ecclesiastica a praedecessoribus suis privilegia haud negligenda obtinuisse [106].

Praeter immunitatem localem actus ipse fundationis privilegiis gaudebat. Solemnitates enim supralaudatae tam parvi penduntur, ut leges synodales poenas comminari audeant eis, qui bona ex contractu omissis sollemnitatibus pacto entibus ecclesiasticis debita retineant [107]. Donationes inofficiosae vi legum francorum rescindi potuissent quidem, at hoc non multum urgeri videtur, cum canones synodales praxim contrariam testarentur [108].

Ad bona fundationalia conservanda strictiores fuerunt cautelae iuris germanici, quam pro defendendis bonis privatorum. Retentio aut ablatio poenis gravibus plectitur: « si quis aliqua persona contra res ecclesiae iniuste agere voluerit vel de rebus ecclesiae abstrahere voluerit, sive ille, qui dedit, vel de heredes eius aut qualiscum-

---

102 Werminghoff, op. cit. pag. 16.
103 Const. Clotharii II, c. 11.
104 Loening, op. cit., II, pag. 271 sqq.
105 Schröder-Künssberg, op. cit., pag. 214-215.
106 V. c. Cap. III. inc. anni, c. 6. et 8.
107 c. 2 Lugdunen. II. et c. 10 Parisien. V.
108 Cfr. Loening, op. cit. II, pag. 685-9.

que homo praesumpserit, imprimis incurrat in Dei iudicio et offensionem s. ecclesiae et iudici terreno persolvat auri uncias III et illas res ecclesiae tradat et alia similia addat, rege cogente vel principe, qui in illa regione iudex est »[109]. Similia etiam in legibus synodalibus leguntur[110]. Bona ecclesiastica et fundationalia redemptionem peccatorum et thesaurum pauperum constituerunt[111], nec cui ipsis potiri fas erat[112]. Furi bonorum fundationis sacrilegii et nota inuritur. — Oeconomis vetitum fuit bona instituti alienare irritato negotio, si absque consensu episcopi factum esset[113]. Damnificatio substantiae bonorum, cum ipsam fundationem periculo obiiceret, lege civili quoque delictum habebatur[114]. Licuit tamen bona fundationis cum aliis commutare, praesertim cum fructuosioribus[115]. Alienatio bonorum sec. iuris germanisi statuta eodem prorsus processu ac in iure romano fieri debuit.

10. Si tandem quaeratur, quae sit vis ac momentum iuris germanici in evolvendo iure fundationum, animadvertendum erit ad illa quae sequuntur.

Notio personae iuridicae, quam in iure germanico invenimus, haud quidem impedivit, quominus illa iuris romani magis in iure decretalium fundamentum ideae personae moralis evaderet, theoriae tamen realitatis assertores argumenta sat relevantia ex iure germanico haurire valebunt. Quod ad actus fundationem constituentes

---

109 L. Baiuw. I, 2.

110 Cfr. Binii, Concilia gen. et prov. (1618), Tom. III, p. I, vol. II, pag. 348. et 350.

111 Cap. Aquisgr. a. 803, c. 1.

112 Cap. anni 803, I, 2.

113 Cap. Anseg. II, 29.

114 Syn. Regiaticin. a. 805, c. 15 apud Binium III-I-II, pag. 381 sq.

115 De syn. causis I 361, Cap. Ans. II, 30.

adtinet, non omnino axioma invaluit, sec. quod negotia Ecclesiae ex iure romano erant tractanda, licet in territorio iuris germanici fierent. Et clericis licuit iure propriae nationis germanicae uti in actu fundationis vel testamento conficiendo [116]. At uberiores innovationes in iure germanico non debes quaerere. In ceteris etenim conformiter ad ius romanum (Iustinianeum) regimen piarum fundationum in capitularibus germanicis praescribitur.

A. Szentirmai.

[116] Schröder-Künssberg, op. cit., pag. 827.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxi. [22 dec. 1949] p. 577)

Sacrum Consistorium

I. — Allocutio SSmi Domini nostri et deputatio trium cardinalium a latere legatorum.

VENERABILES FRATRES

Vos hodie ea praesertim de causa hunc in amplissimum consessum convocavimus, ut quae in Iubilaeo Maximo inchoando statuenda essent, ea ex Decessorum Nostrorum more decerneremus.

Ac cupimus imprimis vobis coram immortales Deo grates agere, cuius munere datur ut laetis auspiciis proximum hoc summae gravitatis eventum iam Ecclesiae affulgeat; ab eoque supplicibus petimus precibus non modo ut Nobis benigne velit suppeditare vires tantae exsequendae causae necessarias, sed ut etiam omnibus supernas largiatur gratias, quibus adiuti ac permoti ad conformandos christiana doctrina christianaque virtute mores adducantur; quod quidem potissimum indictus Annus Sacer ab omnibus postulat.

Magnum profecto spectaculum visuri sumus. Dum enim post acerbissimum bellum, quod tot tantasque clades peperit immanesque ruinas, gentes, populi civiumque ordines nondum ad auspicatissimam illam pervenere concordiam, ex qua futurae dimicationes tuto modo arceri queant, humanoque generi liceat pacem veri nomi-

nis assequi; Sancta Dei Ecclesia undique terrarum Romam respicit, Romam cogitat, Romam contendere cupit, catholicae veritatis magistram, unitatis sedem, christianae pietatis fraternaeque caritatis altricem. Innumerae procul dubio peregrinantium turmae ex longinquis etiam ac transmarinis terris, ex urbibus, e oppidis, ex viculis, itineris difficultatibus libenter superatis, ad Petri arcem advenient, quam nulla humana potentia subruere potest, quam nullae errorum fallaciae tangunt, quam turbida odia simultatesque diffringere nequeunt. Heic suorum animorum labes abluent, ac suavem experientur intimamque pacem; heic ad virtutem cotidie impensius assequendam et ad apostolatus opera exercenda exardescent; heic denique, falsis repulsis ac recusatis opinationibus, evangelicam illam sententiam Iesu Christo repetent, cuius Nos in terris personam sustinemus: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes »[1].

Magnum utique spectaculum visuri sumus; neque Nos, neque Romani tantum, sed quotquot etiam ubique gentium recta mente sanoque iudicio ducuntur. Cernent siquidem omnes Iesum Christum tantummodo ab Eoque conditam Ecclesiam posse pacem sinceram solidamque concordiam mortalium animis donare. Haec enim pax, haec mansura concordia ex christiana conscientia oriuntur, divinis praeceptis conformata divinaque gratia alita; atque adeo nulla eas potest terrena res turbare, nulla auferre, nulla rapere humana potestas.

Atque utinam, Venerabiles Fratres, ii etiam qui a Catholica Ecclesia omnino seiuncti sunt, vel ab ea ob neglegentiam praeiudicatasque opiniones aberrarunt, salutari quodam modo permoveantur; ac vehemens in animo cuiusque suo desiderium sentiant illius concordis unitatis veritatisque integerrimae, quas Divinus Redemptor non modo docuit, sed suo etiam profuso cruore consecra-

---

1 Ioan., VI, 69.

vit. Hunc etiam saluberrimum fructum afferat, ut flagranter cupimus, proximus Annus Sacer; hoc impetrent a Deo supplicationibus, piaculis ac paenitentiae caritatisque operibus christifideles omnes; ita quidem ut, dum se christiano spiritu renovant [2], dum incipiunt volentes in novitate vitae ambulare [3], ceteros quoque pro viribus omnes, praelucenti exemplo suo, ac divino implorato auxilio, ad idem propositum efficiendum alliciant atque perducant.

Faxit misericordissimus Deus ut Anni Sacri decursu nova aetas, iustior, sanctior ac felicior humanae consortioni illucescat. Faxit tandem ut « cunctae familiae gentium, peccati vulnere disgregatae, Eius suavissimo subdantur imperio [4].

Dum Nos haec vota ex animo elicimus Deoque efficienda commendamus, iam ad id libenter gradum facimus, quod in praecipua causa fuit, cur amplissimum Ordinem vestrum hodierna die convocaremus.

Ex antiquissimo Apostolicae Sedis instituto, ut probe nostis, Anno Sacro initium fieri solet a quattuor reserandis Patriarchalium Basilicarum portis sanctis; idque sollemni eo ritu evenit, quod docemur spirituales Ecclesiae thesauros latius iis omnibus patefactos esse, qui suas expiandi animi labes desiderio compulsi, indicti Iubilaei Maximi beneficiis frui exoptent, atque imperata opera expleant. Quamobrem pridie Natalem Domini Nostri Iesu Christi, exemplo Decessorum Nostrorum Vaticanae Basilicae portam sanctam Nosmet ipsi, Deo favente, aperiemus. Cum autem eamdem caerimoniam ad reliquas Patriarchales Basilicas eadem die eademque hora per Legatos Nostros fieri oporteat, auctoritate Dei Omnipotentis, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra, Legatos Nostros deligimus ac renuntiamus Venerabilem Fra-

---

[2] Cf. *Ephes.*, IV, 23.

[3] Cf. *Rom.*, VI, 4.

[4] Ex *Breviario Rom.*, in festo Chr. Regis.

trem Nostrum Eugenium S. R. E. Cardinalem Tisserant, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, eumdemque Sacri Collegii Subdecanum, qui portam sanctam Basilicae S. Pauli ad viam Ostiensem Nomine Nostro aperiat; item Venerabilem Fratrem Nostrum Clementem S. R. E. Cardinalem Micara, Episcopum Veliternum, qui portam sanctam Basilicae Lateranensis nomine Nostro aperiat; ac denique Dilectum Filium Nostrum Alexandrum S. R. E. Cardinalem Verde, Liberianae Basilicae Archipresbyterum, qui portam sanctam eiusdem Basilicae nomine Nostro aperiat. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Legatis autem hisce Nostris facultatem facimus iis omnibus, quotquot sacro ritui pia mente pioque animo intererunt, auctoritate Nostra benedicendi, propositaiisdem plena commissorum venia, statis condicionibus lucranda.

PIUS PP. XII

2 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS*. XXXXI [22 dec. 1949] p. 595)

Constitutio Apostolica

Ad E.mos PP. DD. Michaëlem Tit. S. Anastasiae S. R. E. Presb. Card. Faulhaber, archiepiscopum monacensem et frisingensem, Iosephum Tit. S. Ioannis ante portam latinam S. R. E. Presb. Card. Frings, archiepiscopum coloniensem, Coradum Tit. S. Agathae S. R. E. Presb. Card. Von Preysing, episcopum berolinensem ceterosque Germaniae Exc.mos archiepiscopos, episcopos locorumque ordinarios.

PIUS PP. XII

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. - Testes obsequii et studii, quo hanc catholici nominis arcem in exemplum reveremini, haud inexpectatae, at optatae ad Nos advenerunt litterae, quas vos, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, cum ad beatissimi Bonifatii sepulchrum annuum celebraturi coetum convenissetis, Nobis misistis. Apertiores inde Nobis patuerunt virtutes, quibus vos decoros debita cum gratulatione et laude conspicimus, auctoritatis pondus, consiliorum maturitas, morum gravitas, sedula pastorali vigilantiae industria. Hisce enim quodammodo moti et ducti gregum curae vestrae commissorum utilitati consulitis, semper spe alacres, difficultatibus non territi, « solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3). Labor vester umquam nec deest nec deficit, quia amor vester numquam defervet et gaudium reputatis quod agitis et sustinetis, ut Evangelii causa revehat triumphum et Christi Regis omnium bonorum parens comesque constabiliatur imperium.

Gratias ibidem Nobis exolvistis, quod vestratibus necessitatum et indigentiae onere oppressis occurrimus itemque sacra iura praesertim ad scholas quod attinet tutari contendimus. Tam grata memoria vestra dulcius Nobis reddit solatium quod pectori Nostro inhaerere sentimus, recogitantes quod fecimus et acuit vota, ut alia pro dilectis Germanis faciamus, si Deus qui dat velle suppeditabit et posse.

Caritate vero suadente, qua iubemur flere cum flentibus, ea quae tristia in aliquibus regionibus affligunt Ecclesiam, ita ut, adversus catholicum nomen bello conflagrante, a sacris pastoribus non arceantur temerariae manus et bonorum iacturam ac vincula perpetiantur fideles, graviter conquesti estis. Preces profecto, quas pro iustis

iniuste afflictis fudistis et fundere pergitis, bonorum operum pompa comitante, deproperabunt victoriam, quam firmissima tot heroum virtus et professae fidei cumulata promerita reddunt indubiam. Faxit Deus ut ad communia vota cito adveniat tempus, quo, sedata procella et iustitia conversa in iudicium, tranquilla ubicumque gentium Ecclesia commissum sibi pietatis opus persolvat et omnium saluti prospiciat.

Gaudemus profecto quod, vestra quoque annitente cura, dilecta Nobis Germania, e luctuoso gurgite, quo infaustum bellum eam mersit, paulatim evadit ac solida spes adest fore, ut res brevi meliore sint quoque loco. Quod ut eveniat, omnes sunt excitandae et dirigendae vires, quae, morum legi et religioni insunt, ut ad publicum veri nominis bonum comparandum quam plurimum conferant.

Annuimus, adprobamus, laudamus quod vos ad socialem iustitiam provehendam cogitationes vestras convertitis. Deflendae egenorum catervae omni ope et contentione est obviam eundum. Res bona evangelicae notae paupertas, quae amica virtutis, paulo contenta est, malum autem ipsa et malorum parens miseria: illa diligenda, haec deturbanda et abolenda. Deus, quo donante homo vivit, salutiferae legis nutu et praesidio providet, ut bene vivat. Quod ut fiat, socialis iustitia, sapientiae et benevolentiae et probitatis pulcherrimum foedus, advigilare et efficere debet, bene ordinando opum partitionm et usum, ita ut eae neque hic enormiter coacerventur neque hic omnino deficiant: divitiae enim humanae consortionis velut sanguis sunt aque adeo cuncta socialis corporis membra salutariter irrigent.

Summopere igitur Nobis praesertim placet quod eo doctrinae lumina, monita, opera confertis ut familiis tecto destitutis domus quam primum exstruantur et apparentur. Quid magis necessarium, ut decorae humanae conditionis more vivatur, quam domus? haec est enim ab intemperie caeli tutatrix, virium restauratrix, honestatis cu-

stos, pacis et dulcis gaudii servatrix, natorum nidulus, maiorum exempli et memoriae sacrarium ac, si Evangelii gratia floret, privata ecclesia et Dei regni angulus ridens. Qua si careant, cives, quasi desperatione affecti, summopere irritantur et, rerum novarum studio abrepti, facile in pessima ruunt.

Fuerunt apud vos etiam exactis temporibus viri, qui in socialibus rebus componendis doctrina et actione claruerunt: eorum exemplum excitet quam plurimos, quibus rei publicae tranquillitas et felicitas cordi est, ut ad Evangelii legem et ad huius Apostolicae Sedis documenta quaestio tam arduae molis et summi momenti expediatur. Hic non unus labor eorum qui praesertim in Catholicam Actionem cooptati sunt, quibus in auxiliaribus copiis magis magisque inniti debetis, in id praecipuam operam impendentes, ut tum virtute tum numero crescant et invalescant. Sunt ii etenim veluti congruum aevo nostro evangelicum fermentum, quod a vobis et a sacerdotibus vestris diligentissime curatum, in integram massam transeat, ut ea, dum haud levi corruptela tabescit, curetur, recreetur, sanetur. In pulchro igitur Christi certamine nemo langueat, at quidquid est ipsi ingenii, constantiae, alacritatis, unusquisque tantae causae agendae attribuat et consecret; atque ad se referat nobile S. Bernardi hortamentum: « Haec plane gloria mea et exaltans caput meum, Ecclesiae triumphus » (Ep. CXLVII; *ML* 182, 304,305). Id vos hortati supplices a Deo petimus, ut faveat conatibus vestris et quae gesta difficilia facit hominum et temporum iniquitas iis praepotenti nutu Suo propitium det cursum. Huius interea superni auxilii auspicem Apostolicam Benedictionem vobis Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, itemque clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die XVIII Octobris anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

3 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXI [22 dec. 1949] p. 597)

ALLOCUTIONES

I

*Sociis Unionis iurisperitorum catholicorum Italiae, ob nationalem Conventum Romae coadunatis.**

Con felice pensiero, diletti figli, ad altre città d'Italia che avrebbero potuto degnamente accogliervi, avete preferito Roma come sede del primo Congresso nazionale della « Unione Giuristi Cattolici Italiani », alla quale in questi giorni avete dato la forma definitiva e la costituzione interna, discutendone e approvandone lo Statuto ed eleggendone la Presidenza, che, secondo le norme fondamentali tra voi concordate, dovrà promuoverne lo sviluppo e guidarne l'attività. Mentre pertanto Ci congratuliamo con voi del lavoro compiuto, non possiamo non rilevare come sia stato vostro desiderio e vostra cura,, da veri e genuini giuristi cattolici, di cingere la culla della vostra Associazione di una duplice aureola, l'una che si irradia dalla eterna Roma, l'altra che corrisponde alla denominazione di cui vi fregiate.

Voi infatti siete, in primo luogo, *giuristi,* cultori di quella nobile fra le scienze che studia, regola ed applica le norme, sulle quali si fondano l'ordine e la pace, la giustizia e la sicurezza nella convivenza civile degli individui, delle società e delle nazioni; e Roma ha il vanto di essere la gran madre del diritto. Se altri popoli nell'antichità andarono gloriosi per lo splendore della arti, per l'altezza della speculazione filosofica, per la raf-

---

* Habita di 6 Novembris mensis a. 1949.

finatezza della coltura, il popolo romano non fu secondo ad alcuno per il profondo senso del diritto, per la costruzione di quei mirabili istituti giuridici, coi quali unificò il mondo allora conosciuto, lasciando dietro di sè una tradizione che ha resistito al morso edace del tempo.

Ma voi, oltre ad essere giuristi, siete e vi professate giuristi *cattolici;* e Roma è per disposizione divina il faro sempre splendente della fede di Cristo, il centro della unità visibile della Chiesa, la sede del supremo magistero delle anime, dove la cattolicità presenta particolare forza e grandezza, e si rende più tangibile che in qualsiasi altro paese del mondo, per l'affluire di tutte le genti al luogo della cattedra e del sepolcro di Pietro. Travolto l'impero dei Cesari sotto la irrompente avanzata dei popoli che premevano ai suoi confini, due cose sopravvissero alla decadenza della più grande e più augusta città che la storia ricordi: l'una, cioè, il suo *Corpus iuris,* divenuto il diritto di tutta l'Europa civile, ancora vigente in molte sue parti nelle istituzioni contemporanee, ancora oggetto di studio appassionato, come tronco vivo, la cui linfa non si essiccò col volgere degli anni, ancora dotato di quella potenza unificatrice, che spiegò nel suo lento processo formativo; e l'altra, la nuova fede, che Pietro e Paolo vi portarono, il nuovo trono di verità, che il primo Capo visibile della Chiesa, da Cristo direttamente eletto e investito del potere delle somme Chiavi, vi piantò stabilmente, eleggendo l'Urbe a sua sede. I secoli sono passati, inchinandosi dinanzi al suo granitico blocco, senza scalfirlo; le vicende si sono addensate per scuoterlo ed abbatterlo, ma invano; e voi lo vedete ancora saldo ed integro, elevato sulle genti come segno visibile della perennità dell'opera di Cristo.

Fu così che in Roma, e nel mondo già fermentato dalla sua civiltà, le due realtà più vitali, — l'una, frutto della sapienza giuridica di un popolo, e quindi di origine umana; l'altra, irradiamento dal mondo della rivelazione,

annunziata dal Figlio di Dio fatto uomo, e quindi di origine trascendente e divina, — s'incontrarono e si fusero con intimo legame, per cui il diritto di Roma, penetrato della nuova luce che emanava dal messaggio cristiano, gradualmente si trasformò nello spirito, si elevò nelle concezioni, si perfezionò in molti dei suoi istituti, si arricchì nelle sue disposizioni, accogliendo progressivamente i principii, le idee, le esigenze superiori della nuova dottrina. L'opera legislativa degli Imperatori cristiani nacque da questo fecondo connubio di saggezza umana e di sapienza divina, del quale restano tracce indelebili, tali da dimostrare al mondo moderno come tra la vera scienza giuridica e l'insegnamento della fede cristiana non vi è opposizione ma concordanza, perchè la fede non può non sigillare del suo stampo la verità, che la mente umana scopre, considera ed ordina.

Perciò abbiamo detto che un opportuno consiglio vi ha guidati a scegliere Roma come sede del vostro primo Congresso. Ma al tempo stesso questa scelta vi dice quanto nobile ed alta è la vostra professione e quali esigenze nel suo esercizio la qualifica particolare di cui vi gloriate, impone ad ognuno di voi.

La nobiltà della vostra professione è stata magnificamente descritta da Ulpiano, che definiva la giurisprudenza « *divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia* ».[1] Quale nobile oggetto egli assegna in questa definizione alla scienza giuridica, e quanto alto la eleva sopra altri rami del sapere umano! Lo sguardo del giurista degno di questo nome spazia sopra un larghissimo orizzonte, la cui ampiezza e varietà viene significata dalle cose stesse, alle quali egli deve volgere la sua attenzione ed il suo studio. Egli ha da conoscere, innanzi tutto, le cose divine, *divinarum rerum notitia*, non solo perchè nella vita umana sociale la religione de-

[1] L. 10 D., 1, 1.

ve avere il primo posto e dirigere la condotta pratica del credente, alla quale anche il diritto dovrà dettare le sue norme; non solo perchè alcuni dei principali istituti, come quello del matrimonio, hanno un carattere sacro, che il diritto non può ignorare; ma soprattutto perchè senza questa superiore cognizione delle cose divine il panorama umano, che è il secondo e più immediato oggetto, *humanarum rerum notitia*, su cui deve posarsi la mente del giurista, rimarrebbe privo di quel fondamento che supera ogni umana vicissitudine nel tempo e nello spazio e riposa nell'assoluto di Dio.

Senza dubbio il giurista non è chiamato dalla sua professione a dedicarsi alla speculazione teologica per conoscere l'oggetto del suo studio; ma se egli non sa innalzarsi alla visione della realtà somma e trascendente, dalla cui volontà deriva l'ordine dell'universo visibile e di quella piccola sua parte che è il genere umano con le sue leggi immanenti e moralmente necessarie, gli sarà impossibile di vedere in tutta la sua mirabile unità e nelle sue più intime profondità spirituali l'intreccio delle relazioni sociali, cui il diritto presiede, e le loro norme regolatrici. Se, come affermava il grande giureconsulto e oratore romano, *natura iuris ... ab hominis repetenda (est) natura* »,[2] la natura o l'essenza del diritto non può essere derivata se non dalla natura stessa dell'uomo; e poichè, d'altra parte, questa natura non può essere conosciuta, nemmeno approssimativamente, nella sua perfezione, dignità ed elevatezza e nei fini che ne comandano e subordinano a sè le azioni, senza la connessione ontologica, dalla quale è legata alla sua causa trascendente, è chiaro che al giurista non sarà possibile di conquistare un sano concetto del diritto, nè di conseguire un suo sistematico ordinamento, se non rinunziando a vedere l'uomo e le cose umane fuori della luce, che piove dalla divinità a rischiarargli il cammino faticoso della sua indagine.

---

[2] CICER., *De legibus*, l. 1, cap. 5, § 17.

L'errore del razionalismo moderno è consistito appunto nella pretesa di voler costruire il sistema dei diritti umani e la teoria generale del diritto, considerando la natura dell'uomo come un ente per sè stante, al quale manchi qualsiasi necessario riferimento ad un Essere superiore, dalla cui volontà creatrice e ordinatrice dipende nell'essenza e nell'azione. Voi conoscete in quale dedalo intricabile di difficoltà il pensiero giuridico contemporaneo si è trovato impigliato a causa di questa deviazione iniziale, e come il giurista, che si è conformato al canone stabilito dal cosiddetto positivismo, abbia mancato alla opera sua, perdendo, con la retta cognizione della natura umana, la sana concezione del diritto, al quale è venuta meno quella forza coattiva sulla coscienza dell'uomo, che è il suo primo e principale effetto. Le cose divine ed umane, che secondo la definizione di Ulpiano formano l'oggetto più generale della giurisprudenza, sono così intimamente congiunte, che non si possono ignorare le prime, senza perdere la esatta valutazione delle seconde.

Ciò è tanto più vero, in quanto l'oggetto più specifico della scienza giuridica è il giusto e l'ingiusto, *iusti atque iniusti scientia*, ossia è la giustizia, nella sua alta funzione equilibratrice delle esigenze individuali e sociali nel seno della famiglia umana. La giustizia non è soltanto un concetto astratto, un ideale esterno, al quale debbono cercare di adeguarsi le istituzioni, per quanto è possibile in un dato momento storico, ma è anche e soprattutto qualche cosa di immanente all'uomo, alla società, alle sue istituzioni fondamentali, a causa di quella somma di principii pratici che essa detta ed impone, di quelle norme di condotta più universali, che fanno parte dell'ordine obbiettivo umano e civile, stabilito dalla mente altissima del primo Fattore. La scienza del giusto e dell'ingiusto suppone dunque una più elevata sapienza, la quale consiste nel conoscere l'ordine del creato e conseguentemente il suo Ordinatore. Il diritto, come insegnava

l'Aquinate, *est obiectum iustitiae*[3], è la norma in cui si concreta e si attua la grande e feconda idea della giustizia, e come tale, se conduce a Dio, eterna e immutabile giustizia nella sua essenza, da Dio riceve luce e chiarezza, vigore e forza, senso e contenuto.

Il giurista si muove dunque nell'esercizio della sua professione tra l'infinito e il finito, tra il divino e l'umano, e in questo movimento necessario consiste la nobiltà della scienza che egli coltiva. Gli altri titoli, in virtù dei quali egli si nobilita dinanzi al consorzio umano, si possono riguardare come conseguenza di quello già accennato. Se l'oggetto della sua indagine sono le norme giuridiche, il soggetto, a cui queste sono destinate, è l'uomo, la persona umana, la quale viene così a cadere nel campo delle sue competenze. E, si noti, non l'uomo nella sua parte inferiore e meno nobile, che viene studiata da altre scienze anch'esse utili e degne di ammirazione, ma l'uomo nella sua parte superiore, nella sua proprietà specifica di agente razionale che, per conformarsi alle leggi della sua razionalità, deve operare guidato da alcune norme di condotta, o direttamente dettategli dalla sua coscienza, riflesso e araldo di una più alta legge, o prescrittegli dall'autorità umana regolatrice della vita associata. E' vero che sotto lo sguardo del giurista l'uomo non si presenta sempre negli aspetti più elevati della sua natura razionale, ma spesso offre al suo studio i lati meno pregevoli, le sue cattive inclinazioni, le sue malvagie perversità, la colpa e il delitto; tuttavia anche sotto l'offuscato splendore della sua razionalità, il vero giurista deve veder sempre quel fondo umano, dal quale la colpa e il delitto non è mai che cancellino il sigillo impressovi dalla mano del Creatore.

Se poi voi riguardate il soggetto del diritto con l'occhio della fede cristiana, quale corona di luce scorgete

---

[3] S. Th., 2ª 2ªe p. q. 57, a. 1.

intorno al suo capo, quella corona di cui l'ha circondato la redenzione di Cristo, il sangue sparso per il suo riscatto, la vita soprannaturale, alla quale l'ha restituito e della quale l'ha fatto partecipe, e il fine ultimo assegnatogli come termine del suo cammino terreno. Nella nuova economia il soggetto del diritto non è l'uomo nella pura natura, ma l'uomo elevato dalla grazia del Salvatore all'ordine soprannaturale, e per ciò stesso messo a contatto con la divinità mediante una nuova vita, che è la stessa vita di Dio, sebbene partecipata. La sua dignità cresce dunque di proporzioni infinite, e quindi di eguale proporzione aumenta la nobiltà del giurista, che ne fa oggetto della sua scienza.

Gl'insolubili contrasti tra l'alto concetto dell'uomo e del diritto secondo i principii cristiani, che abbiamo cercato di esporre brevemente, e il positivismo giuridico possono essere nella vita professionale fonti d'intima amarezza. Noi ben conosciamo, diletti figli, come non di rado nell'animo del giurista cattolico, che voglia tener fede alla concezione cristiana del diritto, sorgono conflitti di coscienza, particolarmente quando egli si trova nella condizione di dover applicare una legge, che la coscienza stessa condanna come ingiusta. Grazie a Dio, il vostro dovere è qui notevolmente alleggerito già per il fatto che in Italia il divorzio (causa di tante interiori angustie anche per il magistrato che deve eseguire la legge) non ha diritto di cittadinanza. In realtà però alla fine del secolo decimottavo si sono — specialmente nelle regioni ove infieriva la persecuzione contro la Chiesa — moltiplicati i casi, in cui i magistrati cattolici sono venuti a trovarsi dinanzi all'angoscioso problema dell'applicazione di leggi ingiuste. Perciò cogliamo l'occasione di questa vostra riunione intorno a Noi, per illuminare la coscienza dei giuristi cattolici mediante la enunciazione di alcune norme fondamentali.

1) Per ogni sentenza vale il principio che il giudi-

ce non può puramente e semplicemente respingere da sè la responsabilità della sua decisione, per farla ricadere tutta sulla legge e sui suoi autori. Certamente sono questi i principali responsabili degli effetti della legge medesima. Ma il giudice, che con la sua sentenza l'applica al caso particolare, è concausa, e quindi corresponsabile di quegli effetti.

2) Il giudice non può mai con la sua decisione obbligare alcuno a qualche atto intrinsecamente immorale, vale a dire per sua natura contrario alla legge di Dio o della Chiesa.

3) Egli non può in nessun caso espressamente riconoscere e approvare la legge ingiusta (la quale, del resto, non costituirebbe mai il fondamento di un giudizio valido in coscienza e dinanzi a Dio). Perciò egli non può pronunziare una sentenza penale, che equivalga a una simile approvazione. La sua responsabilità sarebbe anche più grave, se la sua sentenza cagionasse scandalo pubblico.

4) Tuttavia non ogni applicazione di una legge ingiusta equivale al suo riconoscimento o alla sua approvazione. In questo caso il giudice può — talvolta forse deve — lasciar fare il suo corso alle legge ingiusta, qualora sia il solo mezzo per impedire un male maggiore. Egli può infliggere una pena per la trasgressione di una legge iniqua, se essa è di tal sorta che colui, il quale ne è colpito, è ragionevolmente disposto a subirla per evitare quel danno o per assicurare un bene di assai più alta importanza, e se il giudice sa o può prudentemente supporre che tale sanzione sarà dal trasgressore, per motivi superiori, volentieri accettata. Nei tempi di persecuzione, spesso sacerdoti e laici si sono lasciati condannare, senza opporre resistenza, anche da magistrati cattolici, a multe o a privazioni della libertà personale per infrazione di leggi ingiuste, quando in tal guisa era possibile di conservare al popolo una magistratura onesta e

di stornare dalla Chiesa e dai fedeli ben più temibili calamità.

Naturalmente, quanto più grave di conseguenze è la sentenza giudiziaria, tanto più importante e generale deve anche essere il bene da tutelarsi o il danno da evitarsi. Vi sono però casi in cui l'idea del compenso mediante il conseguimento di beni superiori o l'allontanamento di mali maggiori non può avere applicazione, come nella condanna a morte. In particolare, il giudice cattolico non potrà pronunziare, se non per motivi di grande momento, una sentenza di divorzio civile (ov'esso vige) per un matrimonio valido dinanzi a Dio ed alla Chiesa. Egli non deve dimenticare che tale sentenza praticamente non viene a toccare soltanto gli effetti civili, ma in realtà conduce piuttosto a far considerare erroneamente il vincolo attuale come rotto e il nuovo come valido e obbligante.

A voi, diletti figli, auguriamo perciò di gran cuore che la divina Provvidenza vi conceda di poter esercitare il vostro ufficio sempre nell'ambito di una legislazione giusta e conforme alle legittime esigenze sociali. Adoperatevi in ogni modo di attuare in voi l'ideale perfetto del giurista, che per la sua compentenza, per la sua saggezza, per la sua coscienza, per la sua rettitudine, merita e si concilia la stima e la fiducia di tutti.

Con tale voto, e in pegno dei più abbondanti favori divini, impartiamo con paterna benevolenza a voi, non meno che alla vostra nascente e già così promettente Associazione, la Nostra Apostolica Benedizione.

ADMONITIO

Normae hae fundamentales quas SS. D. N. Pius Pp. XII in praecedenti Allocutione stabilire dignatus est commentatae adnotataeque inveniuntur in articulo R. P. Petri M. Abellan S. I. a quo hoc « *Periodica* » fasciculum exorditur.

II

*Ad Praelatos Auditores ceterosque Officiales et Administros Tribunalis Sacrae Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores.**

Con vivo compiacimento vi salutiamo ancora una volta qui adunati intorno a Noi, diletti figli, dopo aver udito dalle labbra del vostro venerato Decano la relazione sulla vostra attività durante l'anno giuridico 1948-1949, relazione che, con l'eloquenza sobria, ma luminosa dei fatti, aggiunge ai molti altri un nuovo attestato dell'alto valore e della irreprensibile rettitudine di cotesto Tribunale.

L'opera della Sacra Romana Rota, che nel corso dell'ultimo decennio abbiamo potuto seguire più di vicino, Ci ha messo in grado di apprezzare debitamente il suo incondizionato rispetto alla verità dei fatti e alle disposizioni del diritto divino, specialmente in ciò che concerne la santità del matrimonio e la costituzione della famiglia, e Ci ispira in pari tempo la ferma fiducia che tutti i suoi membri osserveranno sempre fedelmente le norme già da Noi dettate, in adempimento dei doveri del Nostro magistero Apostolico, particolarmente nei discorsi del 3 ottobre 1941, 1° ottobre 1942 e 2 ottobre 1944. Ciò è di tanto maggior conforto all'animo Nostro nelle circostanze presenti, che danno — certamente non dappertutto, ma pur in larga misura — lo spettacolo di una crisi nell'amministrazione della giustizia, che oltrepassa le abituali deficienze della coscienza morale cristiana.

Le cause immediate di tale crisi sono da ricercarsi principalmente nel positivismo giuridico e nell'assolutismo di Stato; due manifestazioni che alla loro volta derivano e dipendono l'una dall'altra. Sottratta infatti al diritto la sua base costituita dalla legge divina naturale

---

* Habita die 13 Novembris mensis a. 1949.

e positiva, e per ciò stesso immutabile, altro non resta che fondarlo sulla legge dello Stato come sua norma suprema, ed ecco posto il principio dello Stato assoluto. Viceversa questo Stato assoluto cercherà necessariamente di sottomettere tutte le cose al suo arbitrio, e specialmente di far servire il diritto stesso ai suoi propri fini.

Il positivismo giuridico e l'assolutismo di Stato hanno alterato e sfigurato la nobile fisonomia della giustizia, i cui fondamenti essenziali sono il diritto e la coscienza. Questo fatto richiama una serie di riflessioni, che si riducono tutte a due punti: le norme oggettive del diritto e la loro concezione soggettiva. Per oggi Ci restringeremo a parlare del primo punto, rimandando lo studio del secondo ad altra occasione, se così piacerà al Signore.

Nella scienza, come nella prassi giuridica, ritorna continuamente sul tappeto la questione del vero e giusto diritto. Ve ne è dunque anche un altro? un diritto falso e illegittimo? Senza dubbio l'avvicinamento di questi due termini per sè urta e ripugna. Non è però men vero che la nozione da essi significata è stata sempre viva nel senso giuridico, anche dei classici pagani. Nessuno forse fra loro ne ha dato una espressione più profonda di Sofocle nella sua tragedia *Antigone* [1]. Egli fa dire alla sua eroina che, per le cure di Creonte, Eteocle era stato seppellito σὺν δίκῃ δικαίᾳ. Δίκαιος è colui che compie i suoi doveri verso Dio e verso gli uomini, che è giusto, pio, onesto, probo, umano; δίκη δίκαια corrisponde dunque a ciò che noi chiamiamo vero e giusto diritto, mentre χειροδίκης o χειροδίκαιος designando il violento, colui il quale usa il diritto del più forte, indica l'uomo del falso e ingiusto diritto.

Tutta la crisi, a cui abbiamo accennato, si riepiloga nell'antagonismo fra il vero e il falso diritto. L'interesse, col quale seri e penetranti giuristi si sono applicati allo

1 V. 23-24.

studio di questo argomento, Ci sembra di felice auspicio per la soluzione della crisi. Ma per ciò bisogna che si abbia il coraggio di volerne vedere chiaramente e riconoscerne lealmente le radici.

Dove dobbiamo dunque cercarle, se non sul terreno della filosofia del diritto?

E' impossibile di osservare con attenzione il mondo corporeo e spirituale, fisico e morale, senza essere colpiti d'ammirazione allo spetacolo dell'ordine e dell'armonia, che regnano in tutti i gradi della scala dell'essere. Nell'uomo fino a quella linea di confine, in cui si arresta la sua attività incosciente e comincia l'azione cosciente e libera, quell'ordine e quell'armonia vengono strettamente attuati secondo le leggi poste dal Creatore nell'essere esistente. Al di qua di quella linea vale ancora la volontà ordinatrice di Dio; tuttavia la sua attuazione e il suo svolgimento sono lasciati alla libera determinazione dell'uomo, la quale può essere conforme o in opposizione al volere divino.

In questo campo della cosciente azione umana, del bene e del male, del precetto, del permesso e del divieto, la volontà ordinatrice del Creatore si manifesta mediante il comandamento morale di Dio iscritto nella natura e nella rivelazione, come mediante il precetto o la legge della legittima autorità umana nella famiglia, nello Stato e nella Chiesa. Se l'attività umana si regola e si dirige secondo quelle norme, essa rimane per se stessa in armonia con l'ordine universale voluto dal Creatore.

In ciò trova la sua risposta la questione del diritto vero e falso. Il semplice fatto di essere dichiarato dal potere legislativo norma obbligatoria nello Stato, preso solo e per sè, non basta a creare un vero diritto. Il « criterio del semplice fatto » vale soltanto per Colui che è l'Autore e la regola sovrana di ogni diritto, Iddio. Applicarlo al legislatore umano indistintamente e definitivamente, come se la sua legge fosse la norma suprema del

diritto, è l'errore del positivismo giuridico nel senso proprio e tecnico della parola; errore che è alla base dell'assolutismo di Stato e che equivale ad una deificazione dello Stato medesimo.

Il secolo decimonono è il gran responsabile del positivismo giuridico. Se le sue conseguenze hanno tardato a farsi sentire in tutta la loro gravità nella legislazione, si deve al fatto che la coltura era ancora impregnata del passato cristiano e che i rappresentanti del pensiero cristiano potevano ancora quasi dappertutto far sentire la loro voce nelle assemblee legislative. Doveva venire lo Stato totalitario d'impronta anticristiana, lo Stato che — per principio o almeno di fatto — rompeva ogni freno di fronte ad un supremo diritto divino, per svelare al mondo il vero volto del positivismo giuridico.

Occorre forse risalire molto indietro nella storia per trovare un cosiddetto « diritto legale », che toglie all'uomo ogni dignità personale; che gli nega il diritto fondamentale alla vita e alla integrità delle sue membra, rimettendo l'una e l'altra all'arbitrio del partito e dello Stato; che non riconosce all'individuo il diritto all'onore e al buon nome; che contesta ai genitori il diritto sui loro figli e il dovere della loro educazione; che soprattutto considera il riconoscimento di Dio, supremo Signore, e la dipendenza dell'uomo da Lui come senza interesse per lo Stato e per la comunità umana? Questo « diritto legale », nel senso ora esposto, ha sconvolto l'ordine stabilito dal Creatore; ha chiamato il disordine ordine, la tirannia autorità, la schiavitù libertà, il delitto virtù patriottica.

Tale era e tale è ancora, dobbiamo dire, in alcuni luoghi il « diritto legale ». Noi tutti siamo stati testimoni del modo come taluni, che avevano agito secondo questo diritto, sono stati poi chiamati a renderne ragione dinanzi alla giustizia umana. I processi, che si sono così svolti, non hanno soltanto condotto veri criminali alla sorte loro dovuta; essi hanno anche dimostrato la intollerabile

condizione, a cui una legge dello Stato, completamente dominata dal positivismo giuridico, può ridurre un pubblico ufficiale che, altrimenti, per sua natura e lasciato libero nei suoi sentimenti, sarebbe rimasto un onesto uomo.

E' stato osservato come, secondo i principii del positivismo giuridico quei processi avrebbero dovuto concludersi con altrettante assoluzioni, anche in casi di delitti, che ripugnano al senso umano e riempiono il mondo di orrore. G'imputati si trovano, per così dire, coperti dal « diritto vigente ». Di che cosa erano invero colpevoli, se non di aver fatto ciò che questo diritto prescriveva o permetteva?

Noi non intendiamo certamente di scusare i veri colpevoli. Ma la maggior responsabilità ricade sui profeti, sui propugnatori, sui creatori di una coltura, di un potere dello Stato, di una legislazione, che non riconosce Dio e i suoi diritti sovrani. Dovunque questi profeti erano e sono ancora all'opera, deve sorgere il rinnovamento e la restaurazione del vero pensiero giuridico.

Bisogna che l'ordine giuridico si senta di nuovo legato all'ordine morale, senza permettersi di varcarne i confini. Ora l'ordine morale è essenzialmente fondato in Dio, nella sua volontà, nella sua santità, nel suo essere. Anche la più profonda o più sottile scienza del diritto non potrebbe additare altro criterio per distinguere le leggi ingiuste dalle giuste, il semplice diritto legale dal diritto vero, che quello percepibile già col solo lume della ragione dalla natura delle cose e dell'uomo stesso, quello della legge scritta dal Creatore nel cuore dell'uomo [2] ed espressamente confermata dalla rivelazione. Se il diritto e la scienza giuridica non vogliono rinunziare alla sola guida capace di mantenerli nel retto cammino, debbono riconoscere gli « obblighi etici » come norme oggettive valide anche per l'ordine giuridico.

---

[2] Cfr. *Rom.* 2, 14-15.

L'organizzazione giuridica della Chiesa cattolica non è mai passata nè rischia mai di passare per una tale crisi. E come potrebbe essere altrimenti? Il suo alfa ed omega è la parola del Salmista: *In aeternum, Domine, est verbum tuum, stabile ut caelum ... Verbi tui caput constantia est, et aeternum est omne decretum iustitiae tuae* [3]. Ciò vale per tutto il diritto divino, per quello altresì che l'Uomo-Dio ha posto a fondamento della sua Chiesa. Infatti, fin dal principio, nelle prime grandi promesse, [4] ha stabilito la sua Chiesa come una società giuridica. Cieco in verità dovrebbe essere chi chiudesse gli occhi a questa realtà.

La scienza e la prassi del diritto canonico non riconoscono evidentemente alcun diritto legale che non sia anche vero diritto; loro ufficio è di dirigere, nei limiti fissati dalla legge divina, il sistema giuridico ecclesiastico sempre e interamente verso il fine della Chiesa stessa, che è la salute e il bene della anime. A questo fine serve, in modo perfetto, il diritto divino; allo stesso fine deve tendere, il più perfettamente possibile, anche il diritto ecclesiastico.

Lieti di sapere che voi, diletti figli, individualmente e collegialmente, esercitate la vostra alta magistratura secondo questo spirito, e in auspicio delle più abbondanti grazie celesti, v'impartiamo di cuore la Nostra Apostolica Benedizione.

---

[3] *Ps.* 118, 89, 160.

[4] MATTH. 16, 16-20.

5 - S. Congregatio de D. Sacramentorum.

(*AAS.* XXXXI [22 dec. 1949] p. 616)

DECRETUM

Miserentissimi omnipontentis Dei benignitatem deprecaturus super universum catholicum gregem Sibi commissum, ineunte piaculari Anno, ad optatissimos uberes colligendos fructus verae poenitentiae, emendationis vitae, virtutum omnium christianarum sanctitudinisque incrementi, quorum causa sollemne indictum est generale maximumque Iubilaeum impendenti anno MCML reparatae salutis in hac alma Urbe celebrandum, Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis de Sacramentis Pro-Praefecto die 12 labentis mensis et anni, Rev.mis locorum Ordinariis facultatem indulgere dignatus est ut in unaquaque suae dioecesis ecclesia cathedrali, collegiali, conventuali, paroeciali, necnon in potioribus ecclesiis aut oratoriis, etiam sodalibus religiosis concreditis, ad quae populus frequentior accedere solet, exceptis tamen domesticis sacellis, media ipsa nocte, quae intercedit inter finem anni MCMXLIX et exordium Anni Sacri MCML, *una sancta Missa* etiam sollemnis litari possit, cum facultate pro fidelibus rite dispositis in eadem Missa aut statim post eam expletam sacra Synaxi sese reficiendi, servato ieiunio ab ipsa media nocte et dummodo sacrae supplicationes Deo Beatissimaeque Virgini Mariae impendantur iuxta Sanctitatis Suae pientissima placita et vota per spatium saltem duarum horarum, in hoc computando tempore ad Missam celebrandam collato, servatis in reliquo de iure servandis cautoque ut quodlibet amoveatur irreverentiae ac profanationis periculo.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de

disciplina Sacramentorum, die 15 mensis Decembris anno 1949.

✠ B. Card. Aloisi Masella, Ep. Praen., *Pro-Praefectus.*
L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius.*

6 - S. Congregatio de D. Sacramentorum.

Commissio vigilantiae super Tribunalia relate ad Matrimoniales Causas.

Omnibus Locorum Ordinariis et Iudicibus Tribunalium Matrimonialium.

Una cum statisticis modulis circa matrimoniales causas praecedenti anno pertractatas, a singulis catholici orbis tribunalibus, prouti de more Sacrae huic Congregationi exemplaria quaedam sententiarum latarum et animadversionum vinculi defensorum missa quoque sunt.

Haec exemplaria, cum diligenti subiecta fuerint studio Consultorum peculiaris Commissionis Vigilantiae super tribunalia ecclesiastica relate ad processus matrimoniales, eadem Commissio sequentia animadvertere in genere rata est quae infra recensentur, ut prae oculis habeantur ab Ordinariis et a iudicibus ecclesiasticis, quo suo arduo iudicandi muneri perfectius in dies operam navare valeant.

1. Neminem quidem fugit peculiari difficultate decisiones causarum formalium de nullitate matrimonii scatere, circa quas Instructio S. huius Congr. 15 Augusti 1936, art. 21 (*A. A. S.*, vol. XXXIII, 313) habet: « Attenta

---

1 Benevolentia S. C. de D. Sacramentorum animadversiones quas tulit ut ecclesiastica tribunalia, matrimoniales causas recte ut tanta res exposuit pertractent, publici iuris facimus speramusque fore ut in subsequentem « Periodica » numerum adnotationes illis dignas nobis proferre liceat.

harum causarum gravitate necnon difficultate, tum quoad leges procedurales servandas, tum quod intrinsecum causae meritum, Episcoporum est, *graviter onerata eorum conscientia,* caute, et diligenter seligere sacerdotes, quorum prudentia et probitas sit omni exceptione maior, quique laurea vel saltem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant ».

2. Causae enim formali processu definiendae, non sunt argumentis evidentibus nullique contradictioni obnoxiis praeditae, quia tunc vel procedura casus excepti (cfr. can. 1990-1992 et Comm. ad Cod. Auth. Interpr. d. 6 decembris 1943, *A. A. S.*, vol. XXXVI, 94) adhibentur; vel res defertur pro decisione ad S. hanc Congregationem ad normam can. 249 § 3. Magna proinde requiritur in iudicibus prudentia et acumen, ne, ex una, « tanti Sacramenti religio » in discrimen immerito vocetur; neve, ex altera, iustae postulationes fidelium pro nullitate sui matrimonii declaranda, inepte reiciantur.

3. Quantum ex textu sententiarum deducere fas est, sequentia potissime notanda sunt:

a) In stadio instructorio processus quandoque iudex et defensor vinculi fere inertes manent, eos nempe tantum testes excutiunt a parte actrice (saepe vero a partium patronis) inductos, qui utinam testes sint ab omni suggestione vel instructione circa responsiones dandas immunes!

Expedite e contra, imo saepe necessarium est, ut iudex (passim vinculi defensore instante) testes ex officio, qui extra omnem sint suspicionem, inducat; postquam defensor ipse per se vel per alios accuratas indagines, in loco ubi coniuges sunt bene noti et ex personis ad veritatem factorum absque ira et studio stabiliendam idoneis, peregerit.

Si enim vinculi adsertor passive se habet, evenire poterit ut facile iudex decipiatur a partibus quae abripiun-

tur « desiderio nuptias dissolvendi, quum matrimoniale consortium ipsis non eam attulerit felicitatem et pacem, quam, sensibus nimio indulgentes, sibi spoponderant » (*A. A. S.*, vol. XXII, p. 168).

Ita enim « facilis aperitur aditus fraudibus et improbitati, tum coniugum adversus sanctitatem et contra unitatem matrimonii christiani coniurantium, tum etiam eorum qui lucrum tantum inhiantes, ipsos coniuges edocent de modo quo causam instaurare debent, atque *de exitu causae solliciti non de veritate factorum*, testes comparant et instruunt, ut ea deponant et confirment quae optatis conspirent » (ibidem).

b) Circa stadium vero decisorium processus, haec visa sunt animadvertenda:

Cum processus matrimoniales quotidie multiplicentur, et nonnullae factispecies simillimae appareant, sententiae sensim sine sensu tendunt ad aliqualem uniformitatem vel ad authomaticas repetitiones, tum in parte iuris tum, quod magis dolendum, in applicatione iuris ad factum, in qua maximus iudicum labor versari debet.

Sententias proinde perscribendo, in merum formalismum quandoque iudices dilabi facile possunt; et non raro accidit ut, sub specie sollemnis et diuturnae procedurae, totus processus substantialiter reducatur ad schematicas formulas, quae vel a partis patrono parantur et afferuntur iudicibus, vel, quod peius, a iudice fere authomatice desumuntur a probationibus allatis.

4. Non est hic immorandum circa modum, utique reprobandum, agendi ex parte patronorum si, malo fato, nullo habito ad veritatem respectu, testes edoceant et partes; quaestiones suggestivas proponant vel actorum supplementa postulent, quae fere inadvertenter a vinculi defensore et a iudicibus absque suspiciones admittuntur; sed potius insistendum est in modo agendi quorundam iudicum qui in probationibus perpendendis non uti veri iudices se gerunt, sed potius uti simplices compilatores,

qui ad solam formam verborum, non autem ad criticam rationem spectantes, non cogitate sed sine ratiocinationibus, congerunt excerpta ex depositionibus vel peritiis, ut statim concludant haberi in casu evidentes concordesque attestationes pro nullitate matrimonii constabilienda.

5. Peritias quod attinet, prae oculis habeatur art. 154 Instr. « Provida » (*A. A. S.*, vol. XXVIII, 313 ss.) § 1: « Tribunal non tenetur sequi peritorum iudicium, etsi eorum conclusiones sint concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat » (cfr. can. 1804 § 1).

§ 2. « Tribunal debet in rationibus decidendis exprimere quibus motum argumentis peritorum conclusiones vel admiserit vel reiecerit » (cfr. can. 1804 § 2).

6. Non desunt insuper iudices qui passim et sine delectu vel exceptione nulloque adhibito iudicio, sed expedite prorsus, quoslibet testes, eos fidedignos quasi a priori praesumentes, admittunt: qui satis esse rentur responsa quaesitis suggestivis reddita; non animadvertentes num testis, vel bona fide, aliquid ex nihilo creet, vel exaggeret saltem quaedam verba, quasdam rationes; quasi plus sciant quam partes ipsae, vel transferat ad tempus praenuptiale quae econtra vidit, audivit, cogitavit postquam coniugium infelicem sortitum est exitum.

7. Ita ex. gr. facili negotio obtinetur quandoque declaratio nullitatis matrimonii eo quod unum e matrimonii bonis exclusum fuisset, dum revera, morum levitate in dies crescente et theoriis de libera unione late serpentibus, difficilior evadere deberet probatio *positivi actus voluntatis*, cum frequentior praesumi debeat simplex error mentis in nupturiente qui non nimis de iuribus et officiis matrimonii curabat, praesertim si in pervigilio nuptiarum, a parocho rogatus, se bona matrimonii excludere velle iureiurando negavit (Cfr. Instruct. « *Sacrosanctum* » 29 Iunii 1941, All. I. *A. A. S.*, vol. XXXIII, 297 ss.).

8. Ordinariorum attentio revocanda videtur praesertim super tria sequentia puncta:

a) Ordinariis gravissima incumbit obligatio non admittendi ad patrocinium exercendum coram suo tribunali, de cuius actione coram Deo respondere debent, nonnisi personas omni exceptione maiores. Ordinariis ius est (et quandoque obligatio) facultatem patrocinii exercendi patrono revocare; idque administrativa provisione, sine onere rationes revocationis pandendi nisi huic S. Congregationi.

Ad vitandas contestationes, expedit ut de potestate revocandi patrocinium, sermo expresse fiat in prima patroni admissione.

b) Selectio idoneorum iudicum est elementum fundamentale (uti constat ex art. 21 praefate Instructionis « Provida ») ut recta iustitiae administratio obtineatur. Iudex enim expertus et activus, qui nempe studio veritatis et iustitiae tantum movetur, haud facile decipietur a partium artificiis et figmentis; veritatem deteget apte probationes librando, ex officio testes inducendo, et ita porro.

Tales quidem iudices necnon vinculi defensores suis arduis muneribus idonei, peculiari cura et studio sunt efformandi.

Ad rem recenter ita dignatus est declarare SS.mus D. N. Pius Papa XII in Allocutione ad Tribunal S. Romanae Rotae (*A. A. S.*, vol. XXXVI, pp. 281-294):

« Iudex ... est quasi iustitia vivens; illius labor culmen habet in proferenda sententia, qua iuridice stabilitur et statuitur veritas eademque valorem accipit legalem, tum quoad ea, quae spectant ad iuris applicationem in casu. Iamvero ad talem dilucidationem et tale servitium veritatis ordinata est tamquam ad suum finem tota causae actio. Quare iudex in hac obiectiva ordinatione in finem, invenit normam quoque securam, qua dirigantur omnes ipsius indagines, iudicia, praescriptiones, prohibitiones, quas evolutio causae secum portat. Apparet igitur, obligationem iuridico-moralem cui iudex subiectus est, non esse nisi quam iam ante commemoravimus pro-

fluentem ex iure divino, inquirendi videlicet et determinandi secundum rei veritatem, an vinculum, quod signis externis erat constrictum, revera existat vel an adsint praesupposita necessaria vinculi solvendi, et stabilia veritate, proferendi sententiam veritati conformem. Hisce continetur summa gravitas) et gravamen conscientiae ipsius iudicis in causa dirigenda et concludenda ».

c) Quando vero dioecesis adiuncta id postulent, Ordinarii ne cunctentur se gerere ad normam litterarum Sacrae huius Congregationis diei 1 mensis Iulii 1932, n. III (*A. A. S.*, vol. XXIV, p. 272):

« Quod si fieri contingat ut, spectata parvitate dioecesis et praesertim inopia sacerdotum, aliquis Exc.mus Episcopus locive Ordinarius prohibeatur quominus ecclesiasticum tribunal constituat, quod suo muneri congruenter, uti expostulat peculiaris causarum matrimonialium gravitas et *tanti Sacramenti religio*, perfungi valeat, ipse, prudenter secum pensato harum rerum discrimine maximoque momento, minime vereatur, etiam in levamen conscientiae suae, huiusmodi loci vel personarum angustiam ad hanc Sacram Congregationem significare, ut ipsa, huiusmodi necessitati, saltem ad tempus, prospicere possit, competentiam tribunalis deferendo aliae Curiae Ecclesiasticae Provinciae vel Regionis, quae tali oneri sustinendo ob peritiores officiales ceterosque administros aptior evadat ».

9. Pro matrimoniis post latam Instructionem Sacrae huius Congregationis « Sacrosanctum » contractis, iudex debet petere a paroecia celebrationis matrimonii per Curiam Dioecesanam « processiculum depositionum coniugum ante nuptias » et de ipsis depositionibus iuratis iustam rationem tenebit, praesertim quando coniux vel coniuges probare contendunt se *libere et scienter* exclusisse matrimonii bona, quamvis e contra iureiurando in processiculo declaraverint se ad matrimonium absque ulla exclusione accessuros esse. Consequitur quod iudex, non-

nisi evincentibus argumentis victus, admittere poterit sponsum vel sponsam in emittendo praedicto iureiurando vel ignorasse quid facerent, vel peierasse.

10. Defensoribus vinculi peculiariter commendantur sequentia:

Quandoque evenire potest, uti supra innuimus, quod vinculi defensores mere inertes se habeant in stadio instructorio processus. Nil enim agunt, nec testes ex officio inducunt, non circa veritatem factorum apud personas credibiles interesse in causa non habentes notitias exquirunt: passim articulos pro examine partium et testium a patronis propositos, etsi suggestivi sint, approbant. Demum in stadio decisorio causae, artificiosas tantum animadversiones scribunt, nullum aut fere nullum auxilium iudici pro veritate factorum detegenda, praestando.

11. Ad rem Allocutio citata Summi Pontificis gloriose regnantis vinculi defensores monet: « Sicut non congrueret gravitati officii et exsecutioni sollerti ac fideli muneris ipsius si acquiesceret breviori inspectioni actorum et quibusdam observationibus superficialibus; sic etiam non expedit ut huiusmodi officium committatur iis quibus desunt experientia vitae et iudicii maturitas. Ab hac regula observanda non detrahit quod animadversiones defensoris vinculi subiiciantur examini iudicum. Nam iudicibus labor accuratus defensoris vinculi esse debet adiutorium et complementum laboris proprii; nec praetendi potest iudicibus semper reficiendum esse totum opus defensoris, ut fidere possint illius expositionibus » (*A. A. S.*, vol. XXXIV, p. 338 ss.).

Econtra si vinculi adsertor recte, uti par est, suum adimpleverit munus ad matrimonium tutandum, non modo « tanti Sacramenti religio » sarta tecta servabitur, sed ex aequa disceptatione inter partem actricem et vinculi defensorem veritas nativa factorum facilius profluet, qui est finis ultimus et praecipuus omnium iudiciorum.

12. Demum omnibus tribunalibus commendandum

est ut sine excessivis moris sed naviter adlaborent, terminos temporis a can. 1620 pro singulis instantiis concessos, quantum saltem ab ipsis dependet, numquam superantes; incidentales causas rapide resolventes, probationes ad moras iudicio nectendas postulatas reicientes, terminos peremptoris statuendo, et ita porro.

13. Cum iudices et administri tribunalis alacrem iuridicundo operam conferre non valeant, nisi sufficienti sustentatione sint provisi, curent Ordinarii ut Tribunal necessariis subsidiis temporalibus non destituatur, tum ope taxarum a litigantibus idoneis solvendarum, tum aliis quoque, pro locorum et temporum adiunctis, opportunis provisionibus.

14. Sacra haec Congregatio, dum quae praecedunt Ordinariorum zelo commendat, ominatur ut eorum tribunalia matrimonialia recte, ut decet, suo respondeant muneri, « attente perspectis huius magni negotii materia atque consectariis maximi momenti inde promanantibus » (*A. A. S.*, vol. XXIV, p. 274).

Ex Aedibus Sacrae Congregationis, die 15 Augusti 1949.

✠ B. Card. Aloisi Masella, Ep. Praen., *Pro-Praefectus.*
L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius.*

7 - Sacra Congregatio Rituum

(*AAS.* xxxxi [22 dec. 1949] p. 617)

COMMUNICATIO

Bellum, tot cladibus et ruinis lugubre, nec aedibus sacris pepercit, ex quibus multae deletae, permultae damnis affectae, ita ut praeter egregiae artis opera etiam musica organa non pauca destructa aut inutilia effecta sint.

Supervacaneum est animadvertere, in sacra liturgia musicum organum in eximii muneris partes vocari et ad id conficendum, quamvis exiguae molis sit, magnum sumptum exquiri. Quare postremis hisce temporibus Societates musicis instrumentis struendis electrophonica organa excogitarunt, quae omnino pneumaticis organis cedunt, at in fabricatione et usu notabilia commoda praebent.

Hisce omnibus perpensis, Sacra Congregatio Rituum, quamvis antiquum tubulatum musicum organum omnibus partibus praeferendum esse confirmet, utpote liturgicis necessitatibus magis congruens, tamen electrophonicorum organorum usum non prohibet. Huius rei causa hoc Sacrum Dicasterium, quamquam agnoscit huiusmodi organum, ut alterum tubulatum digne substituat, perficiendum et perpoliendum esse — quod ut agant Societates, vehementer hortatur — relinquit tamen iudicio sacrorum Praesulum ceterorumque Ordinariorum, ut ii, audita opinione Dioecesanorum Consiliorum musicae sacrae fovendae, in singulis casibus, cum facile non contingit tubulatum organum comparare, in ecclesiis sinant usum organi electrophonici, additis immutationibus, quas supra memorata Dioecesana Consilia suggesserint.

Datum Romae, die 13 Iulii a. D. 1949.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Praefectus*
L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius.*

8 - Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

(*AAS.* XXXXI[22 dec. 1949] p. 618)

EPISTULA

AD EXCELLENTISSIMOS AC REVERENDISSIMOS LOCORUM ORDINARIOS

Romae, die 15 Augusti a. D. 1949

Excellentissime Domine,

Musicae Sacrae, ad divinum cultum promovendum, quantopere Sancta Sedes iugiter faverit, nemo sane est qui ignoret. Eiusdem sedulitatis plura exstant documenta, inter quae notatu dignae illae sapientes quidem et firmae praescriptiones, quas Summus Pontifex Pius XI, fel. rec., per Const. Apost. *Divini cultus sanctitatem* (d. d. 20 Decembris a. 1928) impertitus est.

Haec quoque S. Congregatio adlaborare non intermisit, ut iuvenes Sacerdotii viam ingressi, tum theoretice tum practice Musica Sacra congrue instituerentur. At, si multa et laudabilia in plerisque Seminariis gesta sunt ad sacram iuventam ha quoque disciplina imbuendam, in ceteris tamen exspectati felices exitus minime obtenti sunt, cum pluribus de causis, tum praesertim quod magistri debita doctrina praediti ac necessitatibus pares non habebantur. Huiusmodi defectus eo manifestiores hodie apparent, quo studium liturgicum et musicum mire in dies diffunditur, sive inter asseclas Actionis Catholicae sive inter ipsos Christifideles, Anno Sancto praecipue instante.

Quam ob rem, ad novum validioremque impulsum afferendum ut Seminariorum alumni theoria et practi-

ca Musicae Sacrae iuxta principia didactica et disciplinaria a Sancta Sede statuta sedulo erudiantur, haec quae sequuntur praescribenda censemus:

I. Musica Sacra disciplinis necessariis adnumeratur, ideoque omnibus sacrorum alumnis, inde a primo humanitatis anno usque ad cursum theologicum expletum, absolute tradenda.

II. Musicae Sacrae magistris proponentibus, annua programmata ab Exemo Ordinario adprobata sunt.

III. Musicae Sacrae horarum in hebdomada attributio regetur normis Const. Apost. *Divini cultus sanctitatem* (nn. 1-2): praelectionum horae generali studiorum rationi inserendae sunt.

In feriis autumnalibus, longius tempus adhibebitur ad exercitationes practicas tum uniucuiusque alumni tum plurium vel omnium simul alumnorum, et, pro alumnis cursuum philosophici et theologici, hebdomadae studiorum indicentur ad praecipuas quaestiones Musicae Sacrae penitius pertractandas.

IV. Non aliter ac pro ceteris disciplinis, alumni annua pericula de Musica Sacra obire tenentur.

V. Unicuique Seminario idoneus sit oportet magister Musicae Sacrae, qui ad omnes effectus Collegio Professorum cooptabitur.

Hac quidem de re, Exc.mis locorum Ordinariis in memoriam revocamus instantissimam Pii XI, fel. rec., adhortationem, ut nempe ex quavis mundi regione ad Romanum Pontificium Institutum Musicae Sacrae adlecti mittantur iuvenes Sacerdotes, sincere exornati spiritu liturgico, peculiari quodam donati ingenio musico et sufficienti muniti praeparatione, qui, requisitum tirocinium emensi, uberem in Dioecesi et praecipue in Seminario apostolatum liturgico-musicalem explicare valeant.

VI. Quae supra statuimus, vigere incipient anno scholari proximo ineunte.

Tuum igitur erit, Exc.me Domine, sollicite in ea, quae

supra mandavimus, omnem curam impendere. Nam Musicam Sacram non parum conferre arbitramur, ut iam Ecclesiae temporibus, etiam nunc ad christianam plebem Christo Domino reducendam: sacrorum concentuum dulcedine et suavitate allectus, populus fidelis « hymnis et canticis spiritualibus » Domum Dei resultantem libentius celebrabit, avidius ad dominica sacramenta accedet, abundantiusque inde vitam haudet.

Dum Tibi vota in Domino profero, reverenter me obtestor

Excellentiae Tuae Reverendissimae
in Ch. I. addictissimum

I. Card. Pizzardo, *Praefectum*

H. Cecchetti, *Subsecr.*

9 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* xxxxi [29 dec. 1949] p. 650)

RESPONSUM

DE VALIDITATE BAPTISMI IN QUIBUSDAM SECTIS COLLATI

Huic Supremae S. Congregationi a nonnullis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Ordinariis locorum propositum fuit dubium:

« Utrum, in diudicandis causis matrimonialibus, baptismus in sectis Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum collatus, posita necessaria materia et forma, praesumendus sit invalidus ob defectum requisitae in ministro intentionis faciendi quod facit Ecclesia vel quod Christus instituit, an vero praesumendus sit validus, nisi in casu particulari contrarium probetur ».

Feria IV, die 21 decembris 1949

E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandarunt:

Negative ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Sequenti autem Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XII, in solita Audientia Excmo P. D. Adsessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit atque publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 28 decembris 1949.

Petrus Vigorita, *Supr. S. C. S. Officii Notarius.*

Annotationes [1]

1. Responsum immediate versatur tantum circa quasdam nominatim enumeratas sectas christianas, scl. Discipulorum Christi, Presbyterianorum, Congregationalistarum, Baptistarum, Methodistarum, et respicit aliquod DUBIUM, a nonnullis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Ordinariis propositum; nequit ergo extendi ad quaslibet sectas christianas, licet fundamentum praebeat « argumenti a pari » pro iis sectis,in quibus eaedem condiciones verificantur.

In quinque sectis nominatis adhibetur ritus baptisma-

[1] De allegati Decreti S. Officii sensu et momento ampla, debitis declarationibus et argumentis ornata expositio habetur in Articulo « *The Ministers Intention in Baptism* », conscripto a R. P. Uldarico Beste O. S. B. (Roma) et publicato in « *The American Ecclesiastical Review* », 1950.

lis, qui materiam et formam ad valorem baptismi requisitam servet; et Responsum procedit ex hac suppositione elementa essentialia servari. Ratio, cur quidam de valore baptismi in his sectis administrati dubitandum censuerint, habetur in defectu requisitae in Ministro intentonis, quem defectum statuendum asserunt ob falsam in his sectis de baptismo fidem et doctrinam. Hoc errore intentionem infici et substantialiter corrumpi censent. In doctrina enim de baptismate hae sectae a fide catholica, aliae plus, aliae minus differunt, sive quoad baptismi naturam, sive quoad eius efficaciam et effectus. Quidam negant baptismatis indolem sacramentalem (sensu catholico intellectam); negant per baptismum fieri regenerationem, concedi remissionem peccatorum, dari iustificationem. Nihilominus enumeratae sectae omnes credunt in Christum; retinent ritum baptismalem talem qualem Christus instituit; baptismum administrant, quia Christus hoc praescripsit et ut huic Christi praecepto oboediant.

Ulteriora de hac sectarum doctrina et vita habentur apud Corrado Algermissen, LA CHIESA E LE CHIESE (Morcellina, 1944).

2. Ultimis decenniis in America Septentrionali in variis foliis periodicis (e. gr. The American Ecclesiastical Review (IV, 1931); The Homiletic et Pastoral Review (1931); The Priest (1948), etc. etc.), praesertim a P. Jos. Donovan, C. M. articuli fuerunt editi, in quibus thesis propugnabatur: allegatarum sectarum administrationem baptismatis dici debere invalidam, et quidem ob substantialiter in ministro vitiatam intentionem, proprie profluentem ex falsa de baptismate fide, quam hae sectae profitentur. Quibus in articulis non negabatur doctrina catholica: valorem sacramenti esse independentem a fide et probitate ministri; sed asserebatur: in casu falsam de baptismo fidem falsificare intentionem conferendi *Christum baptismum*, qui essentialiter sit « sacramentum » et « re-

generatio », qui conferat « iustificationem », « remissionem peccatorum », et haec ex opere operato. Provocabant ad Leonis VIII epistolam « Apostolicae curae » d. d. 13 Sept. 1896 (FONTES), III, n. 631, pag. 494), in qua ordines anglicani invalidi declarati sunt. Qui defectus in hac epistola derivetur ex positiva Anglicanorum voluntate non conferendi per ordinationem presbyteralem *potestatem sacrificandi*, quae proprie sit aliquis ex effectibus essentialibus huius ordinis. Unde deducere volebant: a pari *essentialiter defectuosam* dici debere intentionem baptizandi, quae positive excludat sacramentum, regenerationem, iustificationem, remissionem peccatorum. — Provocabant etiam ad intentionem in celebrando matrimonio ad valorem requisitam. Iuxta can 1086 § 2 voluntatis positivus actus, quo vel una ex essentialibus matrimonii proprietatibus (unitas, proprietas, sacramentalitas) excluditur, facit consensum matrimonialem invalidum; quia voluntas contrahendi *matrimonium* non potest stare cum positiva exclusione *proprietatum* essentialium matrimonii. Unde iterum concludebant: neque intentionem *baptizandi* stare posse cum intentione *non conferendi* sacramentum, *non efficiendi regenerationem*, iustificationem, remissionem peccatorum.

3. Qui articuli vix fuissent conscripti, neque illa de vitiata in ministro intentione thesis posita fuisset, si debita habita esset ratio decisionum, hac de re tempore praeterito toties datarum; nam non semel eadem quaestio S. Sedi iam fuit proposita, ab ea examinata et (saltem praesumptive) decisa. Sufficiat aliquas allegare responsiones vel declarationes:

1. Benedictus XIV, De Synodis, lib. VII, cap. 6, n. 869.

2. S. Officium d. d. 17 Nov. 1830 (FONTES, IV, pag. 152).

3. S. Officium d. d. 18 Dec. 1872 (FONTES, IV, n. 1024, pag. 327 sqq.).

4. S. Officium d. d. 24 Jan. 1877 (FONTES, IV, n. 1050, pag. 367 sq.).

5. S. Officium d. d. 20 Nov. 1878 (FONTES, IV, n. 1058, pag. 380).

6. S. Officium d. d. 21 Febr. 1883 (FONTES, IV, n. 1078, pag. 441).

Eadem semper in his declarationibus recurrit consideratio: in illis haereticorum ministris *praevalens* dici potest et debet intentio *faciendi quod Christus instituit* et fieri iussit. Hac praevalente intentione generali absorbetur intentio particularis non conferendi: sacramentum (sensu catholico intellectum), regenerationem, remissionem peccatorum, etc. — Quo sane non impeditur, quominus *in casu particulari* intentio particularis vincat et corrumpat generalem. Est « *quaestio facti* », quae ex mera *praesumptione*, etsi optimis rationibus fulcita, cum « certitudine » solvi non potest.

4. Haec sufficiant de *rerum condicionibus*, ex quibus recens responsum est natum; de *obiecto et re* RESPONSI pauca.

Responsum restringi debet ad limites in eo assignatos. Quaesitum fuit, a qua *praesumptione* (in dijudicandis causis matrimonialibus) procedi debeat quoad validitatem baptismatis in allegatis sectis administrati: utrum a praesumptione *validitatis*, an a praesumptione *invaliditatis*, et quidem in quantum *validitas pendet ab intentione ministri*. Statuitur: procedendum esse a *praesumpta validitate*. Responsum ergo immediate non versatur circa declarandam *obiectivam veritatem* (validitatem baptismi), sed circa huius veritatis stabiliendam *praesumptionem*.

5. *Praesumptio* est rei incertae probabilis coniectura. Hinc praesumptioni non est locus, ubi de obiectiva veri-

tate habetur certitudo; tunc enim habetur « scientia », et exclusa est « coniectura ». — Teneri debet: praesumptione non posse *creari* rei incertae *veritatem*, nam obiectiva rei veritas est independens a nostro de ea iudicio vel coniectura. Unde deducitur: posita praesumptione, rei praesumptae incertitudinem obiectivam, in quantum adfuit, in eodem statu esse et manere, in quo antea fuit. Praesumptio nos solummodo docet: a qua suppositione vel fundamento sive quoad decisionem theoreticam sive quoad decisionem practicam procedere debeamus.

Ex quibus apparet: ubicumque agitur de aliquo effectu simpliciter obtinendo, noster agendi modus non potest dirigi « rei incertae coniectura probabili » (seu aliqua « praesumptione », etsi autoritative approbata), sed via eligi debet, qui effectum obtinendum extra omne prudens dubium ponit. Hinc e. gr. si in ordine ad salutem aeternam obtinendam in casu particulari quaeritur, num quis valide sit baptizatus, non sufficit: haberi validitatis baptismi *praesumptionem*, sed requiritur « *certitudo* », ideoque - (si ex illa « probabili coniectura » non potest alia via exiri) - baptismus sub condicione est iterandus. — Et ideo prudenter omnino agunt Ordinarii, qui, ut matrimonii valor in tuto collocetur, non solum dant dispensationem a mixta religione, sed ad cautelam etiam dispensationem a dispari cultu, si contrahentium pars non catholica baptizata est in secta, in qua pro validitate baptismatis habetur quidem « praesumptio », non autem « certitudo ».

6. Praesumptio per RESPONSUM statuitur tantummodo quoad « *causas matrimoniales dijudicandas* ». Causae matrimoniales esse possunt: de declaranda *nullitate* ob defectum validi in parte non-catholica baptismatis; de *solubilitate* alicuius vinculi, quae negari deberet, si utraque pars valide fuerit baptizata, et si matrimonium fuerit consummatum; de usu *privilegii Paulini*, qui validus

est, si utraque pars positive praesumi *debet* (vel saltem *potest*) non valide baptizata. Pro omnibus his et similibus causis matrimonialibus per RESPONSUM stabilitur *praesumptio validitatis;* non quidem simpliciter, sed in tantum in quantum validitas dependet a necessaria *ministri intentione.*

7. Ut de *ipsa intentione* id quod in causa praesenti est principale, dicatur: intentio pro obiecto habere debet *eum ritum baptismi peragendum,* quem Ecclesia peragit (vel: quem Christus instituit); non huius ritus *effectum,* quem Christus et Ecclesia per ritum obtinere volunt. — Ex altera parte requiritur, ut hic ritus intendatur (sive immediate, sive mediate) quoad *rem,* non tantummodo quoad rei externam *apparentiam;* (requiritur « *intentio interna* » prout hodie loqui solent). Qui in ludo scenico ritum baptismi peragit, serio vult ritum, sed solummodo quoad eius *speciem externam,* non autem quoad baptismum, revera conferendum (seu: non quoad *rem,* apparentia externa indicatam). Vel sacerdos qui ficte absolvit, vult *pronuntiationem* formulae absolutionis, non autem vult *rem* formulae pronuntiatae, idest non vult *absolutionem;* sua voluntas sistit in ponenda externa apparentia rei. — Ex altera parte paganus (qui nihil scit de Christo et de Ecclesia, de ritu et sensu baptismi, quem quidam catechumenus ei exponit, immo qui talem caeremoniam ridiculam et absurdam dicit), nihilominus valide baptizat catechumenum, qui, ex inopinato in periculo vita positus, ab eo (deficiente omni alia persona), petit, ut dictum ritum ei applicet, dummodo paganus incredulus, exercendo ritum, voluntatem petentis catechumeni suam faciat, et ritum sincere peragat. Voluntas enim catechumeni est, ut circa ipsum fiat, quod Christus instituit et quod Ecclesia intendit. Ideo eo, quod paganus assumit voluntatem catechumeni, concipit intentionem faciendi quod facit Ecclesia vel quod Christus instituit.

8. Sed, his non obstantibus, restat examinandum, quod non sine ratione in noviter exorta in America controversia ii urgebant, qui validitatem baptismi in allegatis sectis ob defectum requisitae intentionis addubitarunt. Haereticos, non obstante quocumque eorum errore in fide, valide *posse* baptizare, dummodo ponant necessariam materiam et formam et velint facere, quod Christus instituit, a nullo catholico negari vel in dubium vocari potest; cum valor sacramentorum — (prout supra iam dictum est) — non dependeat neque a fide neque a probitate ministri. Sed accidere *potest,* ut « error in fide » non maneat in solo *intellectu* ministri, sed redundet in eius *voluntatem,* et dein ex eius voluntate (quoad *obiectum*) tollat aliquid essentiale, ut sic haec voluntas iam non versetur circa illud, quod Christus fieri iussit. Sane, si haec per errorem fidei modificata voluntas versatur tantummodo circa *nexum causalem* ritus sacramentalis, recte positi, vel circa eius *effectus* (regenerationem, iustificationem, remissionem peccatorum, etc.); valor sacramenti falsificata voluntate non tangitur. Non enim potest minister *sincere* — (cum intentione *interna*) — ponere ritum sacramentalem et simul arcere ritus, *ita positi,* effectum. Sacramenti « efficacia ex opere operato » a Christo est stabilita, neque dependet a voluntate ministri, sincere volentis et ponentis ritum sacramentalem; (minister potest « corrumpere » ritum, potest eum « ficte » ponere, et sic invalidum reddere: sed, stante sincera ritum ponendi voluntate et executione, sua intentione impedire non valet sacramenti *effectus* eo quod erronee censet: Christum eos noluisse). Aliter autem iudicari deberet, si « error in fide » non mutaret voluntatem circa *effectus* sacramentales, sed circa horum effectuum *causam, idest* circa ipsum *ritum sacramentalem.* In tali casu voluntas sub influxu « erroris in fide » validitatem in dubium vocare vel etiam destruere potest. Ut res exemplo illustretur: Christus instituit ritum baptismalem, qui inseparabiliter est iunctus cum efficacia in-

primendi characterem, ita ut nequeat esse et poni ritus validus baptismalis, qui hanc efficaciam non habeat. Hinc impossibile est: velle sincere ritum a Christum institutum et sincere velle ritum, non imprimentem characterem. Si quis sincere vellet ritum baptismalem, non imprimentem characterem, sincere vellet duo, quae coexsistere nequeunt. Quo in casu videndum est: quae ex his duabus voluntatibus sit *praevalens*: voluntas (quoad *rem*) faciendi quod Christus *revera* instituit, aut voluntas (quoad *rem*) faciendi quod minister, ex errore in fide, falso *putat* Christum instituisse, (etsi minister, edoctus de suo errore, statim mutaret suam voluntatem erroneam). In prima suppositione intentio sufficit ad valorem, in altera suppositione non sufficit; nam valor sacramenti numquam dependet ab intentione sic dicta « interpretativa », idest ab intentione quam quis haberet, si sciret; unice pendet ab intentione, quam quis de facto, etsi implicite tantum habet, et in casu ideo habet, quia hanc habet fidem et sic iudicat. Si quis ergo haberet *voluntatem* administrandi baptismum, quo non imprimatur character, eamque praevalentem prae intentione administrandi baptismum, quem Christus instituit (et qui baptismus characterem imprimit): invalide baptizaret. Et ad talem (substantialiter vitiantem) voluntatem concipiendam induci quis *potest* ex errore quem tenet circa veritatem fidei de sacramento baptismi. — At in homine sincero, qui credit in Christum et qui sincere eius voluntatem exsequi vult (proprie quia est « Christi voluntas »), non facile admitti neque praesumi potest huiusmodi intentio *praevalens* administrandi ritum, non conferentem characterem. Et ideo iusto omnino iure per Responsum S. Officii statuitur *praesumptio* « pro » sufficientia intentionis et « pro » validitate baptismi, in memoratis sectis administrati.

9. Verba in fine RESPONSI addita « *nisi in casu particulari contrarium probetur* » lectorem attentum reddunt, praesumptionem non habere valorem absolutum,

sed vinci posse et vinci probatione veritatis contrariae. Hinc praesumptio Responso statuta (neque quoad rem, neque quoad effectus iuridicos) differt a praesumptione in can. 1070 § 2 posita.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE EFFICACIA NEGOTII IURIDICI ECCLESIASTICI EXTRA FORUM CANONICUM

Multa sunt negotia iuridica ecclesiastica, qui finem propter quem fiunt, non obtinent cum efficacia in solo foro canonico; requiritur potius ad hunc finem obtinendum efficacia etiam extra forum canonicum. Si e. g. aliqua ecclesia acquirit fundum, sive emptione, sive donatione, de hoc fundo libere disponere potest tantum, si eius ius etiam in foro civili plene recognoscatur. Ita quidem res non se habet quoad *omnia* negotia iuridica ecclesiastica; interdum sufficit efficacia in solo foro canonico, saltem si forum civile non praebet media ad impediendam efficaciam, quam negotium iuridicum in foro canonico habet. Ita e. g. cautiones a nupturientibus praestandae in ordine ad obtinendam dispensationem ab impedimento matrimoniali mixtae religionis aut disparitatis cultus sufficientes habentur, si earum « fidelem exsecutionem, etiam vi legum civilium... nemo praepedire valeat » [1].

Hisce dictis iam innuitur negotia iuridica ecclesiastica nostris temporibus non semper recognosci extra forum canonicum. Immo, negotia iuridica ecclesiastica qua talia in foro civili hodie generatim nullum habent effectum.

---

1 S. C. S. Officii, decretum diei 14 ianuarii 1932. (Acta Ap. Sedis 1932, 25).

Ad summum in tantum recognoscitur eorum efficacia, in quantum lex civilis illam quoad negotia iuridica determinata explicite recognoscit. Ita e. g. matrimonium in Ecclesia celebratum non habet effectus in foro civili — immo, saepissime lege civili celebratio matrimonii in Ecclesia prohibetur, nisi praecesserit actus civilis — aut, si habet, tales effectus habentur vi legis civilis, qua matrimonium in Ecclesia celebratum sub certis conditionibus in foro civili recognoscitur [2]. Quoad negotia iuridica ecclesiastica a lege explicite non relata — i. e. nec recognita nec exclusa efficacia iuridica — negotium iuridicum ecclesiasticum interdum diiudicatur secundum normas iuris canonici, quatenus hae normae praesumuntur constituere voluntatem partium negotii iuridici fori civilis. Proinde per se et ordinarie negotia iuridica ecclesiastica in foro civili non recognoscuntur.

In sequentibus non agimus de efficacia quam extra forum canonicum habent, respective non habent, singula negotia iuridica ecclesiastica, nec de quaestione, quid faciendum sit, ut habeant efficaciam extra forum canonicum. Restringimus inquisitionem ad p r i n c i p i a p h i l o s o p h i c a, quae constituunt praeliminaria pro solutione talium quaestionum. Negotia iuridica ecclesiastica concreta, quae recensentur, recensentur exempli respective conclusionis causa.

I

« Discordia » quae habetur inter forum canonicum et forum civile interdum ex natura cuiusvis ordinis iuridici iustificatur hac fere argumentatione: Ordo iuridicus constituitur summa normarum, quibus relationes

---

[2] Ob hanc rationem in Concordatis modernis saepe habentur dispositiones circa ambitum quo capacitas iuridica et efficacia negotiorum iuridicorum fori canonici recognoscitur in foro civili.

membrorum societatis ad societatem, societatis ad membra eius, membrorum inter se ordinantur. Relationes iuridicae natura sua non habentur nisi inter membra *eiusdem* societatis iuridicae.

Hinc negotia iuridica ecclesiastica, quae in foro canonico gaudent plena efficacia, et ita ab ipsa Ecclesia et a membris eius plene recognoscuntur, non habent ullum effectum in foro civili. Agitur enim de duabus societatibus distinctis et independentibus. Proinde relationes iuridicae fori canonici per se non constituunt relationes iuridicas fori civilis [3].

---

[3] Si Ecclesiae denegatur character verae societatis *iuridicae*, si normae canonicae inducunt quidem obligationem ethicam, non autem iuridicam, haec a fortiori affirmanda sunt. Cf. F. CARNELUTTI, Teoria generale del diritto, Roma 1940, 172 s: « Al diritto ecclesiastico non manca certo l'imperatività; ... Ma quello che manca ai precetti religiosi è la intersubbiettività. Rispetto ad essi, i termini della condotta sono Dio e l'uomo, non un uomo e un altro uomo ... Anche dove pare che un conflitto vi sia, come nella disciplina del matrimonio, il vero è che ciascuno dei coniugi è posto davanti a Dio, non di fronte all'altro; nè altro potrebbe voler dire che, secondo il diritto canonico, il matrimonio, anzichè un negozio, è un sacramento. Affinchè diventi un negozio e così veramente tra i coniugi si stabilisca una situazione giuridica occorre che intervenga il diritto laico,, il quale ne trae effetti *civili*, cioè effetti propriamente giuridici. Nè degradare Dio alla posizione di soggetto sarebbe un espediente logicamente o anche religiosamente consentito. Perciò, sebbene la Chiesa sia un'istituzione, nessuno pensa che sia uno Stato, al quale anzi il buon senso la contrappone. Il vero è, fra altro, che la *civitas Dei* non ha bisogno del diritto per essere tenuta insieme; altre e sovrumane sono le forze della sua coesione. In quanto ne abbia bisogno, vuol dire che interessi umani si mescolano ai sentimenti religiosi, il che può essere anche necessario o, almeno, inevitabile; ma allora e entro questi limiti, la Chiesa non è più Chiesa e diventa Stato ... Del resto, chi ben guardi, la coesistenza nel medesimo spazio e tempo dei due ordinamenti ecclesiastico e civile, la quale ha trovato una precisa espressione nella gloriosa formula della « libera Chiesa in libero Stato », è la con-

Tempore medii aevi quidem negotia iuridica fori canonici recognoscebantur etiam in foro civili. Sed hoc explicatur mere *historice,* scl. ex conditione iuridica quae ascribebatur Ecclesiae illo tempore: Ecclesia habebatur ad modum *reipublicae universalis;* singuli Status partes constituebant huius reipublicae. Proinde ius canonicum erat ad modum iuris universalis. Hinc negotia iuridica fori canonici efficiam in foro civili habebant, quia forum civile non habebatur adaequate distinctum et independens a foro canonico.

Decursu autem temporum cognita distinctione *adaequata* inter forum canonicum et forum civile negotia iuridica in foro canonico peracta in foro civili effectum non iam habere potuerunt. Immo Status modernus suam potestatem habet tamquam supremam et exclusivam. Hinc quaelibet obligatio admittendi tamquam efficacia in proprio foro negotia iuridica eo ipso quod sunt legitime peracta in foro alterius societatis iuridicae, violat eius suprematiam; potius Status ipse est exclusive competens circa *omnia* negotia iuridica, quae in proprio territorio peraguntur, saltem circa illa negotia, quorum obiectum sunt res de se potestati statali subiectae. Consequenter ne quidem negotia iuridica fori canonici per se in foro civili habent efficaciam.

II

Estne haec argumentatio genuina et convincens?

1. Abstrahendo a quaestione de genuinitate modo relatae notionis suprematiae Status — quam non intendimus tangere in sequentibus — admittendum quidem videtur societatem quamlibet in certo et determinato ordine so-

---

ferma che uno dei due non può essere giuridico, almeno nel senso in cui è giuridico l'altro ».

ciali supremam et independentem esse liberam, utrum habeat efficacia necne illa iura alibi acquisita quae *tota quanta* haberi possunt tantum per concessionem auctoritatis socialis alterius societatis. Acquisitio e. g. tituli doctoratus aut nobilitatis in aliqua societate non obligat aliam societatem independentem ad recognoscendum eo ipso talem titulum in proprio foro. Agitur enim de aliqua praerogativa, cuius obiectum totum quantum est iuris *positivi* illius societatis, quae titulum concessit.

2. Ita autem res non se habent, quando agitur de effectibus negotii iuridici, ad quod peragendum homini competit capacitas ipso *iure naturali*. Negandum non est etiam in tali casu societati, in cuius foro tale negotium peragitur — immo forte peragi debet, ita ut in alio foro hoc negotium efficaciter peragi nequeat — competere potestatem ponendi conditiones aut exigere determinatas solemnitates, a quarum observatione negotium ipsum aut eius efficacia dependens sit. Sed eo ipso quod tale negotium valide peragitur, valide habendum est *ubique*. Ita e. g. matrimonium — contractus de vinculo naturali — quod constat esse valide contractum nec legitime solutum habendum est tamquam tale ubique. Dominium in bonum mobile concretum, hic et nunc legitime acquisitum et postea in aliud territorium translatum, non potest ibi domino auferri tantum ea ratione, quia in isto territorio aliae sunt normae, quae ordinant acquisitionem bonorum mobilium [4]. Si hoc non admittitur, omnis securitas iuridica deficeret.

---

[4] Cf. ea quae dicuntur de relationibus iuris privati internationalis in: A. F. SCHNITZER, Handbuch des internationalen Privatrechts, Band I, Basel 1944², 228 s: « Die Rechtsordnungen werden in grossem Umfange geneigt sein, den in einer fremden Rechtsordnung entstandenen Rechtszustand, wie man sagt, anzuerkennen. Das ergibt sich aus dem Zweck des Rechts, den Rechtsfrieden zu wanren. Wollte man jeden anderwärts geschaffenen Rechtszustand nicht rezipieren, so stände man vor einem rechtlichen Vacuum.

3. Sed non tantum ex tali sequela funesta non admittenda assertum nostrum probatur, sed praesertim ex ipsa rei natura. Nam omnis relatio iuridica est quidem relatio socialis; consequenter relatio iuridica habetur tantum in societate et inter membra societatis. Nequaquam autem relationes iuridicae intelliguntur exclusive relationes in societate *positiva*, i. e. in societate, quae, etsi naturaliter et necessario oritur (e. g. familia, Status), originem debet actui unionis unientium in hac concretam unionem.

Ut habeantur relationes iuridicae vere tales, sufficit coexsistentia plurium hominum. Nam coexsistentia plurium hominum non est in ullo signo rationis pura exsistentia simultanea sine omni relatione exsistentium ad invicem. Theoria rationalistica (Hobbes, Rousseau) quae societatem habet ortam ex contractu ho-

---

Man müsste in vielen Fällen ab ovo einen neuen Rechtszustand schaffen. Eine derartige Unterbrechung der Kontinuität des Rechts ist im allgemeinen durch Anerkennung des durch eine fremde Rechtsordnung geschaffenen Zustandes vermeidbar. Es liegt hier eine gewisse Parallele zur Anwendung fremden Rechtes überhaupt vor. So wie fremdes Recht dann angewendet wird, wenn man annimmt, dass der internationale Tatbestand in diesen Rechtskreis nach seinem charakteristischen Inhalt gehört, so wird man auch bei einem Rechtsverhältnis, das auswärts *entstanden* ist, im allgemeinen annehmen können, dass dieses durch die Rechtsordnung jenes Lebenskreises sachgemäss geregelt ist. Es kann daher eine Rezeption des geschaffenen Zustandes erfolgen. Das Mass der Bereitwilligkeit hängt aber von der einzelnen Rechtsordnung ab. Sie wird Rechtszustände nicht akzeptieren, die mit ihren Grundauffassungen unvereinbar sind. Die Polygamie, der Ankauf eines Sklaven kann sehr wohl ein wohlerworbenes Recht darstellen. Trotzdem werden europäische Rechtsordnungen keine Ansprüche aus ihnen in ihrem Rechtskreis gelten lassen. Die Anerkennung eines wohlerworbenen Rechtes ist also zunächst durch den Einwand der Unvereinbarkeit begrenzt ».

Supposito iure naturali potius dici deberet recognitionem iuris acquisiti limitatam esse ipso iure naturali.

minum, qui naturaliter sunt asociales, carentes omni tendentia quae propriam utilitatem individualisticam transcendit, est constructio aprioristica. Homo natura sua ordinatur ad societatem; homo est *essentialiter socialis.*

Homo enim est *imago Dei,* « secundum quod per imaginem significatur intellectuale, et arbitrio liberum, et per se potestativum.... secundum quod et ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem » [5]. Proinde activitas hominis specifica est activitas *intentionalis,* i. e. homo agit propter finem qua talem cognitum et volitum [6]. Ita homo habet dominium actuum suorum; homo non est tantum in se, sicut quodvis suppositum, homo ratione dominii intentionalis est etiam *propter se et sibi*: homo est *persona* [7].

Hinc homo natura sua habet finem in semetipso; activitas hominis specifica non terminatur in alio, sed in semetipso. Homo activitate sua specifica tendit in propriam perfectionem, in perfectionem personalem.

Iamvero, etsi homo intentionalitate est propter se et sibi, hac ipsa intentionalitate transcendit seipsum, quatenus tendit in omne verum et *omne bonum* universi, ut ita propriam perfectionem augeat. Immo, hanc suam perfectionem homo definitive non attingit nisi in possessione boni infiniti: *Deus* constituit summum bonum hominis, bonum internum; *ultimus finis* activitatis intentionalis hominis est quidem propria perfectio, attamen propria

---

[5] S. Th. I II Prologus.

[6] « Intentio nominat actum voluntatis, praesupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem ». S. Th. I II q. 12, a. 1 ad 3.

[7] « Persona significat quamdam naturam cum quodam modo existendi. Natura autem quam persona in sua significatione includit, est omnium naturarum dignissima, scilicet natura intellectualis secundum genus suum ». De potentia q. 9, a. 3.

perfectio in unione perfecta secundum intellectum et voluntatem cum Deo.

Ad finem ultimum homo pervenit per *finem intermedium,* ascendendo per bona creata, contingentia ad bonum increatum, absolutum. Ita homo natura sua impellitur ad quaerenda bona humana, ad vitam homini dignam gerendam. Haec bona constituunt participationem creatam bonitatis divinae: finis intermedius consistit in unione imperfecta secundum intellectum et voluntatem cum Deo, i. e. in possessione bonorum contingentium, quatenus a Deo procedunt et hominem ad possessionem ipsius Dei perducunt.

Tendere in Deum per vitam qualis exigit dignitas hominis spiritualis et personalis constituit *officium* hominis, ab ipsa natura — seu potius a Deo auctore naturae — impositum. Hoc patet eo, quod homo finem suum tantum in Deo obtinere potest; Deus igitur est finis eius absolute necessario obtinendus. Altera ex parte facultas hominis intentionaliter agendi est potentia agendi vera libertate et autodeterminatione: homo habet facultatem seipsum in finem dirigendi; homo in finem non dirigitur, sed seipsum dirigere debet. Officium hominis tendendi in finem suum ultimum per finem intermedium est officium personale indispensabile.

Hinc apparet, cur homo dici debeat *natura sua socialis.* Nam, homo una ex parte natura sua tendit in omne bonum universi, altera ex parte potentia eius hauriendi bona ex universo est limitata. Proinde natura impellendo hominem ad quaerendum bona humana eo ipso hominem ordinat ad alios, ut auxilio eorum bona humana obtineat. Homo bona vitae quam maxime necessaria obtinere potest tantum *communicatione* ex parte aliorum, *cooperatione* cum aliis. Homo vivere non potest tamquam persona nisi communicando et cooperando cum aliis. Vita humana perfecta requirit quam maxime evolutam communicationem

et cooperationem inter homines, i. e. requirit vitam socialem evolutam [8].

Inde manifestum est coexsistentiam plurium hominum non esse unquam puram exsistentiam simultaneam sine ulla ad invicem relatione. Homines *natura sua* ad invicem ordinantur, ut ita officium personale tendendi in finem ultimum per finem intermedium impleant, ut vitam vere humanam agere possint convictu, communicatione, cooperatione cum aliis.

4. Tales autem relationes hominum ad invicem — relationes sociales — includunt necessario etiam relationes iuridicas. Nam relationes sociales habentur, ut homo implere possit officium *proprium* tendendi in finem suum *personalem activitate intentionali, libera* obtinendum. Etsi igitur homo finem suum obtinere potest tantum communicando et cooperando cum aliis, omnino tamen requiritur — praecise, quia coexsistit aliis, qui etiam in proprium finem tendunt — ut gaudeat sphaera intangibili activitatis liberae, ne impletio officii, qua tendit in finem suum, impediri possit ex parte aliorum. Natura — Deus auctor naturae — enim imponendo homini officium indispensabile tendendi in finem necessario obtinendum praebet etiam media necessaria ad hunc finem obtinendum. Iamvero, bona non stricte propria non constituunt media apta et secura ad finem necessario obtinendum; homo enim talibus bonis privari posset. In quantum igitur bona humana sunt necessaria ad finem hominis obtinendum, in tantum homo debet habere facultatem acquirendi sibi talia bona tamquam bona propria, personalia, necnon facultatem utendi et fruendi secure et libere istis bonis propriis.

---

[8] Quoad doctrinam socialem, quae hic supponitur, confer i. a. J. B. Schuster, S. I., Die Soziallehre nach Leo XIII. und Pius XI. Freiburg i. B. 1935. — G. Gundlach S. I., Solidarismus, Einzelmensch, Gemeinschaft. (Gregorianum 1936, 265 ss.).

Requiritur proinde, ut media ad finem necessaria homini exclusive destinentur, cum homine nexu inscindibili coniungantur. Relatio huius destinationis et ordinationis bonorum in hominem est talis, ut constituat aliquid personae, ut sit ad modum prorogationis personae. Hinc eo ipso quod talis *coniunctio bonorum* habetur cum homine, homo habet etiam facultatem moralem circa haec bona, i. e. *facultatem* libere disponendi de bonis ita sibi destinatis. Immo relatio destinationis et ordinationis bonorum in personam habetur, ut homo istis bonis uti possit ad perfectionem personalem acquirendam, ad proprium finem obtinendum. *Relatio destinationis et ordinationis* bonorum in hominem requiritur, ut facultas circa haec bona haberi et exerceri possit; facultas libere disponendi de talibus bonis requiritur, ut homo secure et efficaciter in finem suum tendere possit [9].

Haec relatio destinationis ac ordinationis bonorum in hominem et correspondentes facultates circa ista bona non habentur tantum in ordine *metaphysico,* sed constituunt ordinem iuridicum. Verum quidem est ordinationem bonorum universi in hominem, necnon facultatem utendi istis bonis ad proprium finem obtinendum in se consideratam non transcendere ordinem metaphysicum, quatenus tali ordinatione bonorum in hominem et facultate utendi bonis non constituuntur facultates et officia inter ipsos homines. Eo ipso autem quod tales relationes et facultates circa bona externa universi homini compe-

---

[9] « Das innerste Wesen des Rechtes im subjektiven Sinne besteht in einem *Bestimmungsverhältnis,* welches hervorgebracht wird durch den Willen Gottes, der ein für das Menschenleben wertvolles Gut für eine Person bestimmt ». « Aus der Bestimmung einer Sache für den Nutzen einer einzelnen Person folgt für diese natürlich die Befugnis, die Sache nach Belieben verwenden und das Verfugungsrecht auch auf andere übertragen zu können ». M. Führich S. I., Rechtssubjekt und Kirchenrecht. I. Teil. Wien 1908, 13, 46.

tunt *coexsistenti* aliis, habentur etiam relationes iuridicae. In hac enim suppositione homini haec bona competunt non tantum simpliciter, ut in finem suum tendere possit, sed competunt homini praecise, quatenus in finem suum tendit tamquam *distinctus incommunicabiliter* ab aliis, cum quibus tamen necessario communicat, quatenus, etsi dependet multipliciter ab aliis, non ordinatur in alios, sed ordinatur directe in solum Deum activitate *personali,* libera obtinendum, quatenus, etsi alii habent eundem finem ultimum, homo obtinendo finem, acquirit *suam* perfectionem sibi *exclusive propriam.*

Proinde, relationes, quibus bona universi fiunt propria tali homini concreto, ut illis uti possit, pro omnibus aliis constitunt correspondentem relationem *exclusionis* ab hisce bonis tali homini propriis, immo constituunt officium reddendi alteri, quod huic vi facultatis suae competit, e. g. non violandi vitam aliorum, praebere nutrimenta infantibus. A. v. relationes ordinis metaphysici, quibus bona externa universi in hominem ordinantur, in coexsistentia concreta cum aliis assumunt eo ipso characterem socialem et iuridicum simpliciter ex eo, quia homo coexsistendo aliis hominibus secus in finem suum efficaciter tendere non posset.

Eo ipso igitur, quod habetur multitudo hominum coexsistentium, haec constituit « societatem », quatenus homines coexsistentes ipsa natura ligantur ad creandum bona humana *communia* [10]. Haec ligatio constituit « legem » *vere iuridicam,* quia ipsa natura omnes astringit ad cooperandum in creando bona communia, relicta ta-

---

10 Bona humana communia simul sumpta constituunt culturam et civilisationem, cuius creatio et evolutio fit ab hominibus coexsistentibus, non a societate positiva, « organisata ». Societatis positivae bonum commune non est unum bonum ex bonis communibus humanis; bonum commune societatis positivae consistit in summa conditionum, quae reddunt possibilem hominibus creationem culturae et civilisationis.

men omnibus facultate in proprium finem personalem tendendi. In quantum igitur requiritur coordinatio tendentiae personalis in bona propria cum cooperatione pro bonis communibus, talis lex simul *tuetur et restringit* exercitium iurium singulorum, atque imponit impletionem officiorum, quae iuribus aliorum correspondent, necnon impletionem illorum officiorum quae cooperatio pro bonis communibus exigit. Talis lex igitur, condita et promulgata in ipsa natura rei, constituit veram normam iuridicam, verum *ius obiectivum,* ius naturale[11].

III

Habentur igitur relationes sociales et iuridicae, vera iura et officia iuridica cum coexsistentia hominum, et ita antecedenter ad societatem positivam [12]. Verum quidem est

---

11 Ulteriora de evolutione et de ambitu iuris naturalis obiectivi in hoc contextu non sunt necessaria. Hic sufficere potest indicasse originem eius « naturalem » necnon functionem eius generalem.

12 Quoad evolutionem historicam iuris Germanici confer O. Gierke, Das deutsche Genossenschaftsrecht, 2. Band, Berlin 1873, 32: « Jedenfalls ist es gewiss, dass bei uns in die wirkliche Welt wie in das Bewusstsein der Staat sehr viel später als das Recht trat ». Immo historice videtur ius subiectivum habere prioritatem prae iure obiectivo. (Etsi haec quaestio non est directe quaestio de necessitate societatis positivae pro constitutione ordinis iuridici. A. v. Etiam in suppositione ius obiectivum habere prioritatem prae iure subiectivo — prioritatem naturae — non requiritur societas positiva, ut habeantur relationes iuridicae). Führich o. c. 11, notat auctores communius affirmare prioritatem iuris obiectivi prae subiectivo; ipse tamen affirmat citando Dernburg (Pandekten, 5. Kap. § 39, 6. Auflage): « Rechte im subjektiven Sinne bestanden geschichtlich lange, ehe sich eine selbstwusste staatliche Ordnung ausbildete. Sie gründeten sich in der Persönlichkeit der Einzelnen und in der Achtung, welche sie für ihre Person und ihre Güter zu erringen und zu erwingen wussten. Erst durch Abstraktion musste man allmählich aus den vorhandenen subjektiven Rechten den Begriff der Rechtsordnung gewinnen. Es ist daher eine un-

ipsam coexsistentiam pacificam hominum requirere etiam *societatem* positivam. Non potest autem ulla societas positiva auferre illa quae iam « ante » ipsam (prioritate naturae) adsunt; non potest societas positiva exstinguere relationes sociales et iuridicas, quae cum coexsistentia hominum directe habentur. Quinimmo, societas posi-

---

geschichtliche und eine unrichtige Anschauung, dass die Rechte im subiektiven Sinn nichts seien als Ausflüsse des Rechts im objektiven Sinn. Die Rechtsordnung gewährleistet und modelt die Rechte im subjektiven Sinne, aber sie ist nicht ihr Schöpfer ». Inde Führich inter alia probare intendit: « Gesetzt den Fall (mag man diese Hypothese für möglich halten oder nicht), es gäbe überhaupt kein Staatsgesetz und keine positive Menschensatzung, so würden doch gewisse Rechte im subjektiven Sinne existieren, die durch wahre eigentliche Gewissenspflicht geschützt wären » (13). Quoad evolutionem in iure Germanico confer Gierke o. c. 126 ss.: « Hauptcharakterzug unserer Rechtsgeschichte ist, dass bei uns, während die römische Entwicklung mit der scharfen Gegenüberstellung von Gesetz und Befugniss begann, Jahrtausende lang die Eine Idee des Rechtes den unentwickelten Gegensatz des objektiven und des subjectiven Rechts umspannte. Das Recht wurde gleichzeitig als eine höhere, dem menschlichen Willen übergeordnete Macht und als der Inbegriff der menschlichen Willensbeziehungen vorgestellt, ohne dass man im Stande gewesen wäre, beide Seiten des Rechtsbegriffes in der Abstraktion zu trennen und im Leben zu begrenzen. Das deutsche Bewusstsein entbehrte freilich nie, wie man wohl behauptet hat, der Vorstellung eines objektiv bindenden Gesetzes: aber diese Vorstellung blieb, statt in die Sphäre eines reinen und selbständigen Begriffs erhoben zu werden, in dem subjektiven Freiheitsbegriff stecken und durch ihn gebunden. Das Gesetz selbst schien daher von anderer Seite her nur ein subjektives Recht, eine Freiheit zu sein; es war ein Anspruch des Herrn oder der Gesamtheit gegen die Verbandsgenossen ... » — Ex supposito relationes iuridicas haberi in sola societate positiva Status, Carnelutti (o. c. 98 s.) deducit hanc consequentiam quoad ius internationale: « In quanto un vero diritto internazionale si costituisca, deve costituirsi anche uno Stato internazionale ... Il vero è però che il cammino per superare i limiti nazionali del diritto e così per costituire, oltre il diritto nazionale, il diritto internazionale, è incredibilmente lungo e difficile ... Il diritto internazionale è tuttora piuttosto un'aspirazione che una realtà ».

tiva est necessaria, ut relationes sociales et iuridicae *naturales* magis evolvantur et perficiantur. Proinde societatis positivae bonum specificum ordinatur semper in bonum personale hominum, sive directe confert ad hoc bonum personale (e. g. familia), sive indirecte, quatenus bonum eius commune confert ad creationem bonorum communium humanorum (e. g. Status). Societatis positivae est praestare *auxilium* et *subsidium* hominibus, ut facultates proprias evolvere et perfectionem personalem attingere possint, ut illa bona acquirere possint, quae propria activitate creare non valeant [13].

Consequenter societas positiva non potest auferre iura fundamentalia, personalia, originaria hominis, i. e. illa, quae homo habet ipsa sua natura et exsistentia: societas non habet rationem, cur omnino sit, nisi in tantum, in quantum haec iura tuetur. Neque admitti potest conceptio rationalistica, secundum quam homo *contractu sociali* renuntiat omnibus iuribus naturalibus, ut ipsa tamquam *civis* — et ita ex *concessione* legis positivae — statim reassumat. (Rousseau). Talis constructio aprioristica et

---

13 « Fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere ». Pius XI, Litterae Encyclicae: Quadragesimo Anno, die 15 maii 1931. (Acta Ap. Sedis 1931, 203). « Origine e scopo essenziale della vita sociale vuol essere la conservazione, lo sviluppo e il perfezionamento della persona umana... Ad ogni modo, in qualsiasi cambiamento o trasformazione, lo scopo di ogni vita sociale resta identico, sacro, obbligatorio: lo sviluppo dei valori personali dell'uomo, quale immagine di Dio... » Pius XII., Nuntius radiophonicus diei 24 decembris 1942. (Acta Ap. Sedis 1943, 12, 14.).

positivistica realitati obiectivae non satisfacit; homo enim est subiectum iurium et officiorum iuridicorum non demum ex concessione, respective ex impositione, legis positivae, sed quatenus antecedenter ad omnem societatem positivam est *persona coexsistens aliis hominibus.*

Hinc semper, i. e. supposita etiam exsistentia societatis positivae [14], habebuntur negotia iuridica iure *naturali* valide et efficaciter peracta, quamvis non peragantur in foro huius societatis positivae, a. v. quamvis normae huius societatis circa talia negotia, de se omnino legitimae, non fuerint observatae. Ita e. g. habetur obligatio naturalis heredis solvendi debitum hereditarii — quod hic certo contraxerit, imponendo private heredi solutionem — etsi de hoc debito in testamento publico sermo non est, nec illud aliunde probari potest. Haec obligatio constituit officium vere iuridicum, quia tenet heredem et erga hereditarium et erga creditorem hereditarii. Neque ullus iudex heredem ab hac obligatione naturali liberare potest tantum ex eo, quia de hac obligatione in testamento sermo non est, i. e. quia obligatio heredi non imponitur modo determinato a lege positiva.

IV

Hisce tamen non negamus, immo explicite affirmamus, societatem positivam suis legibus afficere posse valorem et efficaciam *naturalem* negotiorum iuridicorum, quae in eius foro peraguntur. A. v. conditiones et solemnitates requisitae ad peragendum negotia iuridica respicere possunt non tantum recognitionem in foro publico societatis, sed ipsum valorem et efficaciam in se. Verum quidem est legem positivam suis dispositionibus non necessario afficere — nec semper afficere posse — directe valorem et

---

14 In sequentibus societatem positivam intelligimus publicam, perfectam, quae gaudet potestate condendi proprium ius positivum.

efficaciam naturalem negotiorum iuridicorum. Interdum negotia iuridica, quae peraguntur non servatis normis positivis, habentur tantum rescindibilia; interdum talibus negotiis negatur actio iudicialis; interdum certa negotia habentur invalida vel inefficacia in foro publico, ita ut instituta actione iudiciali nulla declarentur. Sed etiam in hisce casibus — supposita lege positiva de se non iniusta et exclusa fraude — sententia iudicis, si habetur, *definitive constituit iura,* i. e. constituit iura non tantum in foro societatis positivae, sed etiam *naturaliter* [15].

Immo, praestat « notare in prima opinione (scl.: actus naturaliter remanent validi, usque dum irritantur

---

[15] Ita omnes auctores. Immo sunt auctores, qui affirmant iam ante iudicis sententiam dispositiones legis positivae circa negotia iuridica afficere directe eorum valorem et efficaciam naturalem. Ob hanc rationem e. g. SUAREZ (De Legibus, Lib. V, Cap. XX.) affirmat obligationem in conscientia « ad omnia quae intrinsece ex irritatione nascuntur ... si lex illa consequitur effectum suum, actus est nullus; ergo nullum confert ius; ergo si actus ille sit acceptio, vel acquisitio alicuius rei, ex tali lege sequitur obligatio non utendi, nec fruendi illa re tanquam propria, nec contrectandi eam illo modo quo rem alienam contrectare non licet ... Ergo proportionalis obligatio sequitur ex omni lege irritante et consequente effectum, quocumque titulo vel ratione irritatio fiat, quia obligatio non sequitur ex titulo irritationis, sed ex effectu ipso, et effectus idem est, quocumque titulo fiat ». (nr. 14.).

REIFFENSTUEL (Ius canonicum universum, Tom. I. Lib. I. Tit. II. § 11, nr. 253) eadem affirmat. Tamquam rationem affert paritatem actus irriti ex lege positiva cum actu irrito iure naturali. « Ex huiusmodi actu, sive contractu nullus effectus, nullaque obligatio, ne quidem pro foro conscientiae oritur; adeoque inde acquisita, etiam in conscientia, et ante omnem iudicis sententiam, restitui debent. Ita unanimis Doctorum. Ratio est: quia actus ita plenissime infirmatus, tam quoad obligationem, civilem scilicet, quam quoad naturalem, aequiparatur actui, qui iure naturali est irritus; sicque nullum penitus valorem habere potest, sicut nec iste habet ». Cf. etiam A. LEHMKUHL S. I., Theologia Moralis, Vol. I. Friburgi Brisgoviae, 1898[9], nr. 1071 ss. A. VERMEERSCH S. I., Quaestiones de iustitia. Brugis 1904[2], nr. 326 ss. A. VAN HOVE, De Legibus Ecclesiasticis, Mechliniae 1930, nr. 168.

per sententiam iudicis, sive agatur de actu non exsistente propter defectum non servatae debitae formae, sive de actu nullo) supponi, quod principio non sit derogandum ex ipsa materia, ex fine legis aut e speciali signo voluntatis legislatoris »[16].

Sunt igitur negotia iuridica, quae ipsa natura sua non concipiuntur nisi tamquam naturalia, i. e. negotia iuridica, quae gaudent valore et efficacia *simpliciter* aut ea omnino non gaudent; valor et efficacia horum negotiorum iuridicorum non potest restringi ad forum alicuius societatis positivae; ita omnes contractus de bono aut de actione nexu physico ad personam pertinente, e. g. matrimonium, contractus operae. In hisce casibus ius et officium ad debitum coniugale vel ad laborem exigendum respective praestandum habetur simpliciter aut non habetur. Bene notandum est hic nunc non agi de possibilitate *probandi* valorem matrimonii, nec de obligatione praestandi laborem — quae alio titulo haberi potest praeter contractum — agitur hic tantum de quaestione, utrum habeatur *reapse* matrimonium — contractus de vinculo naturali — respective contractus operae necne. Praeterea bene notandum est nos non negare legem positivam etiam tales contractus afficere posse; immo etiam hoc omnino affirmamus. Dicimus autem legem positivam legitime et efficaciter tangentem tales contractus afficere necessario directe valorem et efficaciam *naturalem* ipsius negotii iuridici: matrimonium validum tantum in foro societatis positivae — negato valore naturali — non est matrimonium, contractus operae validus tantum in foro societatis positivae non est contractus operae.

Porro, etiam in casibus, in quibus lex positiva directe non versatur — et forte versari non potest — circa valorem et efficaciam naturalem negotiorum iuridicorum, hic valor et haec efficacia naturalis tandem aliquando

---

[16] Van Hove, l. c.

tangitur. Ita, si denegatur actio iudicialis negotio iuridico, haec actio denegatur negotio de se *naturaliter valido;* si negotium iuridicum rescinditur, tollitur *valor* vel *efficacia naturalis,* quae antea adest; si negotium iuridicum declaratur nullum, habetur *nullum naturaliter.* Utrum in hoc ultimo casu fuerit reapse nullum etiam naturaliter inde a principio, an potius auferatur valor et efficacia naturalis, quam antea habuerit, dependet a singulis negotiis iuridicis. Ita e. g. distributio hereditatis facta omnibus consentientibus secundum testamentum informe per se potest esse naturaliter valida. Pariter contractus emptionis-venditionis carens solemnitatibus lege positiva statutis, sed qua talis non prohibitus hac lege positiva, naturaliter validus et efficax est. Si dein a tertio quacumque de causa tale testamentum informe vel talis contractus informis impugnatur et ad eius instantiam a iudice nullus declaratur, valor et efficacia naturalis tollitur, et iura naturalia definitive determinantur ad normam legis positivae. E contra contractus qui lege positiva iusta omnino prohibetur, nisi fiat servatis solemnitatibus determinatis — e. g. si pro alienatione bonorum immobilium absolute requiritur inscriptio in libro publico — inde a principio naturaliter invalidus est.

Hinc tamquam conclusionem generalem hoc principium statuere possumus: Lex positiva iusta tangens valorem aut efficaciam negotiorum iuridicorum sive directe — i. e. negotium iuridicum ipsum (ante sententiam iudicis) — sive indirecte — i. e. per sententiam iudicis circa negotium iuridicum — afficit valorem et efficaciam naturalem. Hoc principium affirmamus pro illis saltem negotiis iuridicis, quae constituunt exercitium *facultatis naturalis* peragendi negotia iuridica et quidem negotia iuridica, quae effectum habent definitivum et indivisibilem. Exempla habentur in illis, quae supra dicta sunt: Ita matrimonium — contractus de vinculo naturali — est vere tale simpliciter aut non est

tale omnino. Titius tandem aliquando (i. e. saltem post sententiam iudicis) est proprietarius huius rei simpliciter et pro omnibus aut non est talis omnino — tertium non datur.

Non affirmamus hoc principium pro illis negotiis iuridicis, quae constituunt exclusive exercitium *facultatis*, quae ab ipsa *societate positiva* membris eius — aut etiam extraneis — confertur. In hisce enim casibus ex supposito non agitur de exercitio facultatis naturalis.

Conceptio autem, quae valorem et efficaciam *omnium* negotiorum iuridicorum restringit ad forum societatis positivae, in quo peraguntur, principiis positivismi philosophici-iuridici fundatur. Revera, si societas positiva est fons *omnis iuris*, non potest esse sermo de relationibus iuridicis naturalibus nec de effectu naturali negotiorum iuridicorum, quae in foro societatis positivae peraguntur. Si autem ordo iuridicus positivus est « prorogatio » et « determinatio » ordinis iuridici *naturalis*, quatenus vita socialis naturalis indiget « suppletione » et accipit maiorem perfectionem ex parte societatis positivae, ordo iuridicus positivus inservit ordini iuridico naturali; hinc, in quantum ordo iuridicus positivus ordinatur in ordinem iuridicum naturalem, in tantum lex positiva afficiens negotia iuridica afficit eorum valorem et efficaciam naturalem.

V

Principium modo enuntiatum praebet responsum ad quaestionem, num et quo ambitu negotia iuridica in foro societatis positivae peracta exigant *recognitionem* ex parte *alterius societatis* positivae, quando illa negotia iuridica ratione sive subiecti, sive obiecti tangant forum huius societatis:

Negotia iuridica in foro societatis positivae peracta ab altera societate positiva non possunt simpliciter igno-

rari; potius recognoscenda sunt saltem in tantum, in quantum habent *valorem et efficaciam naturalem* definitivam et indivisibilem. Probatio huius asserti habetur in eis quae supra dicuntur de fine subsidiario totius vitae socialis; societatis est favere evolutioni personali membrorum, non autem illam destruere, societatis est tueri iura quaesita, non autem illa auferre. Ita e. g. proprietarius bonorum, quae ab eo legitime acquisita sunt — dominio naturali — in foro societatis positivae, manet et recognoscendus est talis etiam in foro alterius societatis positivae.

Concedendum autem est applicationem huius principii supponere iustam esse legem illam positivam, quae versatur circa negotia iuridica in foro societatis positivae peragenda. Hinc difficultates, quae ex applicatione principii modo enuntiati forte oriri possunt, reducuntur ad hanc quaestionem: *Num et qua mensura societas positiva negotia iuridica quae in eius foro peraguntur, afficere valeat?* Cum potestas societatis positivae (necessariae) determinetur et limitetur fine eius, i. e. per bonum commune, societas positiva negotia iuridica in eius foro peragenda afficere valet, si et in quantum hoc requiritur ad *bonum commune*. Bonum commune revera interdum — praesertim nostris temporibus evolutae vitae socialis — requirere, ut negotia iuridica fiant determinata forma et solemnitate, dubium esse non potest. Hinc ipsam potestatem *in genere* societatis positivae afficiendi negotia iuridica nemo est qui neget.

Quod attinet hanc potestatem *in specie*, sermo iam fuit de variis gradibus « intensitatis », qua negotia iuridica lege positiva affici possunt. Potest negotio iuridico denegari actio iudicialis, potest negotium iuridicum haberi rescindibile, potest negotium iuridicum haberi nullum in foro publico, potest negotium iuridicum haberi nullum in se et forte insuper esse prohibitum. In quaestione de lege ferenda aut de interpretanda lege dubia non est statuenda respective admittenda maior « intensi-

tas » quam illa, quae ad bonum commune requiritur. Ex supposito enim agitur de facultate naturali, circa quam homo qua persona per se est liber. Principium subsidiaritatis vitae socialis auctoritati sociali non permittit limitationem libertatis personalis ultra necessitatem pro bono communi.

Quod attinet *res et actiones*, quae, quando constituant obiectum negotii iuridici, admittunt influxum legis positivae, quaeritur, utrum constituant medium — sive positivum (conferendo), sive negativum (obstaculum ponendo) — ad finem, i. e. ad bonum commune societatis. Ad bonum commune enim obtinendum membra societatis cooperari debent bonis et actionibus suis externis. Notandum tamen res et actiones rationem medii ad finem societatis habere posse non tantum per se, i. e. natura sua, sed etiam per accidens, i. e. *ratione circumstantiarum* in concreto, aut *ratione subiecti* negotii iuridici. Ita e. g. transmissio magni capitalis, etsi privati, extra territorium societatis publicae temporibus anormalibus verum damnum pro societate constituere potest, quod damnum temporibus ordinariis forte non habetur. Negotia iuridica de se indifferentia pro societate forte non sunt indifferentia, si peraguntur ab officialibus ipsius societatis.

Quod attinet itaque *quaestionem principii*, qualia negotia iuridica lex positiva afficere valeat, dubium non videtur haberi: Criterium est *necessitas boni communis*. Dubium haberi potest ex difficultate discernendi in concreto, utrum agatur de medio necessario ad bonum commune necne, utrum maior gradus « intensitatis » requiratur an minor etc. Nostra hic interest tantum statuere ipsum p r i n c i p i u m : Legem positivam iustam afficere posse valorem et efficaciam negotiorum iuridicorum. Consequenter valor et efficacia naturalis, definitiva et indivisibilis negotiorum iuridicorum, quae peracta sunt ad normam talis legis, data occasione etiam *in foro alterius societatis positivae recognoscenda* sunt.

Applicandum est hoc principium praesertim — etsi non exclusive — quoad negotia iuridica in foro alicuius societatis civilis peractae ac in foro alterius societatis *civilis* recognoscenda, necnon quoad negotia iuridica in foro *canonico* peracta, recognoscenda in foro civili, et viceversa. Ita iudex ecclesiasticus — e. g. si talis quaestio nasceretur tamquam causa incidens in actione possessoria — non posset sufficientem habere consensum naturaliter validum infidelium ad matrimonium contrahendum, si efficaciae talis consensus obstaret impedimentum legitimum iuris civilis [17]. Neque iudex societatis civilis validam habere posset alienationem bonorum ecclesiasticorum peractam sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici requisita ad normam can. 1530 § 1, 3.

VI

Hinc negotia iuridica in foro canonico legitime peracta [18] per se in foro civili recognoscenda sunt. Mentione vix opus est recognoscenda esse tantum illa negotia, circa quae Ecclesia sit competens. Non negamus quoad criteria quibus distinguuntur bona et negotia, quae competentiae Ecclesiae respective Status sint attribuenda, necnon quoad applicationem criterii certi in casu particulari, dubia et quaestiones difficiles haberi et oriri posse. De hisce quaestionibus hic non intendimus agere; abunde sermo esse solet de eis in tractatibus iuris publici Ecclesiae. Sufficiat notare hic potestatem Ecclesiae,

---

[17] « Principes civiles vi potestatis publicae etiamnunc pro suis subditis non baptizatis inter se matrimonium celebrantibus rationabilia et iuri divino conformia impedimenta dirimentia et prohibentia statuere valeant ». (F. X. Wernz S. I., P. Vidal S. I., Ius Canonicum, Tom. V. Romae 1928², nr. 67.).

[18] In sequentibus hoc termino intelliguntur semper illa saltem negotia iuridica in foro canonico peracta, quae gaudent validitate et efficacia naturali, definitiva, indivisibili.

etiamsi versatur circa bona et negotia natura sua temporalia, esse *spiritualem*, quatenus talia bona et negotia iuridica competentiae Ecclesiae subsunt ratione ordinationis in finem Ecclesiae, qui est spiritualis [19]. Hisce dictis suppositis debitam habemus recognitionem negotiorum iuridicorum, quae in foro canonico peraguntur, in foro civili.

Nostris autem temporibus in plurimis regionibus negotia iuridica ecclesiastica qua talia non solent esse recognita in foro civili. Verum est talia negotia iuridica saepe pro obiecto aut pro effectu habere res, circa quas etiam potestas civilis, etsi sub diverso respectu, est competens. Ita e. g. sine dubio legitime in foro civili exigi potest inscriptio matrimonii contracti ad obtinendos *effectus mere civiles*. Non autem posset exigi a fidelibus *praestatio* respective *renovatio consensus* matrimonialis (i. e. circa ipsum vinculum matrimonii), quae pertinet exclusive et definitive ad forum canonicum.

Non intendimus hic agere de quaestione num et quo ambitu fideles possint praestare ea, quae in foro civili imponantur, quamvis spectent per se ad forum canonicum. Notamus tantum ipsum Codicem Iuris Canonici saepius imponere obligationem peragendi negotium iuridicum in *foro civili*, etsi per se negotium iuridicum in foro canonico peractum habet effectum definitivum [20]. Agitur in hisce casibus de negotiis iuridicis fori civilis, quae una ex parte non sunt natura sua contra normam canonicam,

---

19 « Weil ' Rechtskirche ' und ' Geistkirche ' erst zusammen *die* Kirche bilden, eben weil das äussere und das innere Leben der Kirche erst zusammen das wahre, volle, ganze Leben der Kirche ausmachen, eben weil ' Rechtsleben ' und ' Geistleben ' eine Einheit bilden, steht das Kirchenrecht nicht nur in äusserer Beziehung zum übernatürlichen Leben der Kirche; es ist dessen integrierender Bestandteil, es ist selbst übernatürlicher Natur ». (W. Bertrams S. I., Die Eigennatur des Kirchenrechts. Gregorianum, 1946, 544).

20 Cf. e. g. can. 581 § 2; can. 1301 §§ 1, 2.

ct ex altera parte agitur de effectu canonico necessario obtinendo, qui de facto obtineri potest tantum, si accedit negotium iuridicum *fori civilis*, aut qui secure obtineri potest tantum, si tale negotium fori civilis accedit.

Ex eo autem, quod in hisce casibus norma canonica exigit negotium iuridicum fori civilis — et a fortiori in casibus, in quibus tale negotium iuridicum fori civilis a norma canonica non imponitur vel etiam reprobatur — concludi non potest ad *duplicem capacitatem iuridicam subiecti* talium negotiorum vel ad *duplicem ordinem iuridicum* circa bona, quae sunt obiectum talium negotiorum iuridicorum. Ita religiosus professus a votis solemnibus est incapax habendi et acquirendi sibi bona temporalia, ad normam can. 581 et 582. In foro civili professio solemnis nostris temporibus generatim non habet effectum reddendi religiosum incapacem habendi et acquirendi sibi bona temporalia. Haec autem capacitas fori civilis, quam professio solemnis non tangit, non est vera capacitas iuridica. Capacitas iuridica habendi et acquirendi sibi bona temporalia de se est *iuris naturalis;* haec capacitas iuridica *naturalis* professione solemni tangitur. Proinde non potest religiosus simul esse *capax et non capax* habendi et acquirendi sibi bona temporalia.

Si tali religioso post professionem solemnem quovis modo obveniunt bona temporalia, haec: « 1. In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones; 2. In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem » (Can. 582). Potest autem esse, quod circa acquisitionem horum bonorum requiritur negotium iuridicum fori civilis; e. g. quando agitur de hereditate ex testamento publico, religiosus illam in foro civili potest admittere aut recusare aut cedere tertio. Nihil autem horum potest facere religiosus valide nomine *proprio*. Negotium iuridicum, quod religiosus in tali casu valide peragit — validitate naturali — necessario peragit nomine Ordinis vel provinciae vel do-

mus, etsi in negotio iuridico fori civilis haec *vicarietas* non apparet.

Pariter alienatio bonorum ecclesiasticorum peracta, quin habita fuerit licentia legitimi Superioris, requisita ad normam can. 1530 § 1, 3, est invalida *naturaliter,* etsi de cetero omnia praestantur quae iure civili requiruntur ad respectivum contractum stipulandum, qui qua tale etiam iure canonico admittitur [21].

Pariter non datur fidelium matrimonium — contractus de ipso vinculo naturali — civiliter validum et canonice invalidum. Contractus matrimonialis fidelium est aut *naturaliter* validus et efficax aut naturaliter non est talis.

Personae morales ecclesiasticae in plurimis regionibus capacitate iuridica in foro civili non gaudent, aut non gaudent, nisi in quantum explicite, e. g. per Concordatum, recognoscuntur. Hinc habetur saepissime necessitas condendi ens iuridicum respectivae legislationis civilis, cui in foro civili bona determinatae personae moralis ecclesiasticae (dioecesis, paroecia, domus religiosa etc.) attribuuntur. Attamen tali agendi modo natura iuridica bonorum reapse non mutatur; talia bona manent etiam iuridice (naturaliter) in dominio personae moralis *ecclesiasticae;* talia bona manent bona *ecclesiastica.* Omnia quae in foro civili fiunt, fiunt *nomine personae moralis ecclesiasticae,* etsi talis vicarietas in foro civili manifestari non potest. Proinde ad negotia iuridica circa haec bona valide peragenda dispositiones *canonicae* attendendae sunt.

---

21 « Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur » can. 1529. « Ecclesia non tenetur respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initi, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit ». can. 1527 § 2.

Sicuti res nunc de facto se habent, divergentiae inter forum canonicum et forum civile non possunt semper evitari. Si conditio canonica personarum et bonorum obtineri potest etiam in foro civili, saepe optandum est, ut talis conditio etiam in foro civili efficiatur, immo, habetur interdum — uti supra diximus — stricta obligatio creandi in foro civili conditionem iuridicam, quae conditioni fori canonici correspondet.

W. Bertrams S. I.

DE NEO-CONVERSORUM RECEPTIONE IN ECCLESIAM

Acatholicus adultus, qui in Ecclesiam catholicam vult ingredi diligenter in fide catholica instruendus est et insuper accurate investigandum est utrum recta intentione ducatur.

Quodsi sufficienter instructus est ac de eius recta intentione certitudo habetur moralis in gremium Ecclesiae admitti potest.

Quomodo vero haec admissio fieri potest?

Semper inquirendum est primum utrum convertendus sit valide baptizatus. Haec investigatio fieri potest a sacerdote, qui instructionem catecheticam dedit; si vero post diligentem inquisitionem remanet probabile dubium sacerdos non potest decernere quid faciendum sit: debet facta, quae inquirendo detegit nuntiare Ordinario, qui iudicet quomodo ulterius procedendum sit. Hic recursus ad Ordinarium in Codice non praescribitur, sed certo est ad mentem legislatoris: iuxta can. 1031 § 1. 3° parochus debet consulere Ordinarium si existit impedimentum matrimonale dubium; imo iuxta can. 767 si dubium est utrum patrinus valide vel licite admitti possit; quare a fortiori consulendus est Ordinarius si dubium versatur circa ipsum valorem baptismi.

Circa baptismum triplex hypotesis verificari potest:

1. — Convertendus certo baptizatus non est, aut baptismus collatus certo invalidus est;

2. — Convertendus certo baptizatus est neque dubitari potest de valore baptismi collati;

3. — Convertendus est dubie tantum baptizatus, aut baptismus collatus est dubii tantum valoris.

Quid in singulis casibus faciendum est?

Ad 1. — Si convertendus certo valide baptizatus non est, baptizandus est absolute. Plures canones huic casui applicari debent:

Can. 744. — Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato sollemnius conferatur.

Etiamsi delegatus Ordinarii loci est simplex sacerdos, baptismus sollemniter conferendus est (can. 755 § 1); si commode fieri queat in pervigilio Paschatis aut Pentecostes (can. 722); tempore matutino, quia iuxta can. 753 § 2 nisi graves, urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat. Tam sacerdotem qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos. (can. 753 § 1).

Ordinarius loci ad quem baptismus adultorum deferendus est videtur esse Ordinarius proprius baptizandi, seu Ordinarius loci in quo baptizandus domicilium habet, non Ordinarius loci in quo baptizandus actu commoratur: dicitur enim de baptismo parvulorum in can. 738 § 2. « Etiam peregrinus a parocho proprio in sua paroecia sollemniter baptizetur, si id facile et sine mora fieri potest »; analogice, adultus ab *Ordinario proprio in sua dioecesi* sollemniter baptizetur, si id facile et sine mora fieri potest.

Ordinarius vel eius delegatus potest baptizare adultum in Ecclesia cathedrali sive in qualibet alia ecclesia, quae habet ius fontis baptismalis, intra fines dioecesis. Non requiritur ut baptismus fiat in paroecia propria baptizandi. Quare, qui delegatus ab Ordinario adultum baptizat non indiget licentia parochi proprii baptizandi de qua in can. 738 § 1, neque indiget licentia parochi in cuius territorio baptismus confertur, de qua in can. 739, nisi baptismus conferatur extra territorium Ordinarii delegan-

tis; delegatus enim sicut et ipse Ordinarius loci potest baptizare quemlibet subditum in toto territorio.

Si baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abiuratio, nec absolutio. Ita Instructio S. C. S. Officii diei 20 Iulii 1859 ad Ep. Philadelphiae. (*Collectanea S. C. de Prop. Fide* Vol. I Romae 1907, n. 1178).

Additur in hac Instructione: « eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis ». Clarum est hoc ultimum non valere de obligatione abiurationis: haec obligatio enim non tollitur baptismo, sed nunquam adfuit: neque valet de absolutione a censura, quae non requiritur, quia non-baptizatus non potest incurrere censuram, sed valet tantum de absolutione sacramentali peccatorum: peccata enim ante baptismum commissa baptismo abluuntur.

Non requiritur abiuratio haeresis, etiamsi convertendus ante baptismum doctrinas haereticales professus sit, conventus haereticales frequentaverit vel sectae haereticae adscriptus fuerit: nam qui non est baptizatus non potest esse haereticus: ad normam Iuris, « in Ecclesiam rebellis esse nequit, qui illius *subditus* non est, neque Ecclesia in hominem per baptismum nondum sibi subiectum poenas infligere ... valet ». Ita Wernz-Vidal, F. X.; *Ius canonicum* tom. VII. Ius poenale ecclesiasticum. Romae 1937 n. 389.

Quare, qui non sunt baptizati non possunt committere *peccatum* haeresis, ideoque neque possunt esse reos *delicti* haeresis, neque subsunt poenis in haereticos latis. Quod sequitur ex natura rei, sed etiam verbis Codicis clare et expresse indicatur: dicit enim can. 1325 § 2: « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus ... est ».

Non requiritur alia ac in ipsis ceremoniis baptismi professio fidei: qui enim non sunt baptizati sunt « infideles »; nullibi vero pro infidelibus praescribitur pro-

fessio fidei secundum determinatam formulam, quod quidem fit si agitur de haereticis vel schismaticis vel apostatis qui cum Ecclesia reconciliari debent.

Ad 2. — Convertendus certo valide baptizatus est:

Variae hypoteses verificari possunt:

a) Convertendus baptizatus est in Ecclesia catholica;

b) Convertendus baptizatus est in secta.

Ad a) si convertendus baptizatus est in Ecclesia catholica triplex casus possibilis est:

1) baptizatus est quidem in Ecclesia catholica vg. infans baptizatus in periculo mortis, sed sine ulla religione educatus est, nec doctrinas haereticales professus est, nec unquam communicationem cum haereticis habuit nec unquam sectae adscriptus fuit, imo neque nomen christianum habet: vulgo consideratur homo sine religione.

Talis homo non est haereticus, quia cum desit omnis cognitio fidei catholicae deest quoque pertinacia, neque est apostata, non enim recedit a fide, quam nunquam agnovit. Quare simpliciter adnumerandus est catholicis, pro reconciliatione sufficit confessio sacramentalis peccatorum post baptismum commissorum et absolutio sacramentalis, dum vita futura christiana sufficiens erit professio fidei.

2) baptizatus est quidem in Ecclesia catholica, sed iam ab infantili aetate in haeresi vel schismate educatus est: talis homo prorsus aequiparandus est iis, qui sunt baptizati et educati in haeresi et schismate: de his infra, sub b).

3) convertendus baptizatus est in Ecclesia catholica, catholicam recepit educationem, sed in adulta aetate a fide catholica defecit: ideo factus est haereticus, vel schismaticus vel apostata, et quidem praesumendus est haereticus formalis: adest enim pertinacia: qui catholice educatus est certo novit doctrinam quam profitetur esse

fidei catholicae oppositam; probabiliter quoque adest contumacia, quia quivis catholicus scit communicationem cum haereticis ab Ecclesia prohiberi atque exclusione a communione fidelium puniri. Quare catholici, qui facti sunt haeretici vel schismatici vel apostatae, rei sunt *delicti* haeresis etc. et ideo indigent absolutione a censura. Vix unquam poterunt sufficienter reparare scandalum sine abiuratione et absolutione in foro externo: quare delictum deducendum est ad forum externum Ordinarii loci: post praeviam abiurationem iuridice peractam absolvendi sunt in foro externo, ab Ordinario loci vel eius delegato.

Delegatus ab Ordinario ad dandam absolutionem in foro externo potest eo ipso recipere abiurationem: dicit enim can. 200 § 1: cui delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non potest. Absolutio vero dari non potest sine praevia abiuratione iuridice peracta.

Ordinarius loci hic intelligitur Ordinarius illius loci in quo convertendus actu commoratur, qui potest esse alius ac Ordinarius proprius convertendi, quia recursus non fit ad forum iudiciale.

Adnotat Wernz-Vidal o. c. n. 384 formam absolutionis et formulam abiurationis non esse easdem ac in Instructione S. C. S. Officii, de qua supra: Instructio data est pro haereticis baptizatis in haeresi, in casu vero agimus de baptizatis in Ecclesia catholica.

Forma absolutionis debet esse forma, quae invenitur in Rituali Romano Tit. III de Poenitentia, cap. III de absolutione ab excommunicatione in foro externo.

Formula abiurationis est ea, quae pro apostatis et sic dictis veteribus catholicis praescribitur, est professio fidei iuxta formulam a Summo Pontifice Pio IX praescriptam. (Decr. S. C. Concilii diei 20 ianuarii 1877; Collectanea n. 1464).

Ad b). Convertendus baptizatus est in secta.

1) Sed sine ulla religione educatus est et vivit: ad nullam sectam pertinet, nec doctrinam haereticam professus est.

Certo non est haereticus neque apostata, quia solo baptismo in secta infans non fit haereticus: ut quis sit haereticus requiritur actus humanus, scil. peccatum formale haeresis. Si vero non est haereticus, estne catholicus? Videtur respondendum esse: negative. Nullo enim actu proprio positive Ecclesia catholica adhaesit.

Praesumeretur haereticus in foro externo. Sed detectis eius baptismo et practico atheismo Ordinarii esset quid in eius casu faciendum ut in Ecclesiam reciperetur, determinare.

2) Baptizatus in secta aliquam relationem ad hanc sectam vel ad haereticos vel schismaticos habuit.

Variis modis potest aliquis externe profiteri haeresim:

potest profiteri doctrinam haereticam;

potest frequentari conventus haereticorum;

potest esse sectae adscriptus;

potest propagare haeresim.

Convertendus solummodo doctrinam haereticam professus est.

Estne ideo haereticus?

Professio doctrinae haereticae potest provenire ex iudicio falso: sed solo iudicio falso etiam externe prolato non constituitur haeresis formalis.

ut adsit *peccatum* haeresis requiritur insuper pertinacia i. e. requiritur ut qui profitetur falsam doctrinam sciat hanc doctrinam esse doctrinae Ecclesiae catholicae oppositam;

praeterea, ut adsit *delictum* haeresis quod censura canonica plecti possit requiritur contumacia, i. e. requiritur ut qui profitetur falsam doctrinam, quam scit esse oppositam doctrinae catholicae etiam sciat hanc professio-

nem falsae doctrinae lege ecclesiastica prohiberi atque poena canonica affici.

In foro interno credendum est asserenti: igitur confessarius investigare debet utrum adfuerit pertinacia et contumacia: si poenitens negat vel etiam si contumacia aut pertinacia tantum sunt dubia, non adest censura, quare paenitens a quocumque confessario in foro interno absolvi potest.

Non requiritur solemnis abiuratio haeresis, sufficit detestatio quaedam et denegatio errorum.

Quodsi ex confessione paenitentis appareat eum revera fuisse haereticum formalem contumacem certo innodatus est censura de qua in can. 2314. Quae censura in foro interno speciali modo est reservata Romano Pontifici; confessarius simplex igitur non potest dare absolutionem nisi in periculo mortis vel in casu urgenti.

Sacerdos speciali facultate praeditus potest dare absolutionem in foro interno. Si agitur de haereticis formalibus semper requiritur praevia abiuratio haeresis, sed si absolutio datur tantum in foro interno sufficit abiuratio privata coram confessario nec specialis formula praescribitur. Forma absolutionis est consueta formula, quae praecedit absolutioni sacramentali.

Haec de foro interno; quid vero si agitur de foro externo? Dicit can. 2251: « Si absolutio censurae detur... in foro interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit ».

Hic canon applicari potest etiamsi agitur de censura propter haeresim. In codice enim nulla imponitur *stricta obligatio* deducendi delictum haeresis ad forum externum Ordinarii loci aut petendi absolutionem in foro

externo: dicit enim can. 2314 § 2: « *si* delictum ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit ... ».

Si crimen haeresis semper necessario deferendum esset ad forum externum, reservatio absolutionis in foro interno, de qua in can. 2314 § 2 nullum haberet sensum, quia iuxta can. 2251 absolutio in foro externo data, utrumque forum afficit.

Dices: absolutio in foro interno sufficit si crimen est omnino occultum, si vero crimen est publicum res deferenda est ad forum externum Ordinarii.

Respondeo: si crimen est publicum materialiter *et* formaliter res est deferenda ad forum externum Ordinarii, transeat;

si crimen materialiter quidem publicum est, formaliter vero occultum, quod de facto obtinet in multis regionibus ubi haereses iam diu existunt et multi sunt haeretici, non requiritur ut res deferatur ad forum externum Ordinarii loci; sic etiam explicatur quomodo S. Poenitentiaria potuerit dare facultatem absolvendi haereticos, etiam publicos, exceptis haereticis publice dogmatizantibus, sed in solo foro interno (Collectanea S. C. de Prop. Fide n. 1532).

Quamvis igitur obligatio deducendi delictum haeresis ad forum externum Ordinarii loci in iure directe non praescribitur aliunde oriri potest et quidem ob diversas causas:

saepe sola absolutione in foro externo cum praevia abiuratione efficienter reparatur scandalum datum:

ita si agitur de catholicis, qui lapsi sunt in haeresim;

si agitur de haereticis in regionibus ubi pauci tantum sunt haeretici ubi haeresis noviter introducta est. Facilius vero absolutio in solo foro interno sufficere videtur si agitur de haereticis conversis in regionibus ubi multi sunt haeretici et ubi diu haeresis impune grassatur. Ut patet iudicium generale utrum in aliqua regione hae-

retici praesumendi sint bona fide et ideo utrum sufficiat absolutio in foro interno solum est penes Ordinarium loci.

In foro externo insuper attendendum est praesumptionibus iuris: Atqui iuxta can. 2316 est suspectus de haeresi, qui communicat in divinis cum haereticis: contra praescriptum can. 1258: i. e. qui *active* assistunt seu partem habent in sacris acatholicorum, imo etiam ii, qui mere materialiter seu *passive* assistunt, nisi civilis officii seu honoris causa excusantur: passiva enim assistentia sine ratione excusante est contra praescriptum can. 1258.

Iuxta eundem canonem 2316 est suspectus de haeresi, qui quovis modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat.

Haec suspicio iuridica est praesumptio quaedam iuris, quae afficit primario forum externum; videtur tolli sola abiuratione in foro externo: quare si agitur de iis, qui conventus haereticorum frequentaverint vel haeresim propagaverint necessaria videtur absolutio in foro externo ut a suspicione haeresis purgentur.

Iuxta can. 2314 § 1. 3°, qui sectae nomen dederint vel publice adhaeserint sunt ipso facto infames: agitur hic de infamia iuris, quae est natura sua fori externi.

Praeterea iuxta can. 1240 § 1. 1°, sectae haereticae notorie addicti privantur sepultura ecclesiastica.

Absolutio vero a censura in foro externo non sufficit ut tollatur infamia: dicit enim can. 2295 « Infamia iuris desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa ... ». Clarum vero est dispensationem ab infamia non datum iri nisi praecesserit absolutio a censura.

Ut cesset poena privationis sepulturae ecclesiasticae non requiritur absolutio a censura: dicit ipse canon 1240: nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa.

Canon 985, 1° declarat irregulares ex delicto omnes apostatas a fide, haereticos et schismaticos: de hac irregularitate valet idem quod supra diximus de infamia iuris: non tollitur nisi dispensatione; dispensatio vero non

dabitur nisi praecesserit absolutio a censura, et quidem in foro externo: quare indirecte absolutio a censura in foro externo requiritur.

Notandum censura excommunicationis propter haeresim specifice differre ab aliis censuris excommunicationis:

Ceterae enim excommunicationes statuuntur lege positiva ecclesiastica. Peccata enim mortalia etiam ea, quibus adnexa est censura excommunicationis non necessario excludunt hominem a communione fidelium, peccatum vero apostasiae, haeresis vel schismatis *natura sua* peccatorem a communione fidelium excludit: haereticus ipso facto necessario est « excommunicatus ».

Inde sequitur reservationem huius censurae multum differre a reservatione ceterarum censurarum.

Si enim censura statuta a mera lege positiva pendet, ipsa lex positiva statuere potest quisnam poterit absolvere a censura, seu cuinam censura reservetur; si vero aliquis a lege positiva proxime sed remote ab ipso Iure divino ab unione Ecclesiae excluditur inquirendum est quisnam iure divino constitutus sit ad reconciliandum reum, qui est Romanus Pontifex et Episcopi: ipsi enim soli habent potestatem iurisdictionis in foro externo. Quare reconciliatio haeretici seu absolutio a censura excommunicationis propter haeresim necessario reservatur Ordinario, ex lege vero positiva ecclesiastica absolutio in foro interno specialiter reservatur Romano Pontifici. Reconciliatio haeretici non est actus ordinis sacerdotalis sed episcopalis: ideo non invenitur in Rituali Romano, est in Pontificali Romano.

Ad 3. — Convertendus est dubie baptizatus, sive factum baptismi sit dubium, sive baptismus certo collatus sit dubii valoris.

Clarum est convertendum esse baptizandum sub conditione, minus clarum est utrum indigeat absolutione a censura.

Si dubie baptizatus de facto est valide baptizatus potest committere *peccatum haeresis*, non vero potest incurrere poenam delicti haeresis: pro hac enim requiritur baptismus *certus*, in casu vero baptismi dubii ignoratur utrum adfuerit delictum.

Si dubie baptizatus de facto non est baptizatus non potest committere neque peccatum neque delictum haeresis.

Quare dubie baptizatus nunquam subest canoni 2314, qui supponit *delictum*: ideo non requiritur abiuratio iuridice peracta, neque requiritur absolutio a censura.

Difficultatem parit hac in re Instructio S. C. S. Officii iam pluries citata: dicitur enim in Instructione sub 2).

« Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedéndum erit:

a) abiuratio seu fidei professio;

b) baptismus conditionatus;

c) confessio sacramentalis cum absolutione conditionata;

At notandum videtur:

ad a) Abiuratio seu professio fidei, de qua in Instructione non est eadem ac abiuratio praevia, iuridice peracta, de qua in canone. Negamus dubie baptizatum subesse canoni 2314, non negamus eum subesse legi divinae profitendi fidem, praesertim si diu extra Ecclesiam vixit, neque negamus Ecclesiam pro hac professione fidei praescribere posse determinatam formulam, quod S. C. S. Officii in dicta Instructione fecit.

ad c) Absolutio conditionata videtur esse absolutio sacramentalis, dicitur enim « *confessio sacramentalis* cum absolutione conditionata ».

Neque in casu baptismi dubii necessaria est « absolutio a censura *ad cautelam* ». Absolutio enim ad cautelam non datur pro censura dubia, — censura dubia *nullam* imponit obligationem — sed absolutio a censura ad cau-

telam datur pro censura, quae certo aliquando adfuit, sed nunc fortasse ex inadvertentia vel oblivione sive poenitentis sive confessarii ignoratur: censura enim quam quis semel incurrit non tollitur nisi absolutione. Ideo in omni confessione sacramentali absolutioni sacramentali preacedit absolutio ad cautelam a censuris. Haec explicatio confirmatur can. 2245 § 4 coll. can. 2247 §3: Codex enim clare distinguit inter reservationem ignoratam et reservationem dubiam:

reservatio enim *dubia,* iuxta can. 2245 § 4 non urget, etiamsi agitur de censura specialissimo modo reservata Sanctae Sedi; de reservatione vero *ignorata* dicit can. 2247 § 3: « Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata ». Ideo per se reservatio ignorata urget, datur vero in hoc canone expresse potestas absolvendi exceptis casibus indicatis.

Quod supra diximus de reservatione possumus etiam applicare ipsis censuris: censura dubia non urget; censura vero quam quis semel incurrit non cessat si nunc ignoratur, sed cessat sola absolutione.

Quomodo igitur dubie baptizatus reconciliandus est?

a) Abiuratione seu fidei professione: pro hac abiuratione et fidei professione non requiritur forma iuridica de qua in can. 2314; neque requiritur formula specialis praescripta in Instructione S. C. S. Officii: Instructio enim haec est formaliter particularis: data ad Episcopum Philadelphiae et certo obligatio adhibendi specialem formulam est mere disciplinaris.

b) Baptismus conditionatus: hic baptismus conditionatus iuxta can. 759 de licentia Ordinarii loci conferri potest privatim, cum solis ceremoniis, quae baptismum sequuntur. Ommittitur in hoc casu professio fidei, quae in ipsis ceremoniis ante baptismum habetur, quare expedit

praemittere baptismo aliquam professionem fidei, de qua sub a).

c) Confessio sacramentalis peccatorum, cum absolutione sacramentali « ad cautelam » : peccata enim sunt certo commissa sed dubitatur utrum baptismo conditionato sint remissa.

Ludovicus Buys S. I.

DUBIA MATRIMONIALIA

(SUPPLEMENTUM)

In fasciculo III (Periodica, XXXVIII (1949) 228 sqq.), in articulo « Dubia matrimonialia », quarto loco propositum fuit DUBIUM « De requisita nupturientium praesentia « ad normam can. 1088 § 1. — Expositis variis sententiis, conclusio fuit haec: *quaestionem privata auctoritate solvi non posse.* Postquam articulus iam fuit typis mandatus, edita est Responsio *Sancti Officii* d. d. 17 Maii 1949: canone 1088 § 1 teneri omnes baptizatos (qui iure Codicis subsunt); consequenter: exceptionem can. 1099 § 2 non comprehendere praeceptum « praesentiae », de quo in can. 1088 § 1.

Secundum notitiam, publicatam in « Münchener Theologische Zeitschrift », I (1950) pag. 92, S. Officium die 15 Julii 1949 in casu particulari matrimonii, initi inter absentes, ad Vicarium Capitularem dioeceseos Limburgensis (Germania) hoc dedit Decretum: « Re attente considerata, Suprema haec S. Congregatio respondendum censuit: si constet de baptismo saltem unius partis et de matrimonio celebrato inter absentes, contra praescriptum canonis 1088 § 1, matrimonium invalidum declarari posse, procedendo ad ordinarium tramitem iuris ».

His positis, in eodem folio periodico, in articulo « Staatliche Ferntrauung in kirchenrechtlicher Beurteilung » (pag. 91-97) examinatur quaestio: num generalis haec responsio S. Officii d. d. 18 Mai 1949 (AAS, XLI (1949) p. 427) dici debeat authentica interpretatio « *legis dubiae* », quae ideo non retrotrahatur et indigeat promulgatione, et vim suam non exserat nisi expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est (cf. cann.

17 § 2; 9). Auctor articuli censet: agi revera de interpretatione *legis dubiae* cum consequentiis iuridicis modo indicatis; ideo dictum responsum S. Officii non posse applicari ad matrimonia inter absentes, durante ultimo bello contracta; hinc Tribunalibus dioecesanis licitum esse non posse: ferre sententias nullitatis, si nullitas unice fundetur in neglecto praescripto « *praesentiae* ». Recte addit: mentem Ecclesiae non esse et — (si agatur de matrimoniis inter *duos* baptizatos initis et consummatis) — esse non posse: *solvere* vinculum matrimoniorum inter absentes ante Responsum d. 18 Maii 1949 initorum. (Unde deduci deberet: Responsum S. Officii ad Ordinarium Limburgensen sustineri non posse).

Quod ad rationes et argumenta attinet, quibus Auctor suam sententiam et interpretationem probat, sunt quoad substantiam eadem quae in allegato articulo in « Periodica » pag. 229, n. 30 exponuntur. Principalis ratio est: circumstantiam « praesentiae », si attendatur *res*, et non merus *formalismus iuridicus*, pertinere ad *formam*, in quantum « forma » opponatur « substantiae et rei » contractus; hinc exemptionem a « forma », de qua in can. 1099 § 2 comprehendere praescriptum praesentiae canonis 1088 § 1. Et si quis hanc argumentationem non velit admittere, eum debere admittere, quod de hac re habeatur saltem « dubium iuris ».

Argumentationem Auctoris putaverim non esse convincentem, immo contrarium esse statuendum. Agitur de aliqua re, quae *unice* pendet a libera voluntate legislatoris; nullo modo a *natura rei*. Quod autem voluit legislator, univoce manifestavit: a « forma », de qua in capite VI, exemit non-catholicos inter se contrahentes. Ergo ab hac, et non nisi ab hac, sunt exempti. Quid sit magis logice, magis conveniens, non intrat in quaestionem de lege *lata*. Si quis hunc modum videndi et argumentandi voluerit dicere « mere formalismum)», faciat; sed in casu hic modus formalisticus est unice verus; exhibet enim voluntatem le-

gislatoris, clare manifestatam. — Praeterea non quaelibet sentiendi diversitas inter *Canonistas* peritos et prudentes sufficit ad asserendum « dubium iuris » in sensu iuris; « dubium iuris » semper ultimatim debet intellegi *obiective,* et eruendum est ex rationibus, obiective dubium creantibus, attentis his rationibus tum in se, tum in relatione ad quaestionem particularem. Non enim una tantum est decisio Commissionis Pontificae, de qua quidam iudicarunt: eam esse sive extensivam sive restrictivam sive legis proprie dubiae interpretationem; sed postea fuerit explicite et auctoritative dictum: agi de interpretatione mere *declarativa.* Cum quadam exaggeratione dici potest: tunc tandem legem vel ordinationem esse vere « dubiam », quando ipse « prudens legislator » (vel auctoritates competentes, quae « ordinationem » statuerunt) concedere debent: de eius sensu vero posse dubitari.

Quod si in priore articulo fuerit dictum: quaestionem *privata auctoritate solvi non posse*: ratio non fuit, quia « lex fuit dubia », sed quia sunt casus, in quibus alii privatae sententiae numquam acquieturi praevidentur. — Iam ante decisionem S. Officii d. d. 18 maii 1949 ad casus propositos saepe responsum privatim dedi « constare mihi de nullitate matrimonii in distans ob neglectum praeceptum canonis 1088 § 1 ».

Possunt ergo et debent Tribunalia dioecesana in casibus, similibus casui Limburgensi supra allegato, sequi directionem Ordinario Limburgensi a S. Officio datam.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

MONUMENTA

10 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [31 ian. 1950] p. 121)

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A BEATISSIMO PATRE DATUS, PRIDIE PERVIGILIUM NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI A. MCMXLIX, ADSTANTIBUS EM.IS PP. DD. CARDINALIBUS ET EXC.MIS DD. EPISCOPIS AC ROMANAE CURIAE PRAELATIS.

L'attesa dei popoli

Non mai forse, come in questa vigilia che apre il fausto evento del nuovo anno giubilare, il Nostro cuore di Padre e di Pastore vi ha sentiti così stretti e vicini a sè, diletti figli e figlie dell'universo. Ci par di vedere e di ascoltare — nè il Nostro cuore C'inganna — il palpito di milioni e milioni di fedeli con Noi concordi quale coro immenso di fervide grazie, di vivi desideri, di umili invocazioni al Padre, datore di ogni bene, al Figlio, espiatore di ogni colpa, allo Spirito Santo, dispensatore di ogni grazia.

Sospinti da un profondo desiderio di liberazione spirituale, attratti dal fascino dei beni celesti, dimentichi per breve ora degli assilli terreni, voi vi rivolgete a Noi e quasi ripetete, ma in buon senso e con retta intenzione, la preghiera che fu giá rivolta al Redentore: dacci un segno dal cielo [1].

---

1 Marc. 8, 11-12; Luc. 11, 16.

Ebbene, *hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam eius;* il segno che attendete vi sarà oggi annunziato; il segno, anzi il mezzo di remissione e di santificazione domani stesso vi sará dato, nel momento in cui per le Nostre mani la mistica Porta sarà ancora una volta rimossa, aprendo l'adito al massimo tempio della Cristianitá, simbolo del Redentore Gesú, a Noi dato per Maria, affinchè tutti, incorporati in Lui, troviamo la salvezza: *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur* [2].

Da tutta la Chiesa di Cristo, che ha distese le sue membra sopra ogni plaga del nostro pianeta, in questi giorni si affisano gli sguardi a Roma, a questa Sede Apostolica, scaturigine perenne di verità, di salvezza, di bene.

Ci è noto quante speranze voi riponete in questo Anno Santo. Ferma è nel Nostro cuore la fiducia che la Provvidenza divina voglia operare in esso e per esso le meraviglie della sua misericordia verso la umana famiglia. E Ci sostiene la speranza che l'Angelo del Signore non incontri ostacoli nel suo cammino, bensì trovi spianate le vie e aperti i cuori da quel buon volere che piega il Cielo verso la terra.

Noi stessi, cui la Provvidenza divina ha riservato il privilegio di annunziarlo e donarlo al mondo intero, sentiamo il presagio della sua importanza per il prossimo mezzo secolo.

Ci sembra che l'Anno Santo 1950 abbia da essere determinante anzitutto per l'auspicata rinnovazione religiosa del mondo moderno, e risolutivo di quella crisi spirituale che stringe le anime del nostro tempo. L'auspicata armonia dei valori celesti e terreni, divini ed umani, ufficio e dovere della nostra generazione, si compirá o almeno si afretterà, se i fedeli di Cristo dureranno saldi nei concepiti propositi, proseguiranno tenaci nelle opere

---

[2] Io. 10, 9.

intraprese e non si lasceranno sedurre da vane utopie, nè sviare da interessi ed egoismi di parte.

Determinante altresì per l'avvenire della Chiesa, all'interno impegnata nello sforzo di rendere più schietta e piú diffusa tra il popolo la santitá dei suoi membri, membri, mentre all'esterno si studia di trasfondere e di espandere il suo spirito di giustizia e di amore anche nelle civili istituzioni.

L'apertura della Porta Santa

Animati da questi sentimenti e da questi voti, penetrati dalla dignitá di una tradizione che risale ai tempi del Nostro Predecessore Bonifacio VIII, Noi domani, nell'aprire con tre colpi di martello la Porta Santa, saremo consapevoli di compire non un atto puramente tradizionale, ma un rito simbolico di alta portata, non soltanto per i cristiani, ma per tutta l'umanità.

Noi auspichiamo che quel triplice colpo risuoni nel fondo delle anime di tutti coloro che hanno orecchie per intendere [3].

Anno Santo, anno di Dio,

di Dio, la cui maestá e grandezza condanna il peccato;

di Dio, la cui bontà e misericordia offre il perdono e la grazia a chi è disposto ad accoglierlo;

di Dio, che in questo Anno Santo vuole appressarsi ancor più all'uomo e tenersi a lui piú che mai vicino.

Quanti fanno del peccato una semplice « debolezza », e della debolezza perfino una virtú! *Equidem*, scriveva giá il pagano Sallustio [4], *nos vera vocabula rerum amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum re-*

---

[3] Cfr. Matth. 11, 15.

[4] *Catil.* 52.

rum audacia fortitudo vocatur. Trasformando artificiosamente il senso delle parole nelle più importanti questioni della vita pubblica e privata, essi nascondono ciò che la coscienza non vuol chiarire; coonestano ció che l'intimo della loro anima condanna; negano ció che dovrebbero lealmente riconoscere.

Quanti pongono al posto del vero Dio i loro idoli, ovvero, pur affermando la loro credenza in Dio e la loro volontà di servirlo, si fanno di Lui una idea, che è il prodotto dei loro propri desideri, delle loro proprie tendenze, delle loro proprie debolezze! Iddio nella sua immensa grandezza, nella sua immacolata santitá, Iddio la cui bontà comprende così bene i cuori che Egli stesso ha formati [5] e la cui benignitá è sempre pronta a venire in loro aiuto, non è rettamente conosciuto da molti. Perciò tanti cristiani per pura abitudine, tanti sbadati e incuranti, e d'altra parte tante anime tormentate e senza speranza, come se il Cristianesimo non fosse esso stesso la « buona novella ».

False idee di Dio, vane creazioni di spiriti troppo umani, che l'Anno Santo deve dissipare e scacciare dai cuori!

L'anno del gran ritorno e del gran perdono

La spontanea simpatia, con cui i popoli ne hanno accolto l'annunzio, conferma la fiducia che Noi stessi vi abbiamo riposto. Non sarà dunque una festivitá chiassosa, non un pretesto di pie distrazioni, neppure un vanitoso sfoggio di forze cattoliche nel senso inteso dal mondo, che fa consistere il felice successo nei momentanei consensi delle moltitudini. L'Anno Sato deve operare piú seriamente e più a fondo nelle anime, deve stimolare e promuovere più largamente le virtù private e pubbliche,

---

[5] Cfr. *Ps. 32,* 15.

deve essere ed apparire più intimamente e schiettamente cristiano.

Esso dovrà corrispondere all'arcano volere di Dio, dovrà segnalarsi come anno del gran ritorno, anno del gran perdono, nella misura almeno che l'età nostra è stata, anche nel recente passato, epoca di apostasia e di colpa.

I. - Anno del gran ritorno

Invito paterno

Rivolgiamo dunque fin da oggi al mondo intiero la Nostra voce, affinchè da tutti gli uomini e da ciascuno, da ogni plaga e da ogni lido, con l'urgenza propria dell'ora che volge, si compia l'auspicato grande ritorno. Il Nostro vuol essere soprattutto invito di padre che vive, fatica, soffre, prega e spera per il bene e la felicità dei figli. E tutti gli uomini sulla terra sono Nostri figli, saltem iure et destinatione, anche coloro che Ci abbandonarono, che Ci offesero, che Ci fecero e Ci fanno patire.

Figli lontani, smarriti, delusi e amareggiati, particolarmente voi, ai quali ingannevoli voci e forse anche incauta visione delle cose hanno spento nel cuore l'affetto che già nutrivate per la Santa Chiesa, non vogliate respingere l'offerta di riconciliazione che Dio stesso vi offre per Nostro mezzo e in un tempo veramente accettevole. Siate fin da ora persuasi che dolci sono le vie del ritorno alla casa del Padre e pieno di gaudio l'abbraccio che vi aspetta.

Ritorno a Dio degli increduli

degli atei...

Segni anzitutto questo Anno Santo il ritorno a Dio di quelle anime, che per cause varie e molteplici, hanno

perduto di vista ed estinta nel cuore l'immagine del loro Creatore, da cui è la loro vita, come l'esistenza di tutti gli esseri, e nel quale è riposto il loro sommo bene.

O che ne siano lontani per inerte e agnostico atteggiamento verso il massimo problema della vita; o che si dicano soddisfatti di una fittizia visione dell'universo, dove si nega il necessario posto al primo Principio spirituale di quello è o può essere; o che, intolleranti della sua indistruttibile presenza, stoltamente gelosi del suo supremo dominio, a Lui muovono folle guerra, tentando di soffocare la testimonianza che di Lui danno le creature tutte e il loro stesso cuore; essi soffrono lo spasimo di un esilio, l'isolamento dall'universo, il vuoto di un deserto, a cui da se stessi si sono condannati, accettando l'ateismo. Per loro non vi è che un rimedio, il ritorno: ritorno alla riflessione e al buon senso umano, ritorno alla ricerca profonda e serena della ragione delle cose, risalendo grado per grado la scala del creato dall'effetto alle cause, finchè non riposi pienamente appagata la mente investigatrice; ritorno infine alla umiltà e alla docilità della creatura. Apparirà ai loro occhi, e potranno quasi toccarlo nella irrefragabile testimonianza delle sue opere, il Dio dei viventi, il Padre nostro, l'amore che tormenta, finchè non sia posseduto.

... e dei pagani

Il cuore Ci dice che quest'Anno Santo vedrà molti di tali ritorni, come vedrà moltiplicarsi le conversioni alla fede cristiana dei pagani in terra di Missione. Vi tornerà certamente di conforto il conoscere che dal Giubileo del 1925 ad oggi si è più che raddoppiato il numero dei cristiani in quei lontani territori; mentre in alcune regioni dell'Africa la Chiesa visibile è divenuta un caposaldo della vita sociale, mediante l'influsso cristiano profondamente esercitato sui costumi pubblici e privati. Ma col più vivo dolore dell'animo Nostro non possiamo

distaccare il pensiero dai gravi pericoli che sovrastano o che hanno già funestato la religione e le sue istruzioni in altri Paesi dell'Europa e dell'Asia, come nella Cina sterminata, ove tragici rivolgimenti hanno ridotto fiorite di vita a cimiteri di morte.

Ritorno a Gesù Cristo dei peccatori

Segni l'Anno Santo il ritorno a Gesù Cristo Redentore per le anime allettate dalle lusinghe del peccato e lontane dalla casa del Padre. Sono credenti e cattolici, cui pur troppo lo spirito, debole quanto la carne, rende transfughi dai propri doveri e dimentichi dei veri tesori, o per lungo volgere di anni, o i un abituale alternarsi di diserzioni e di labili incontri. S'illudono, se ritengono di possedere la vita cristiana e a Dio accetta, senza che la grazia santificante dimori abitualmente nei loro cuori.

Dai facili compromessi fra terra e cielo, tempo ed eternità, senso e spirito, sono tratti nel pericolo di morire di miseria e di fame, lontani da quel Gesù che non riconosce per suoi coloro che vogliono servire due padroni. Per questi piagati nello spirito, lebbrosi, paralitici, tralci staccati senza linfa vitale, l'Anno Santo sia tempo di guarigione e di ravvedimento. L'angelo della piscina Probatica vuol rinnovare per loro tutti il prodigio delle acque risanatrici; chi non vorrà bagnarvisi?

Il vecchio Padre della parabola evangelica attende ansiosi, sulla soglia della Porta Santa, che il figlio traviato ritorni contrito; chi vorrà ostinarsi nel deserto della colpa?

Ritorno alla Chiesa dei dissidenti

Oh, se questo Anno Santo potesse salutare anche il grande e da secoli atteso ritorno all'unica vera Chiesa di molti credenti in Gesù Cristo, per vari motivi da lei

separati! Con gemiti inenarrabili lo Spirito, che è nei cuori dei buoni, leva oggi come grido d'implorazione la stessa preghiera del Signore: *ut unum sint* [6]. Giustamente pensosi dell'audacia, con cui si muove il fronte unico dell'ateismo militante, quel che da lungo tempo si domandava, oggi s'invoca ad alta voce: Perchè ancora separazioni, perchè ancora scismi? A quando l'unione concorde di tutte le forze dello spirito e dell'amore?

Se altre volte dalla Sede Apostolica è partito l'invito alla unità, in questa occasione Noi lo ripetiamo più caldo e paterno, spinti come Ci sentiamo dalle invocazioni e suppliche di tanti e tanti credenti sparsi su tutta la terra che, dopo i tragici e luttuosi avvenimenti sofferti, volgono gli occhi verso questa stessa Sede, come all'ancora di salvezza del mondo intero. Per tutti gli adoratori di Cristo — non esclusi coloro che in una sincera ma vana attesa l'adorano promesso nelle predizioni dei Profeti e non venuto — Noi apriamo la Porta Santa, e insieme le braccia e il cuore di quella paternità, che per inscrutabile disegno divino Ci è stata comunicata da Gesù Redentore.

Ritorno del mondo ai disegni di Dio

Sia finalmente questo Giubileo l'anno del gran ritorno dell'intera umanità ai disegni di Dio.

Il mondo moderno, nello stesso modo che ha tentato di scuotere il soave giogo di Dio, ha insieme rigettato l'ordine da Lui stabilito, e con la medesima superbia dell'angelo ribelle all'inizio della creazione, ha preteso di istituirne un altro a suo arbitrio.

Dopo quasi due secoli di tristi esperienze e di traviamenti, quanti hanno ancora mente e cuore retti confessano che simili disposizioni e imposizioni, le quali

---

[6] Io. 17, 11.

hanno nome ma non sostanza di ordine, non han dato i risultati promessi, nè rispondono alle naturali aspirazioni dell'uomo. Questo fallimento si è manifestato in un duplice terreno: quello dei rapporti sociali e quello dei rapporti fra le nazioni.

sul terreno sociale

Nel campo sociale il travisamento dei disegni di Dio si è operato alla radice stessa, deformando la divina immagine dell'uomo. Alla sua reale fisonomia di creatura, avente origine e destino in Dio, è stato sostituito il falso ritratto di un uomo autonomo nella coscienza, legislatore insindacabile di se stesso, irresponsabile verso i suoi simili e verso la compagine sociale, senz'altro destino fuori della terra, senz'altro scopo che il godimento dei beni finiti, senz'altra norma se non quella del fatto compiuto e dell'appagamento indisciplinato delle sue cupidigie.

Di qui è sorto e si è consolidato per interi lustri nelle più svariate applicazioni della vita pubblica e privata quell'ordine soverchiamente individualistico, che è oggi quasi dappertutto in grave crisi. Ma nulla di meglio vi hanno apportato i successivi innovatori, i quali, movendo dalle stesse errate premesse e per altra via declinando, hanno condotto a conseguenze non meno funeste, fino al totale sovvertimento dell'ordine divino, al disprezzo della dignità della persona umana, alla negazione delle più sacre e fondamentali libertà, al predominio di una sola classe sulle altre, all'asservimento di ogni persona e cosa allo Stato totalitario, alla legittimazione della violenza e all'ateismo militante.

Ai sostenitori dell'uno e dell'altro sistema sociale, ambedue lontani e contrari ai disegni di Dio, suoni persuasivo l'invito a tornare ai principî naturali e cristiani, che fondano l'effettiva giustizia nel rispetto delle legittime libertà; di guisa che con la riconosciuta eguaglianza di tutti nella inviolabilità dei propri diritti si spenga

l'inutile lotta che esaspera gli animi nell'odio fraterno.

Ma oltre a questi voti, che formano la costante sollecitudine del Nostro ufficio apostolico, Noi rivolgiamo una paterna esortazione a coloro che ripongono tutta la loro speranza nelle promesse di una dottrina e di capi, che si professano esplicitamente materialisti ed atei.

Umili ed oppressi, per quanto triste sia la vostra condizione, fermi restando in voi il diritto di rivendicare il giusto, e negli altri il dovere di riconoscervelo, ricordate che possedete un'anima immortale e un destino trascendente.

Non vogliate cambiare i beni celesti ed eterni coi caduchi e temporanei, specialmente in questa età in cui dappertutto uomini onesti e provvide istituzioni hanno più validamente raccolto il vostro grido e compreso il vostro dramma, risoluti a guidarvi per le vie della giustizia.

Quella fede e quella speranza, che riponete non di rado in uomini altrettanto asseveranti nel promettere, quanto certi di non poter ottenere quella rapida soluzione di tutti i vostri problemi, che fanno brillare dinanzi ai vostri occhi, — problemi di cui qualcuno è difficilmente solubile per la limitatezza stessa della natura umana —, riservatele in primo luogo alle promesse di Dio che non inganna.

Le legittime sollecitudini, che vi assillano per il pane quotidiano e per una conveniente dimora — indispensabili alla vita vostra e delle vostre famglie — fate che non contrastino coi vostri destini celesti, che non vi facciano dimentichi o noncuranti dell'anima vostra e dei tesori imperituri che Dio vi ha affidati nelle anime dei vostri figli, che non vi oscurino la visione nè v'impediscano il conseguimento di quei beni eterni, che saranno la vostra felicità perpetua e si concretano nel supremo valore per cui siamo creati: Dio nostra beatitudine. Sol-

tanto una società illuminata dai dettami della fede, rispettosa dei diritti di Dio, certa del conto che i suoi capi responsabili dovranno rendere al Giudice supremo nell'intimo della loro coscienza e al cospetto dei vivi e dei morti, soltanto una tale società saprà riconoscere e interpretare rettamente i vostri bisogni e le vostre giuste aspirazioni, difendere e propugnare i vostri diritti, saggiamente guidarvi nell'adempimento dei vostri doveri, secondo la gerarchia dei valori e l'armonia della convivenza domestica e civile stabilite dalla natura.

Non dimenticate che senza Dio la prosperità materiale è per chi non la possiede una tormentosa ferita, ma per chi l'ha, un adescamento mortale. Senza Dio la coltura intellettuale ed estetica è un fiume tagliato dalla sua sorgente e dalla sua foce; esso si riduce a un pantano, si riempie di sabbia e di fango.

sul terreno internazionale

Attendiamo infine per questo Anno Santo il ritorno della società internazionale ai disegni di Dio, secondo i quali tutti i popoli nella pace e non nella guerra, nella collaborazione e non nell'isolamento, nella giustizia e non nell'egoismo, sono destinati a formare la grande famiglia umana, avviata alla comune perfezione, nel reciproco aiuto e nella equa distribuzione dei beni, che sono tesoro di Dio affidato agli uomini.

Diletti figli, se mai occasione ci parve propizia per esortare i reggitori di popoli a pensieri di pace, questa dell'Anno Santo Ci sembra quanto mai opportuna. Essa è e vuole significare anche un potente richiamo e insieme un contributo alla fraternità delle genti.

In questa Madre dei popoli, che è Roma, converranno innumerevoli gruppi di pellegrini, diversi per stirpe, per nazione, per lingua, per costumi, per sentimenti. E fra queste stesse mura convivranno, s'incontreranno per le medesime vie, riposeranno nei medesimi alberghi,

parteciperanno ai medesimi riti, si disseteranno alle medesime fonti dello spirito, godranno dei medesimi conforti, coloro cui fu comandato di seminare la morte e coloro che ne soffrirono gli spaventosi effetti, colui che invase e colui che vi soggiacque, chi recinse i campi di ferro spinato e chi vi patì dura prigionia. Non abbiamo Noi dunque ragione di credere che queste migliaia e migliaia di Nostri devoti figli e figlie diverranno l'avanguardia fedele nella crociata per la pace e che con la Nostra benedizione porteranno seco nella loro patria il pensiero e la forza della pace di Cristo, affine di guadagnare colà nuove reclute per una così santa causa?

Dio non voglia che questa « tregua di Dio », ispiratrice augurale di pacifici consigli, venga turbata o violata da insani propositi non solo tra le nazioni, ma tra i diversi ceti di un medesimo Paese. Quella mano sacrilega si condannerebbe da sè alla giusta ira di Dio e si attirerebbe l'immancabile esecrazione di tutta l'umanità.

Grande ritorno dunque Noi Ci attendiamo in questo Anno di grazie straordiarie, grande per il numero dei figli, cui riserviamo il più affettuoso amplesso, grande per la lontananza da cui proverranno alcuni di loro, grande per le vaste e benefiche ripercussioni, che non mancheranno di derivarne. Ai Nostri figli, a tutti gli uomini di buona volontà sia caro l'impegno di non deludere le speranze del Padre comune, che tiene le braccia alzate al cielo, perchè la nuova effusione della misericordia divina sul mondo superi ogni misura.

II. - Anno del gran perdono

Dio amore misericordioso

Per questo incontro di amore compassionevole e benigno, che da Roma divamperà su tutta la terra, ogni ritorno a Dio, a Gesù Cristo, alla Chiesa e ai divini disegni si suggellerà con l'amorevole abbraccio del Padre delle misericordie, che ogni colpa e ogni pena condona a chi ama. Gesù ci ha svelato il vero volto di Dio, raffigurandolo nel padre che accoglie, abbraccia, perdona il figliuol prodigo al suo accorato e fiducioso ritorno nella casa, da cui si era stoltamente allontanato.

Se il Giubileo per gli uomini è tempo di straordinario ritorno, per Dio sarà occasione di più largo e amorevole perdono.

Pentimento ed espiazione

E chi non ha bisogno del perdono di Dio? Tuttavia il Signore, se è pronto a perdonare, non dispensa il peccatore dal sincero pentimento e dalla giusta espiazione.

L'Anno Santo sia dunque principalmente anno di pentimento e di espiazione. Il pentimento e la espiazione interiori e volontari sono l'indispensabile presupposto di ogni umano rinnovamento, significano l'arresto nella china, esprimono il riconoscimento dei propri peccati, manifestano la serietà del buon volere.

E maggiori valori acquista l'espiazione volontaria, quando sia collettiva e venga prestata in unione col primo Espiatore delle umane colpe, Gesù Cristo nostro Redentore.

Espiare, diletti figli, in questo Anno Santo che ricorda la grande espiazione del Calvario, le vostre e le altrui colpe; seppellite con un sincero pentimento tutto il passato, persuasi che se la presente generazione è stata

colpita così duramente dai castighi, fabbricati con le sue stesse mani, è perchè ha più coscientemente e protervamente peccato.

Sfilano, come in lugubre rassegna dinanzi ai Nostri occhi, i volti addolorati degli orfani, delle vedove, delle madri in attesa di un ritorno che forse non verrà, dei perseguitati per la giustizia e per la religione, dei prigionieri, dei profughi, degli esuli forzati, dei detenuti, dei disoccupati, degli oppressi, dei sofferenti nello spirito e nella carne, delle vittime di ogni ingiustizia. Tante e tante lacrime che irrorano la faccia della terra, tanto e tanto sangue che la imporpora, mentre sono in sè espiazioni e in molti casi non per proprie colpe, esigono alla lor volta altra espiazione, perchè sia distrutta la colpa e sorrida di nuovo la gioia.

Chi vorrà straniarsi da questo mondo di espiazione, che ha per capo il medesimo divino Crocifisso e abbraccia la intiera Chiesa militante?

Perdono fra gli uomini

Con sì larghe promesse da parte di Dio, forse non mai Anno Santo venne più opportunamente a consigliare mitezza, indulgenza e perdono tra uomo ed uomo.

Quando in tempi recenti, prendendo a motivo una guerra sfortunata o colpe politiche, si scatenarono ondate di rappresaglie, sconosciute finora nella storia almeno per il numero delle vittime, il Nostro cuore fu invaso da acerbo dolore, non solo per la sventura che moltiplicava le sventure e gettava nel lutto migliaia di famiglie spesso innocenti, ma perchè con sommo rammarico vi vedevamo la tragica testimonianza dell'apostasia dallo spirito cristiano.

Chi vuol essere sinceramente cristiano deve saper perdonare. « Servo iniquo ... — ammonisce la parabola

evangelica [7] —, non dovevi anche tu aver pietà di un tuo conservo, come io ho avuto pietà di te? ».

La carità e la misericordia, allorchè soccorrono equi motivi, non contrastano col dovere della retta amministrazione della giustizia, bensì l'imprudente intolleranza e lo spirito di rappresaglia, soprattutto quando la vendetta sia esercitata dal pubblico potere contro chi ha piuttosto errato che peccato, o quando la stessa pena meritamente inflitta si prolunghi oltre ogni limite ragionevole.

Ispiri il Signore consigli di riconciliazione e di concordia a quanti sono investiti di pubbliche responsabilità, e, senza pregiudizio del bene comune, si ponga fine a quei residui di leggi straordinarie, che non riguardano i delitti comuni meritevoli di giusta punizione, e che, dopo lunghi anni dalla cessazione del conflitto armato, provocano in tante famiglie e in tanti individui sensi di esasperazione contro la società in cui sono costretti a soffrire.

Larga condonazione

Noi torniamo perciò a supplicare le supreme Autorità degli Stati, specialmente cristiani, in nome di Gesù Cristo medesimo che precedette con l'esempio immolandosi per i suoi stessi uccisori, affinchè vogliano esercitare generosamente il loro diritto di grazia, mandando ad effetto, nell'occasione così solenne e propizia dell'Anno Santo, quei temperamenti della giustizia punitiva, che dalle leggi di ogni Paese civile sono previsti.

La religione e la pietà, che, come Ci auguriamo, ispireranno quegli atti di benevolenza, non che svigorire la forza delle leggi o scemarne il rispetto nei cittadini, saranno anzi di valido motivo ai beneficati col ritorno alla libertà agognata o con l'accorciamento della pena,

---

[7] Matth. 18, 33.

per risorgere moralmente e riparare, ove sia il caso, al passato con un sincero e duraturo ravvedimento nel segno della fede.

Noi, e insieme con Noi tanti cuori di congiunti afflitti, domandiamo questo conforto, perchè la letizia dei figli è gaudio del Padre. E fin da ora esprimiamo un pubblico e fervido ringraziamento a quei Governanti, che già hanno, in varia misura, favorevolmente accolto il Nostro voto o Ci hanno lasciato qualche speranza di ottenerne l'adempimento.

Invito a Roma

« *Securus iam carpe viam* »

Diletti figli, eccovi aperto il Nostro cuore alla vigilia dell'apertura della Porta Santa; leggetevi le Nostre intenzioni, le Nostre speranze, i Nostri voti.

Raccogliete il Nostro invito alla casa paterna; da vicino e da lontano, da ogni regione e continente, da tutte le frontiere e per ogni strada, valicando gli oceani e solcando i cieli, venite a questa Roma, che a voi apre le sue braccia sempre materne: « Securus iam carpe viam, peregrinus ab oris — occiduis quisquis venerandi culmina Petri — ... petis » [8].

Voi, che già per lunghi anni lasciaste il focolare domestico e vi tempraste alle asperità dei lunghi viaggi con gli eserciti in guerra, con le torme dei profughi, degli emigranti, degli sfollati, riprendete la via, ma questa volta in letizia, quasi legioni pacifiche di oranti e di penitenti verso la patria comune dei cristiani.

« *Roma mihi patria* »

Poichè, senza privilegi di stirpe o di casta, Roma è la patria di tutti; ogni cristiano può e deve dire « *Roma*

---

[8] Pauli Diaconi *Carmina*, VIII, 19-21. *Monum. Germ. histor. Poetae lat. aevi carol.*, t. I, p. 46.

mihi patria ». Qui si manifesta più particolarmente la soprannaturale provvidenza di Dio per le anime; qui attinsero i santi le norme e le aspirazioni dei loro eroismi; questa terra benedetta conobbe i trionfi dei primi martiri e fu la palestra d'invitti confessori. Qui è la rupe immota, dove ancorerete i vostri aneliti: il luogo e l'antico *tropaeum* del sepolcro glorioso del Principe degli Apostoli, che sorregge la Cattedra viva del Vicario di Cristo.

Nello splendore delle basiliche, nel decoro delle solenni liturgie, nelle penombre degli antichi cimiteri cristiani, accanto alle insigni reliquie dei Santi, respirerete un'aura d santità, di pace e di universalità, che varrà a dare alla vostra vita un profondo e cristiano rinnovamento.

E voi, diletti figli di Roma, a Noi più vicini e legati da più immediato ministero pastorale, che più volte in questo passato decennio Ci avete dato indubbie prove di attaccamento filiale, non sarete secondi a nessuno nell'adeguarvi coi vostri propositi e con la vostra condotta agli alti fini dell'Anno Santo. A voi si addice una carità particolare nell'accogliere i fratelli giunti di lontano, una esemplare morigeratezza di costumi, una fervorosa pratica dei doveri religiosi.

Accolga l'onnipotente e misericordioso Dio questi Nostri voti, e su voi che Ci ascoltate, su tutti gli uomini di buona volontà, su coloro di cui attendiamo il ritorno, scenda, come pegno delle più larghe misericordie del cielo, la Nostra Apostolica Benedizione.

11 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [31 ian. 1950] p. 139)

EPISTULA

AD E.MUM P. D. NORMANNUM TIT. SANCTORUM QUATTUOR CORONATORUM S. R. E. PRESB. CARDINALEM GILROY, ARCHIEPISCOPUM SYDNEYENSEM, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONCILIUM PLENARIUM ECCLESIAE INDIARUM ORIENTALIUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Iam plures abhinc annos necessitas Concilii Plenarii ineundi ad regimen Ecclesiae in amplissima Indiarum Orientalium regione feliciter confirmandum omnino persentiebatur et omnia studia et consilia inter sacrorum Antistites pluries conlata sunt ad perficiendum quod erat in votis; sed variae gravesque temporum rerumque difficultates prohibuere, quominus alacriter incepta ad suum exitum adducerentur. Nunc autem, postquam universa India, haud obstante gentium morumque et plagarum latitudinis diversitate, sui iuris recens effecta est, hodierni Praesules maturitatem venisse censuerunt exoptati Concilii Plenarii concelebrandi. Multa sunt enim eaque magni ponderis in Episcoporum coetibus exagitanda, quorum expeditio rei catholicae felix incrementum afferre videtur, ut fideles Indiarum catholici aptioris beneque ordinati regiminis beneficia percipiant aliique cives innumeri, nondum Ecclesiae verae participes, ad montem domus Domini praeparatum oculos animosque suos convertant. Campus quidem pastoralis industriae ad animarum salutem in Indiis omni ope tuendam, ad prosperitatem ordinis ipsius civilis foven-

dam latissime patet. Non modo enim fines plurium dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum mutatis rerum condicionibus sunt accommodandi, verum etiam omnium quaedam promovenda tam clericorum quam laicorum in India conspiratio cum operum atque institutorum conjunctione, quae catholici nominis propagationem efficiat expeditiorem una cum ampliore virtutum christianarum cultu. Prospiciendum itaque erit, ut indigeni cleri augeatur in dies copia eiusque doctrina eruditioque perficiatur, ut actio catholica laicorum congrua temporibus ratione aptius ordinetur, ut constitutio catholicae studiorum Universitatis apparetur, ut caritatis educationisque instituta roborentur ac multiplicentur, ut religio catholica ope praesertim typographicae artis longe lateque evulgetur. Consilium autem Episcoporum, catholicae rei universae Indiae moderandae iam pridem praepositum, ex proximo Concilio Plenario maiorem procul dubio vim atque auctoritatem consequetur. Iam vero, quum de negotio tanti momenti tantaeque agatur utilitatis, peropportune in Codice iuris canonici cautum est, ut Plenarium Concilium per Legatum Pontificium, qui eidem praesideat, ab ipsa Petri Cathedra primum capiat auspicium et validum ad perficiendum opus incitamentum. Te igitur, Dilecte Fili Noster, qui, Romana purpura exornatus praeclarae Sydneyensis sedis gubernacula tenes, hisce Litteris Legatum Nostrum a Latere eligimus ac renuntiamus, ut, Nostram gerens personam, nomine Nostro Nostraque auctoritate Concilio Plenario, in Ianuarium mensem proximum in Bangalorensi urbe cogendo, praesis. Pro certo sane habemus, temet pro tua pietate ac prudentia perhonorificum munus esse exsecuturum. Tibi praeterea facultatem largimur, ut, die constituta, Sacro Pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Interea in auspicium caelestium luminum munerumque atque in

praecipuae caritatis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, cunctis Praesulibus iisque universis, qui Concilio intererunt, effuso animo impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die VII mensis Novembris, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

12 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [15 mart. 1950] p. 217)

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : PUBLICAE INDICUNTUR SUPPLICATIONES PRO CHRISTIANA MORUM RENOVATIONE POPULORUMQUE CONCORDIA, DIE DOMINICA PASSIONIS HABENDAE.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Anni Sacri, qui iam volvitur, cursus non unam Nobis attulit laetitiae consolationisque causam; vidimus nempe pluribus ex terrarum orbis partibus christianorum multitudines Romam confluere, ex qua evangelicae doctrinae lux inde ab Ecclesiae originibus intaminata radiatur; vidimus easdem ad divi Petri limina non modo suas paenitendo proluere labes, sed totius etiam mundi effusis supplicationibus expiare peccata, atque universae hominum consortioni ad Deum impetrare reditum; ex quo quidem solummodo vera pax animis, concordia civibus, prosperitas Nationibus oriri potest. Ac novimus has pri-

mas peregrinantium turmas earum quasi primitias esse, quas subinde, clarioribus praesertim mensibus, frequentiores etiam fore prospicimus. Quomobrem sperare licet uberes inde profecturos esse salutaresque fructus.

Nihilo secius, si haec, quae attigimus, suavissime Nobis praebuere solacia, non desunt tamen anxitudinis angustiarumque causae, ob quas paternus animus Noster gravibus obducatur maestitiae nubibus. Ac primum, quamquam iam diu bellica fere ubique tacuere arma, pax nondum optatissima convenit, quae firma, quae solida sit, quae varias atque increscentes discordiarum rationes feliciter componat. Multi hinc inde populi sibi invicem adversantur; et cum mutua non intersit fiducia, apparatum militarem ita certatim congerunt, ut omnium animi suspensi ac trepidi permaneant.

Quod autem non modo gravius videtur Nobis, sed omnium etiam malorum fons hoc est: non raro in veritatis locum mendacium suffectum esse ac veluti contentionis instrumentum adhiberi; religionem sanctam a non paucis vel neglectam ac posthabitam esse, quasi nullius momenti negotium, vel etiam alicubi a domestico convictu a civilique societate utpote veterum temporum superstitionem prohibitam; impietatem privatim, publice efferri; atque adeo mores, sublato Numine Eiusque lege, nullo fundamento constare. Scripta, quae typis eduntur, vel nimio saepius res sacras flagitiose ac turpiter vituperare, vel omne genus obscenitates patefacere, ac ceream pueritiam praesertim atque inescatam iuventutem ad vitiorum illecebras trahere summoque cum detrimento excitare. Populares civium ordines commenticiis promissionibus decipi; eorumque animos — si eo potissimum devenitur ut avita fides, quae maximum in terrestris huius exilii miseriis solacium est, radicitus ex iisdem evellatur — ad odium, ad simultatem, ad discordias compelli; unde cernere est vim, tumultus, turbas meditato consilio ac continuata serie ori-

ri. quae rebus oeconomicis ruinam parant, immo undique bono communi damnum irreparabile inferunt.

Haec praeterea acerrima cum animi maestitia lamentamur: in Nationibus nempe non paucis Dei, Ecclesiae, ipsiusque humanae naturae iura graviter offendi ac proculcari; sacrorum administros, excelsa etiam dignitate insignitos, vel e sui esse muneris sede deturbatos, et in exsilium, in carcerem detrusos, vel ita esse praepeditos, ut libere nequeant sibi creditum exercere ministerium; in litterarum ludis, in altiorum disciplinarum scholis, in scriptis prelo editis vel nullam esse facultatem christianam proponendi tuendique doctrinam atque Ecclesiae impertiendi praecepta, vel ita esse coarctatam ac publica censura inspectam, ut videatur inibi illud ex arbitrio vigere propositum, ut veritas, ut libertas, ut ipsa sancta religio civili auctoritati unice demisseque servire debeant.

Quae cum tanta sint mala, cumque, ut diximus, ex uno fonte proficiscantur, hoc est ex repudiato Numine ex Eiusque neglecta lege, prorsus necessarium est, Venerabiles Fratres, supplices ad Deum preces attollere, et ad illa praecepta revocare omnes, ex quibus solummodo lux mentibus, pax servato ordine, oriri possunt.

Ut probe nostis, bene morata civitas recteque composita, sublata religione, esse non potest. Quamobrem facile cernitis quantopere oporteat sacrorum administros imprimis ad hoc urgendum opus alacriter, vobis ducibus, allaborare; nullis ii parcant laboribus ut per hunc praesertim Annum Sacrum greges sibi cuique crediti, praeiudicatis ac falsis depositis opinionibus, restinctis odiis, sedatis discordiis, ita evangelica nutriantur doctrina, ita christianam participent vitam, ut felix reapse habeatur redintegratio morum. Cum autem non ad omnes, non ad omnia sacerdotibus pateat aditus, neque eorum opera semper possit necessitatibus omnibus consentaneo modo occurrere, ii, qui in Actionis Catholicae agminibus militant, adiutricem suam, sollertem impensamque praestent navi-

tatem. Nemini liceat esse desidem, nemini inertem, nemini otiosum esse, dum tanta mala incumbunt, dum tot discrimina impendent, dum ii, qui ex adversa sunt parte, ipsa catholicae religionis christianique cultus fundamenta subruere enituntur. Esto numquam in posterum ut « filii huius saeculi prudentiores filii lucis »[1] sint; esto numquam ut hi minus alacres evadant:

Verumtamen, quandoquidem humanae opes impares sunt, nisi divina innitantur gratia, vos etiam atque etiam adhortamur, Venerabiles Fratres, ut nova habeatur in gregibus cuiusque vestris sacra quasi precum contentio, qua a Patre misericordiarum Deoque totius consolationis[2] praesentibus malis opportuna remedia impetrentur. Cupimus autem ut hae publicae supplicationes una Nobiscum die XXVI huius mensis Martii potissimum ad Caelum admoveantur, hoc est die Dominica Passionis, cum sacri Eccle Ecclesiae ritus acerrimos incipiunt commemorare cruciatus, quibus Divinus Redemptor nos a captivitate daemonis liberavit et in libertatem adduxit filiorum Dei. Nobis igitur in animo est hac eadem die Petrianam adire Basilicam, ibique non modo adstantium, sed — ut fore confidimus — totius etiam catholici orbis precibus supplices Nostras coniungere. Qui vero infirmitate, qui senio aliave causa adire templa praepediuntur, ii dolores angoresque suos demisso fidentique animo Deo offerant; ita quidem et una sit omnium supplicatio, unus anhelitus, unumque votum.

Omnes, una Nobiscum ubique terrarum comprecantes, a propitiatio Numine contendant, ut ex christiana morum redintegratione optata illa tandem habeatur renovatio rerum, quae veritate, iustitia caritateque conformetur. Lumen a Caelo eorum mentibus illucescat, quorum in manibus populorum sunt sortes; iidemque animadvertant

---

1 Luc., 16, 8.

2 Cfr. *2 Cor.*, 1, 3.

pacem esse sapientiae ac iustitiae opus; cruentum vero bellum caecitatis et odii; itemque secum animo perpendant non modo se aliquando historiae fore, sed sempiterni etiam Numinis iudicio responsuros.

Qui invidiae, discordiae simultatisque semina apertis manibus serunt, qui turbas seditionesque vel tecte, vel palam conflant, qui facile commovendam plebem inanibus decipiunt pollicitationibus, intellegant tandem non vi, non tumultibus, sed rectis legibus oportere omnino ad illam devenire iustitiam, quam christiana praecepta postulent, et quae ad sanam conferat civium ordinum aequilibritatem et ad mutuam fraternamque concordiam. Omnes denique, superna collustrati luce communibus precibus impetrata, addiscant unum tantummodo posse, Divinum nempe Redemptorem, multiplices ac formidolosas hominum contentiones feliciter componere; Iesum Christum dicimus, qui via est, veritas et vita [3]; qui caeleste lumen infuscatis mentibus, qui vim supernam incertis ac iacentibus voluntatibus praebere potest. Etenim « sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur » [4]. Ipse unus potest res terrenas iustitia temperare, caritate componere; ac mortalium animos, fraternae necessitudinis vinculis coniunctos, ad sempiternam dirigere beatitatem.

Ad Eum igitur fidentes amantes sperantesque nostras admoveamus preces. Respiciat Ille benignus, per Sacrum praesertim qui volvitur Annum, hominum genus tot calamitatibus pressum, tot timoribus anxium ac tot discordiarum fluctibus aestuans; respiciat benignus, et quemadmodum olim commotas Galileae lacus undas divino suo tranquillavit nutu, ita humanis tempestatibus modum ordinemque imponat.

Iniquorum mendacia sua luce detegantur; tumescens superborum arrogantia comprimatur; ii, qui divitiis af-

---

[3] Cfr. Io., 14, 6.

[4] *De Imit. Ch.*, l. III, c. 56, v. 5.

fluunt, ad iustitiam, ad largitatem, ad caritatem moveantur; qui autem, tenuiore, vel misera fortuna anguntur, Nazarethanam familiam respiciant, quae et ipsa sibi debuit cotidiano suo labore comparare panem; qui denique publicae rei gubernacula tractant, sibi omnes persuasum habeant nulla esse Civitatum fundamenta solidiora, quam christiana praecepta ac tutelam ecclesiasticae libertatis.

Haec, Venerabiles Fratres, optamus ut christifidelibus, curis vestris demandatis, Nostro nomine proponatis, eosdem adhortantes ut una Nobiscum supplices ad Deum atque impensas adhibeant preces.

Ac fore confisi ut Nostris hisce adhortationibus libentes omnes volentesque respondeant, caelestium gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis universis, tum gregibus unicuique vestrum concreditis Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII mensis Martii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

13 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [15 mart. 1950] p. 247)

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD EXC.MOS ORDINARIOS ITALIAE: DE ACTIONE CATHOLICA

PIUS PP. XII

Venerabili Fratelli, salute e Apostolica Benedizione. — I felici sviluppi che l'Azione Cattolica ha avuto in Italia, perciò stesso che sono a Noi di soddisfazione e di conforto, sempre più mantengono desta la Nostra attenzione su di essa e vivo il desiderio che il suo rendimento sia pie-

no e ben risponda in tutto alle Nostre e alle comuni speranze.

Scrivendone a voi, Venerabili Fratelli, che per il vostro ufficio ne vigilate con amore le vicende, Ci piace ancora una volta rilevare come la bene ordinata collaborazione dei laici all'apostolato gerarchico, che, fino dall'età apostolica, è sempre stata tra le tradizioni più costanti e feconde della Chiesa, si è rivelata di una particolare ed urgente necessità in questi ultimi tempi, ed è quindi da promuovere in tutti i modi.

L'esperienza, pertanto, ha messo in evidenza la necessità che la vita ecclesiastica debba giovarsi di tutte le energie e le risorse di cui può disporre; e del resto ha dato già ripetuta e buona testimonianza al contributo prezioso recato dai laici al Clero, nelle sue attività dirette a conservare nel nostro tempo il patrimonio spirituale ereditato dalle generazioni passate, e a diffondere, con metodi atti alle presenti contingenze, fra i singoli individui e fra i popoli, la luce del Vangelo.

Questo concetto della funzione subordinata e complementare d'una schiera eletta di fedeli provati e generosi all'azione del Clero, a cui spetta, oggi più che in passato, ormai sproporzionato al bisogno per il suo numero e le sue forze, la missione di ricondurre a Cristo il mondo moderno, Ci pare tuttora, anzi principalmente, meritevole di nuova e feconda riflessione.

L'attuazione di tale principio trae con sè lo studio d'un altro della massima importanza pratica, quello cioè dell'organizzazione. L'innesto infatti della collaborazione dei laici nell'apostolato gerarchico non può essere effettuato e benefico se non con grande sollecitudine di evitare ogni turbamento nella disciplina ecclesiastica, e di accrescerne invece l'ordine, la forza, l'estensione; il che comporta da un lato un senso vivo e rispettoso dell'autorità della Chiesa, dall'altro un ordinamento razionale delle

file dei laici che accorrono sotto i pacifici vessilli della spirituale milizia dell'apostolato cristiano.

Mentre così l'Azione Cattolica ha bene lavorato a formare nella coscienza dei fedeli la persuasione e l'impulso a collaborare coi loro sacerdoti, non ha mancato di organizzarli in associazioni nazionali e internazionali, e ha tracciato loro programmi adattati alle circostanze, creando in tal modo, nell'unità degli intenti e nella impostazione metodica del lavoro, una programmatica e sempre vigile collaborazione del laicato alle linee direttive che la Gerarchia, assistita dallo Spirito Santo, imparte secondo le necessità dei tempi ai fedeli commessi alle sue cure.

Tale specie di associazione che forma, si potrebbe dire, il tessuto stesso dell'Azione Cattolica, viene felicemente ad incontrarsi con le esigenze del tempo presente, nel quale la solidarietà e la cooperazione degli intenti e dell'azione hanno così larga applicazione e sembrano offrire uno degli aspetti più caratteristici e costituire una delle forze più considerevoli della vita moderna. Se bene si osserva, si vedrà che gli stessi avversari della Chiesa si valgono assai della organizzazione con metodi nuovi e arditi, facendo sovente di essa l'arma più abile per stringere a sè e per sovvertire le masse popolari. I cattolici devono comprendere questo complesso e profondo fenomeno della storia presente, e devono imparare a sempre meglio servirsi dei vantaggi della vita associata. Certamente tale sforzo dei cattolici è ben diverso da quello burocratico o puramente utilitario ed esteriore di chi aspira unicamente a fortunato successo nel campo degli interessi terreni. Esso poi è assolutamente diverso nello spirito e nelle forme da quel coordinamento di forze quasi meccanico imposto con la prepotenza o il timore, il quale, spegnendo ogni fiamma di libertà e di impulso personale, rende gli uomini incapaci di vera umana grandezza e di spirituale progresso.

L'Azione Cattolica trova invece la fonte e la ragione della sua virtù organizzatrice in Gesù Cristo e nel Suo

amore: nel nome del Redentore ognuno, anche il socio più umile, sente la dignità di essere membro del Suo Corpo Mistico e lavora con silenziosa fiducia al suo sviluppo e alle sue spirituali conquiste.

Perciò, se l'Azione Cattolica, quasi interprete e seguace del peculiare genio di organizzazione del nostro tempo, si presenta e si afferma come un'associazione saldamente e tecnicamente compaginata, altro spirito, altra forma e altra forza distinguono le sue file da quelle delle associazioni profane, animata com'è da un profondo rispetto per la persona umana, e sollecita sempre come dev'essere di fare amici e fratelli i suoi soci, lieti dell'obbedienza loro richiesta e della libertà loro concessa nel posto a ciascuno assegnato dall'organizzazione.

In vista di questo nuovo e sperato accrescimento delle forze operanti nella Chiesa Noi crediamo dovere del Nostro apostolico ministero d'invitare ancora una volta con paterna insistenza il Clero in cura d'anime, affinchè in tutte le parrocchie, da quelle sperdute nelle campagne o sui monti, a quelle dei grandi centri urbani, si stabiliscano le quattro Associazioni fondamentali dell'Azione Cattolica Italiana: la Gioventù Maschile e la Gioventù Femminile, l'Unione degli Uomini e l'Unione delle Donne.

A questo Nostro desiderio aggiungiamo l'altro che non manchino, in alcuna Diocesi, le Associazioni Universitarie e i due Movimenti dei Laureati e dei Maestri.

Nè pensiamo che si possa trovare motivo sufficiente a scusare la mancanza di tali organizzazioni nel fatto della modesta proporzione di territorio o di popolazione che caratterizza alcune Diocesi e non poche parrocchie d'Italia. Nelle sante conquiste della Chiesa il numero non è l'elemento determinante: esso invece va cercato nell'ardore della carità e nella sicurezza con cui si crede all'efficacia della fedele obbedienza e della grazia divina. Nell'armonia mirabile delle forze cattoliche anche i pochissimi soci d'una piccola parrocchia recheranno senza dub-

bio un contributo benefico, quando le loro attività, pure modeste e limitate, siano frutto di preparazione illuminata e fervorosa, di filiale disciplina verso la Gerarchia, di generosa e interiore pietà, di autentico spirito di sacrificio.

E mentre essi arricchiranno di meriti il tesoro della Chiesa Universale, l'esempio della loro vita otterrà sui fedeli più tiepidi ed anche sui più lontani frutti di inattesa efficacia; oggi, infatti, più che mai gli uomini si lasciano persuadere, invece che dalle parole, dagli esempi concreti ed evidenti di coloro che vivono vicino a Gesù Cristo.

Questa Esortazione, Venerabili Fratelli, è rivolta, come vedete, principalmente al Nostro diletto Clero, che vogliamo così confortare nell'ardua sua missione pastorale, quale è reclamata dalle presenti necessità; ma non meno urgente e paterna essa è diretta ai laici stessi, che desideriamo di vedere raccolti in numero sempre crescente intorno ai loro Pastori: la fiducia che la Chiesa loro accorda, chiamandoli a fianco della Gerarchia per sostenerne e dilatarne l'opera apostolica, li renda pronti alla docilità, alla sincerità, alla devozione verso i loro Pastori, accresca nei loro animi il rispetto e l'amore per essi, e li sostenga nei disagi dell'azione in umile e perseverante energia spirituale, ravvivata dalla sicurezza che le promesse fatte da Cristo alla sua Chiesa avranno ragione delle difficoltà e delle avversità contrastanti.

Con questi sensi Noi esprimiamo il voto che l'Azione Cattolica Italiana, dopo le gravi preoccupazioni della guerra mondiale, abbia da questa Nostra parola un nuovo vigoroso impulso; e mentre confidiamo che voi, Venerabili Fratelli, non mancherete di fare vostre e di secondare con ogni mezzo che è in vostro potere le Nostre speranze, impartiamo con effusione di cuore a voi stessi, al diletto Clero, ai Dirigenti e ai singoli membri dell'Azione Cattolica, nonchè ai fedeli tutti commessi alle vostre sollecite cure

pastorali, auspice della larga divina assistenza, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 25 Gennaio 1950, nella festa della conversione di San Paolo Apostolo.

PIUS PP. XII

14 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [15 mart. 1950] p. 251)

ALLOCUTIO

Participantibus Conventui internationali scriptorum ephemeridum catholicarum, Romae habito. *

L'importance de la Presse catholique, que vous représentez, très chers fils, en ce congrès international, et la gravité des problèmes qui se proposent à votre étude, Nous ont amené à déroger, pour vous recevoir, à la règle que Nous avons dû, à Notre vif regret, Nous imposer, de limiter, de suspendre même le plus souvent, Nos discours et Nos allocutions au cours de l'Année Sainte. Mais, cette fois, Nous ne pouvions manquer d'apporter l'appoint de Notre parole au grand objet de votre réunion. Il est vaste autant que suggestif : la Presse catholique au service de la vérité, de la justice et de la paix.

C'est en considération d'un des aspects capitaux de ce service que Nous jugeons opportun de livrer à vos méditations quelques principes fondamentaux concernant le rôle dela Presse catholique vis-à-vis de l'opinion publique. Le fait est qu'elle se trouve au premier plan de ceux qui contribuent à sa formation et à sa diffusion.

L'opinion publique est, en effet, l'apanage de toute société normale composée d'hommes qui, conscients de leur

---

* Die 17 Februarii mensis a. 1950.

conduite personnelle et sociale, sont intimement engagés dans la communauté dont ils sont les membres. Elle est partout, en fin de compte, l'écho naturel, la résonance commune, plus ou moins spontanée, des événements et de la situation actuelle dans leurs esprits et dans leurs jugements.

Là où n'apparaîtrait aucune manifestation de l'opinion publique, là surtout où il en faudrait constater la réelle inexistence : par quelque raison que l'explique son mutisme ou son absence, on devrait voir un vice, une infirmité, une maladie de la vie sociale.

Laissons à part, évidemment, le cas où l'opinion publique se tait dans un monde d'où même la juste liberté est bannie et où, seule, l'opinion des partis au pouvoir, l'opinion des chefs ou des dictateurs est admise à faire entendre sa voix. Etouffer celle des citoyens, la réduire au silence forcé, est, aux yeux de tout chrétien, un attentat au droit naturel de l'homme, une violation de l'ordre du monde tel que Dieu l'a établi.

Qui ne devine les angoisses, le désarroi moral où un tel état de choses jette la conscience des hommes de la Presse? En vérité Nous avions espéré que de trop dures expériences du passé auraient du moins servi de leçon pour libérer définitivement la société d'une si scandaleuse tyrannie et mettre fin à un outrage si humiliant pour les journalistes et pour leurs lecteurs. Oui, non moins vivement que vous, Nous l'avions espéré et Notre déception n'est pas moins amère que la vôtre.

Situation lamentable! Tout aussi déplorable et, peut-être, plus funeste encore par ses conséquences, est celle des peuples où l'opinion publique reste muette, non parce qu'elle est bâillonnée per une force extérieure, mais parce que font défaut ses présupposés intérieurs, qui doivent se trouver dans les hommes vivant en communauté.

Nous reconnaissions, dans l'opinion publique, un écho naturel, une résonance commune, plus ou moins spon-

tanée, des faits et des circonstances dans l'esprit et les jugements des personnes qui se sentent responsables et étroitement liées au sort de leur communauté. Nos paroles indiquent presque autant de raisons, pour lesquelles l'opinion publique se forme et s'exprime si difficilement. Ce que l'on appelle aujourd'hui opinion publique n'en a souvent que le nom, un nom vide de sens, quelque chose comme une vague rumeur, une impression factice et superficielle; rien d'un écho spontanément éveillé dans la conscience de la société et émanant d'elle.

Mais ces hommes, profondément pénétrés du sens de leur responsabilité et de leur étroite solidarité avec le milieu dans lequel ils vivent, où les chercher? Plus de traditions, plus de foyer stable, plus de sécurité de l'existence, plus rien de ce qui eût pu enrayer l'œuvre de désagrégation et, trop souvent, de destruction. Ajoutez l'abus de la force des organisations gigantesques de masses qui, saisissant l'homme moderne dans leur engrenage compliqué, étouffent sans peine toute spontanéité de l'opinion publique et la réduisent à un conformisme aveugle et docile des pensées et des jugements.

N'y aurait-il donc plus, dans ces nations infortunées, des hommes dignes de ce nom? des hommes marqués du sceau d'une vraie personnalité, capables de rendre possible la vie intérieure de la société? des hommes qui, à la lumière des principes centraux de la vie, à la lumière de leurs fortes convictions, sachent contempler Dieu, le monde et tous les événements, grands ou petits, qui s'y succèdent? De tels hommes, semble-t-il, grâce à la rectitude de leur jugement et de leurs sentiments, devraient pouvoir édifier, pierre par pierre, la paroi solide sur laquelle la voix de ces événements, venant frapper, se réfléchirait en un écho spontané. Sans doute, il y en a encore de ces hommes, trop peu

nombreux hélas! et, chaque jour, de plus en plus rares, au fur et à mesure que viennent se substituer à eux des sujets sceptiques, blasés, insouciants, sans consistance ni caractère, aisément manœuvrés par quelques maîtres du jeu!

L'homme moderne affecte volontiers des attitudes indépendantes et désinvoltes. Elles ne sont, le plus souvent, qu'une façade derrière laquelle s'abritent de pauvres êtres, vides, flasques, sans force d'esprit pour démasquer le mensonge, sans force d'âme pour résister à la violence de ceux qui sont habiles à mettre en mouvement tous les ressorts de la technique moderne, tout l'art raffiné de la persuasion pour les dépouiller de leur liberté de pensée et les rendre pareils aux frêles « roseaux agités par le vent »[1].

Oserait-on dire avec assurance que la majorité des hommes est apte à juger, à apprécier les faits et les courants à leur vrai poids, en sorte que l'opinion soit guidée par la raison? C'est pourtant là une condition « sine qua non » de sa valeur et de sa santé. Ne voit-on pas, au lieu de cela, cette manière — la seule légitime — de juger hommes et choses selon des règles claires et de justes principes, répudiée comme une entrave à la spontanéité et, en revanche, l'impulsion et la réaction sensitives de l'instinct et de la passion mises en honneur, comme les seules « valeurs de vie »? Sous l'action de ce préjugé, ce qui subsiste de la raison humaine et de sa force de pénétration dans le profond dédale de la réalité, est peu de chose. Les hommes de sens ne comptent plus; restent ceux dont le champ visuel ne s'étend pas au-delà de leur étroite spécialité, ni au-dessus de la puissance purement technique. Ce n'est guère de ces hommes-là qu'on peut, ordinairement, attendre l'éducation de l'opinion publique ni la fermeté vis-à-vis

---

1 MATTH. 11, 7.

de la propagande astucieuse qui s'arroge le privilège de la façonner à son gré. Sur ce terrain, les hommes d'esprit chrétien, simple, droit, mais clair, quoique la plupart du temps sans beaucoup d'études, leur sont, de loin, supérieurs.

Les hommes, à qui devrait échoir le rôle d'éclairer et de guider l'opinion publique, se voient donc souvent, les uns par leur mauvaise volonté ou par leur insuffisance, les autres par impossibilité ou par contrainte, en mauvaise posture pour s'en acquitter librement et heureusement. Cette situation défavorable affecte particulièrement la Presse catholique dans son action au service de l'opinion publique. Car toutes les défaillances, les incapacités, dont Nous venons de parler, tiennent à la violation de l'organisation naturelle de la société humaine telle que Dieu l'a voulue, à la mutilation de l'homme qui, formé à l'image de son Créateur et doué par lui d'intelligence, était mis au monde pour en être le seigneur, tout imbu de la vérité, docile aux préceptes de la loi morale, du droit naturel et de la doctrine surnaturelle contenue dans la révélation du Christ.

Dans une telle situation, le mal le plus redoutable pour le publiciste catholique serait la pusillanimité et l'abattement. Voyez l'Eglise : depuis bientôt deux millénaires, à travers toutes les difficultés, les contradictions, les inccompréhensions, les persécutions ouvertes ou sournoises, jamais elle ne s'est découragée, jamais elle ne s'est laissé déprimer. Prenez modèle sur elle. Voyez, dans les lamentables déficits que Nous venons de signaler, le double tableau de ce que ne doit pas être et de ce que doit être la Presse catholique.

Dans toute sa manière d'être et d'agir, elle doit opposer un obstacle infranchissable au recul progressif, à la disparition des conditions fondamentales d'une saine opinion publique, et consolider, renforcer encore ce

qu'il en reste. Qu'elle renonce de bon cœur aux vains avantages d'un intérêt vulgaire ou d'une popularité de mauvais aloi; qu'elle sache se maintenir avec une énergique et fière dignité, inaccessible à toutes les tentatives directes ou indirectes de corruption. Q'uelle ait le courage — fût-ce au prix de sacrifices pécuniaires — de proscrire impitoyablement de ses colonnes toute annonce, toute publicité outrageante à la foi ou à l'honnêteté. Ce faisant, elle gegnera en valeur intrinsèque, elle finira par conquérir l'estime, puis la confiance; elle justifiera la consigne souvent répétée: « A chaque foyer catholique, le journal catholique ».

Mais en mettant tout au mieux quant aux conditions extérieures et intérieures dans lesquelles elle se développe et se propage, l'opinion publique n'est pourtant pas infaillible, ni toujours absolument spontanée. La complexité ou la nouveauté des événements et des situations peuvent exercer une influence marquée sur sa formation, sans compter qu'elle ne se libère pas facilement soit des jugements préconçus, soit du courant dominant des idées, alors même que la réaction serait objectivement justifiée, alors même qu'elle s'imposerait. Et c'est ici que la Presse a un rôle éminent à jouer dans l'éducation de l'opinion, non pour la dicter ou la regenter, mais pour la servir utilement.

Cette tâche délicate suppose, chez les membres de la Presse catholique, la compétence, une culture générale surtout philosophique et théologique, les dons du style, le tact psychologique. Mais ce qui leur est indispensable au premier chef, c'est le caractère. Le caractére, c'est-à-dire tout simplement l'amour profond et l'inalterable respect de l'ordre divin, qui embrasse et anime tous les domaines de la vie; amour et respect que le journaliste catholique ne doit pas se contenter de sentir et de nourrir dans le secret de son propre coeur, mais qu'il doit cultiver dans ceux de ses lecteurs. En certains

cas, la flamme ainsi jaillissante suffira à rallumer ou à raviver en eux l'étincelle presque morte de convictions et de sentiments endormis au fond de leur conscience. En d'autres cas, sa largeur de vue et de jugement pourra ouvrir leurs yeux trop timidement fiixés sur des préjugés traditionnels. Dans les uns comme dans leus autres, il se gardera toujours de « faire » l'opinion; mieux que cela : il ambitionnera de la servir.

Nous croyons que cette conception catholique de l'opinion publique, de son fonctionnement et des services que lui rend la Presse, est tout à fait juste, qu'elle est nécessaire à frayer aux hommes, suivant votre idéal, le chemin de la vérité, de la justice, de la paix.

Ainsi, par son attitude vis-à-vis de l'opinion publique, lEglise se pose comme un barrage en face du totalitarisme lequel, par sa nature même, est nécessairement ennemi de la vraie et libre opinion des citoyens. De fait, c'est par sa nature même qu'il renie cet ordre divin et la relative autonomie que celui-ci reconnaît à tous les domaines de la vie, en tant qu'ils tiennent tous de Dieu leur origine.

Cette opposition s'est de nouveau manifestement affirmée à l'occasion de deux discours où Nous Nous sommes récemment appliqué à mettre en lumière la position du juge en face de la loi. Nous parlions alors des normes objectives du droit, du droit divin naturel qui garantit à la vie juridique des hommes l'autonomie requise par une vivante et sûre adaptation aux conditions de chaque temps. Que les totalitaires ne Nous aient pas compris, eux pour qui la loi et le droit ne sont que des instruments aux mains des cercles dominants, Nous Nous y attendions bien. Mais constater les mêmes malentendus de la part de certains milieux qui, longtemps, s'étaient posés en champions de la conception libérale de la vie, qui avaient condamné des hommes pour le seul grief de leurs attaches avec des lois et des préceptes contraires

à la morale, voilà qui est bien de nature à Nous surprendre! Car enfin, que le juge dans le prononcé de sa sentence se sente lié par la loi positive et tenu à l'interpréter fidèlement, il n'y a rien là d'incompatible avec la reconnaissance du droit naturel; bien plus, c'est une de ses exigences. Mais ce qu'on ne saurait légitimement accorder c'est que ce lien soit noué exclusivement par l'acte du législateur humain de qui émane la loi. Ce serait reconnaître à la législation positive une pseudo-majesté qui ne différerait en rien de celle que le racisme ou le nationalisme attribuait à la production juridique totalitaire, mettant sous ses pieds les droits naturels des personnes physiques et morales. Ici encore, la Presse catholique a sa place marquée pour exprimer en formules claires la pensée du peuple, confus, hésitant, embarassé devant le mécanisme moderne de la législation positive, mécanisme dangereux dès lors qu'on cesse de voir en cette dernière une dérivation du droit divin naturel.

Cette conception catholique de l'opinion publique et du service que lui rend la Presse est aussi une solide garantie de la paix. Elle prende fait et cause pour la juste liberté de penser et pour le droit des hommes à leur jugement propre, mais elle les regarde à la lumière de la loi divine. Ce qui revient à dire que quiconque veut se mettre loyalement au service de l'opinion publique, que ce soit l'autorité sociale ou la presse elle-même, doit s'interdire absolument tout mensonge ou toute excitation. N'est-il pas évident qu'une telle disposition d'esprit et de volonté réagit efficacement contre le climat de guerre? Dès lors, au contraire, que la prétendue opinion publique est dictée, imposée, de gré ou de force, que les mensonges, les préjugés partiaux, les artifices de style, les effets de voix et de gestes, l'exploitation du sentiment, viennent rendre illusoire le juste droit des hommes à leur propre jugement, à leurs propres convictions, alors se crée une atmosphère lourde, malsaine, factice

qui, au cours des événements, à l'improviste, aussi fatalement que les odieux procédés chimiques aujourd'hui trop connus, suffoque ou stupéfie ces mêmes hommes et les cotraint à livrer leurs biens et leur sang pour la défense et le triomphe d'une cause fausse et injuste. En vérité, là où l'opinion publique cesse de fonctionner librement, c'est là que la paix est en péril.

Finalement, Nous voudrions encore ajouter un mot relatif à l'opinion publique au sein même de l'Eglise (naturellement, dans les matières laissées à la libre discussion). Il ne peut y avoir à s'en étonner que ceux qui ne connaissent pas l'Eglise ou qui la connaissent mal. Car, enfin, elle est un corps vivant et il manquerait quelque chose à sa vie si l'opinion publique lui faisait défaut, défaut dont le blâme retomberait sur les Pasteurs et sur les fidèles. Mais ici encore, la Presse catholique peut fort utilement servir. A ce service toutefois, plus qu'à tout autre, le journaliste doit apporter ce caractère dont Nous avons parlé et qui est fait d'inaltérable respect et d'amour profond envers l'ordre divin, c'est-à-dire, dans le cas présent, envers l'Eglise telle qu'elle existe, non seulement dans les desseins éternels, mais telle qu'elle vit concrètement ici-bas dans l'espace et dans le temps, divine oui, mais formée de membres et d'organes humains.

S'il possède ce caractère, le publiciste catholique saura se garder tout autant d'un servilisme muet que d'une critique sans contrôle. Il aidera, avec une ferme clarté, à la formation d'une opinion catholique dans l'Eglise, précisément lorsque, comme aujourd'hui, cette opinion oscille entre les deux pôles également dangereux, d'un spiritualisme illusoire et irréel, d'un réalisme défaitiste et matérialisant. A distance de ces deux extrêmes, la Presse catholique devra exercer, parmi les fidèles, son influence sur l'opinion publique dans l'Eglise. C'est seulement ainsi que l'on pourra éluder toutes les idées

fausses, par excès ou par défaut, sur le rôle et sur les possibilités de l'Eglise dans le domaine temporel et, de nos jours, surtout dans la question sociale et le problème de la paix.

Nous ne terminerons pas sans tourner Notre pensée vers tant d'hommes véritablement grands, honneur et gloire du journalisme et de la presse catholique des temps modernes. Depuis plus d'un siècle, ils se dressent devant nous comme des modèles d'activité spirituelle; mieux encore : de leurs rangs se sont levés aujourd'hui de vrais martyrs de la bonne cause, les confesseurs vaillants parmi les difficultés spirituelles et temporelles de l'existence. Bénie soit leur mémoire! Que leur souvenir vous soit un reconfort et un encouragement dans l'accomplissement de votre rude mais important devoir.

Confiant que, à leur exemple, vous remplirez fidèlement et fructueusement le vôtre, Nous vous donnons de tout coeur, très chers fils, Notre Bénédiction Apostolique.

15 - S. S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXII [31 ian. 1950] p. 142)

INSTRUCTIO

AD LOCORUM ORDINARIOS : « DE MOTIONE OECUMENICA »

Ecclesia Catholica, etsi congressibus ceterisque conventibus « oecumenicis » non intervenit, nunquam tamen destitit, ut ex pluribus documentis Pontificiis colligitur, neque unquam in posterum desistet intensissimis studiis prosequi assiduisque ad Deum precibus fovere omnes conatus ad illud obtinendum, quod tantopere Christo Do-

mino cordi est, videlicet ut omnes, qui credunt in Ipsum, « sint consummati in unum » [1].

Etenim affectu plane materno omnes complectitur, qui ad ipsam tamquam ad unicam veram Christi Ecclesiam revertuntur; unde nequeunt satis probari et promoveri cuncta illa consilia et incepta, quae, consentiente Ecclesiastica Auctoritate, sive ad conversuros rite in fide instruendos, sive ad conversos in ea altius perficiendos, suscepta sunt atque peraguntur.

Iam vero in pluribus Orbis partibus, quum ex variis externis eventibus et animorum mutationibus, tum maxime ex communibus fidelium orationibus, afflante quidem Spiritus Sancti gratia, in multorum animis ab Ecclesia Catholica dissidentium desiderium in dies excrevit ut ad unitatem omnium redeatur, qui in Christum Dominum credunt. Quod profecto filiis Ecclesiae verae est causa sanctae in Domino laetitiae simulque invitamentum ad praestandum omnibus sincere veritatem quaerentibus auxilium, ipsis lucem et fortitudinem effusa prece a Deo sollicitando.

Conatus autem quidam a diversis sive personis sive etiam coetibus ad reconciliandos cum Ecclesia Catholica dissidentes christianos hucusque suscepti, quamvis optimis inspirentur intentionibus, non semper rectis innituntur principiis, et si quando innitantur, tamen peculiaribus non carent periculis, quemadmodum etiam experientia iam est compertum. Quare Supremae huic S. Congregationi, cui incumbit cura depositum fidei conservandi integrum ac tuendi, opportunum visum est in memoriam revocare et praecipere ea, quae sequuntur:

I. Quum praefata « reunio » ad Ecclesiae munus et officium potissimum pertineat, speciali cura Episcopos, quos « Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » [2],

---

[1] Ioan. XVII, 28.

[2] *Act.*, XX, 28.

eidem attendere oportet. Ipsi igitur non solum diligenter et efficaciter universae huic actioni invigilare debent, verum etiam prudenter eam promovere et dirigere, tum ut adiuventur qui veritatem veramque Ecclesiam exquirunt, tum ut arceantur a fidelibus pericula, quae actionem ipsius « Motionis » facile consequuntur.

Quapropter in primis plane perspecta habere debent quaecumque in suis dioecesibus per illam « Motionem » constituta sunt ac geruntur. Ad hoc Sacerdotes idoneos designabunt, qui, iuxta doctrinam et normas a Sancta Sede praescriptas, v. gr. per Litteras Encyclicas « Satis cognitum » [3], « Mortalium animos » [4] et « Mystici Corporis Christi » [5], omnia ad « Motionem » attinentia sedulo attendant, deque iis, modo ac tempore statuto, sibi referant.

Praecipua autem cura publicationibus, quae hac de re a catholicis quacumque forma eduntur, invigilabunt et sacrorum canonum « De praevia censura librorum eorumque prohibitione » (can. 1384, seq.) observantiam urgebunt. Quod idem facere non omittent quoad acatholicorum de eadem re publicationes, a catholicis sive edendas, sive legendas, sive vendendas.

Item ea diligenter providebunt, quae acatholicis, catholicam fidem cognoscere cupientibus, inservire possint; personas et Officia designabunt, quae iidem acatholci adire et consulere queant, eoque magis prospicient, ut, qui ad fidem conversi iam fuerint, facile inveniant, qua ratione ipsi accuratius altiusque in fide catholica instruantur, vitamque religiosam actuose ineant, praecipue per opportunos conventus ac coetus, per Exercitia Spiritualia et alia pietatis officia.

II. Quoad *modum rationemque hoc in labore proce-*

---

[3] *Acta Leonis XIII*, vol. XVI, a. 1897, pag. 157 ss.
[4] *Acta Ap. Sedis*. vol. XX, a. 1928, pag. 5 ss.
[5] *Acta Ap. Sedis*. vol. XXXV, a. 1943, pag. 193 ss.

dendi, Episcopi ipsi, quaenam praestanda sint, quaenam vero evitanda, praescribent, eaque ab omnibus observanda curabunt. Pariter invigilabunt, ne, falso praetextu potius esse attendenda ea quibus coniungimur, quam ea quibus seiungimur, periculosus indifferentismus foveatur praesertim penes eos, qui minus rebus theologicis sunt instituti et minus in sua religione exercitati. Cavendum est enim ne spiritu, qui « *irenicus* » hodie dicitur, doctrina catholica — sive de dogmate sive de veritatibus cum dogmate connexis agatur — studio comparativo et desiderio vano assimilationis cuiusdam progressivae variarum professionum fidei ita conformetur vel quodammodo accommodetur doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur.

Arcebunt quoque periculosum illum loquendi modum, quo falsae opiniones gignantur ac fallaces spes, quae nunquam impleri possunt; ex. gr. dicendo quae de dissidentium ad Ecclesiam reditu, de Ecclesiae constitutione, de Corpore Christi Mystico in Litteris Encyclicis Romanorum Pontificum traduntur non ita aestimari debere, quippe quia non omnia sint fide tenenda vel, quod peius est, in rebus dogmaticis ne Catholicam quidem Ecclesiam iam habere plenitudinem Christi, sed ab aliis eandem perfici posse. Sedulo praecavebunt et firmiter insistent, ne, in exaranda Reformationis et Reformatorum historia, ita exaggerentur Catholicorum defectus et dissimulentur culpae Reformatorum, vel ita quae potius accidentalia sunt in lumine collocentur, ut iam id, quod maxime essentiale est, scilicet defectio a fide catholica vix amplius videatur et persentiatur. Denique curabunt, ne nimia ac falsa industria externa vel imprudentia excitatoque procedendi modo rei propositae potius noceatur, quam serviatur.

Tota igitur et *integra* doctrina catholica est proponenda atque exponenda: minime est silentio praetereun-

dum vel ambiguis verbis obtegendum, quod veritas catholica complectitur de vera iustificationis natura et via, de Ecclesiae constitutione, de primatu iurisdictionis Romani Pontificis, deque unica vera unione per reditum dissidentium ad unam veram Christi Ecclesiam. Hii quidem edoceantur se ad Ecclesiam redeuntes nihil esse perdituros eius boni, quod gratia Dei in ipsis hucusque est natum, sed per reditum id potius completum atque absolutum iri. Attamen non ita de hoc est loquendum, ut ipsi sibi videantur redeuntes aliquid substantiale afferre ad Ecclesiam, quod in Ipsa hactenus defuerit. Haec revera clare et aperte dici oportebit, tum quia veritatem ipsi quaerunt, tum quia extra veritatem unio vera obtineri nunquam poterit.

III. Quoad *mixtos in specie catholicorum cum acatholicis conventus et collationes,* quae multis in locis ad fovendam in fide « reunionem » recentioribus temporibus haberi coepta sunt, singulari prorsus Ordinariorum vigilantia et moderamine opus est. Si enim optatam quidem praebent occasionem spargendi inter acatholicos cognitionem catholicae doctrinae adhuc ipsis plerumque non satis cognitae, ex altera tamen parte facile secumferunt haud levia catholicis indifferentismi pericula. Ubi quaedam boni fructus spes affulgere videatur, Ordinarius rem curabit recte administrandam, designando quam maxime idoneos ad hos conventus sacerdotes, qui catholicam doctrinam apte congruenterque exponant ac defendant. Fideles autem eos conventus ne adeant, nisi obtenta venia peculiari Auctoritatis Ecclesiasticae, quae danda solummodo est iis qui bene instructi et fortes in fide cognoscantur. Ubi vero boni fructus spes non appareat, vel si res aliunde specialia quaedam pericula secumferat, fideles ab iisdem conventibus prudenter arceantur, conventus autem ipsi mature dissolvantur vel sensim exstinguantur. Quoniam vero experientia docet, ampliores eiusmodi conventus parum fructus et plus periculi solere af-

ferre, nonnisi post diligentissimum examen permittantur.

Ad colloquia autem inter theologos catholicos et acatholicos mittantur tantummodo sacerdotes, qui, scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa vere idoneos se probaverint.

IV. Omnes praefatae collationes et conventus, publici et non publici ampliores et minores, ex condicto instituti, ut pars catholica et acatholica discussionis causa de rebus fidei et morum tractet suaeque fidei doctrinam tamquam propriam exponat, par cum pari agens, subsunt Ecclesiae praescriptis, quae *Monito* « Cum compertum »[6] huius Congregationis die 5 Iunii 1948 dato in memoriam sunt revocata. Conventus mixti itaque non absolute prohibentur; ne tamen habeantur absque praevia competentis Auctoritatis Ecclesiasticae venia. *Monito* autem non subiacent instructiones catecheticae, etiam pluribus simul impertitae, neque conferentiae, in quibus acatholicis conversuris exponitur doctrina catholica: etsi oblata occasione ab acatholicis suae quoque ecclesiae doctrina exponitur eum in finem, ut clare et considerate eis innotescat, in quo ipsa concordet cum doctrina catholica, in quo vero ab ea discrepet.

Neque idem *Monitum* respicit eos conventus catholicorum et acatholicorum mixtos, in quibus non agitur de rebus fidei ac morum, sed deliberatur quanam via collatis viribus principia fundamentalia iuris naturae vel religionis christianae defendantur contra colligatos hodie Dei inimicos, vel agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus. Quibus etiam in conventibus, ut evidens est, catholicis non licet aliquid probare vel concedere quod cum divina revelatione et Ecclesiae, in re sociali quoque, doctrina non congruat.

Quoad collationes et conventus *locales*, qui iuxta ex-

---

[6] *Acta Ap. Sedis*. vol. XL, a. 1948, pag. 257.

posita *Monito* tanguntur, Ordinariis locorum datur ad tres annos, a publicatione huius Instructionis computandos, facultas concedendi requisitam praeviam Sanctae Sedis licentiam, iis tamen condicionibus, ut

1° omnino evitetur in sacris communicatio;

2° ipsae tractationes debito modo inspiciantur et dirigantur;

3° in fine cuiusque anni ad hanc Supremam S. Congregationem referatur, in quibusnam locis tales conventus initi fuerint et quaenam inde collectae sint experientiae.

Circa vero *colloquia theologorum* supra memorata, eadem facultas ad idem tempus tribuitur Ordinario loci, ubi eiusmodi colloquia habentur, vel Ordinario communi consensu ab aliis Ordinaris ad hoc opus dirigendum delegato, sub condicionibus, ut supra, ita tamen, ut item singulis annis ad hanc S. Congregationem referatur de quaestionibus tractatis, quinam interfuerint et quinam exstiterint ex utraque parte relatores.

Quod attinet ad *collationes et conventus interdioecesanos vel nationales sive internationales*, praevia semper, eaque specialis pro singulis casibus, necessaria est ipsius Sanctae Sedis venia, in cuius petitione addendum quoque est, quaenam sint quaestiones et res tractandae et quinam futuri sint relatores. Neque licet, antequam venia haec obtenta sit, inchoare externum eiusmodi conventuum apparatum vel hac in re cum acatholicis eundem inchoantibus collaborare.

V. Quamquam in omnibus hisce conventibus et collationibus quaelibet in sacris communicatio est devitanda, tamen non reprobatur communis recitatio Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia Catholica approbatae, qua iidem conventus aperiantur et concludantur.

VI. Etsi uniuscuiusque Ordinarii ius et officium est huic operi in sua dioecesi attendere, favere et praeesse, tamen plurium Antistitum cooperatio conveniens vel

etiam necessaria erit in officiis operibusque ad *universum* hoc opus observandum, explorandum et moderandum instituendis. Ipsorum itaque Ordinariorum erit, collatis consiliis, examinare qua ratione apta in agendo uniformitas et ordinata colligatio obtineatur.

VII. Superiores religiosi invigilare et curare tenentur, ut sui subditi stricte fideliterque adhaereant iis, quae a Sancta Sede vel ab Ordinariis locorum hac in re praescripta sunt.

Quo autem tam praeclarum opus « reunionis » omnium christianorum in una vera fide Ecclesiaque magis in dies evadat insignita pars universae animarum curae, totusque populus catholicus ipsam « reunionem » instantius a Deo imploret, iuvabit profecto, ut fideles de his quaestionibus conatibusque, nec non de Ecclesiae ad rem praescriptionibus, deque rationibus, quibus eaedem nitantur, opportune, v. gr. per Litteras Pastorales, edoceantur. Omnes quidem et praesertim Sacerdotes et Religiosi adhortandi et inflammandi sunt, ut suis orationibus et sacrificis idem opus fecundare ac promovere studeant, monendique omnes, nulla alia re efficacius errantibus sterni viam ad veritatem et Ecclesiam amplectendam, quam fide catholicorum probis moribus comprobata.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 20 decembris 1949.

✠ Franciscus Card. Marchetti Selvaggiani *Secretarius.*

Alaphridus Ottaviani, *Adsessor.*

Adnotationes

Die 5 iun. 1948 a S. S. Congregatione S. Officii editum fuit « Monitum » (« Cum compertum »), quo inculcabantur praescripta can. 1325 § 3 (de catholicorum cum acatholicis disputationibus vel collationibus) et cann. 1258, 731 (de vitanda communicatione in sacris):

« Cum compertum sit variis in locis, contra Sacrorum Canonum praescripta et sine praevia S. Sedis venia, mixtos conventus acatholicorum cum catholicis habitos fuisse, in quibus de rebus fidei tractatum est, omnibus in memoriam revovatur ad normam canonis 1325 § 3 prohibitum esse, quominus his conventibus intersint, sine praedicta venia, cum laici, tum clerici sive saeculares sive religiosi. Multo autem minus catholicis licitum est huiusmodi conventus convocare et instituere. Quapropter Ordinarii urgeant, ut haec praescripta ab omnibus adamussim serventur.

Quae quidem potiore jure observanda sunt, cum agitur de conventibus, quos « oecumenicos » vocant, quibus catholici, sive laici sive clerici, sine S. Sedis praevio consensu, nullo modo interesse possunt.

Cum vero, tum in praedictis conventibus tum extra ipsos, etiam actus mixti cultus haud raro positi fuerint, denuo omnes monentur quamlibet in sacris communicationem ad normam canonum 1258 et 731, § 2, omnino prohibitam esse ».

Huius « Moniti » ampla in Periodica (1948 p. 173-183) data fuit explicatio. *Instructio* recenter edita, circa idem versatur obiectum, dando normas practicas circa *« Moniti »* exsecutionem, quibus nunc clarius apparet totius MOTIONIS OECUMENICAE pondus ac momentum.

Introductionis gratia effertur: Ecclesiae « reunionem » dissidentium semper summopere cordi fuisse, ideo ab ea probari, quae in hunc finem variis in regionibus opera suscepta sunt; at cum alicubi hoc in opere a recta via (etsi bona fide) aberraverint, peculiares agendi normas fuisse stabiliendas.

I. Cum « reunio » spectet ad munus Ecclesiae, motio oecumenica non est beneplacito et auctoritati privatorum relinquenda, sed inspicienda et dirigenda per Episcopos et sacerdotes aptos, ab iis in hunc finem designandos. Specialis Ordinariorum vigilantia versari debet circa *publicationes,* motionem oecumenicam spectantes; item circa adiumenta acatholicis ad fidem catholicam redituris vel iam-reversis praebenda.

II. *Modus et ratio agendi* in opere « reunionis » peragendo item ab Ordinariis statui eique ab iis invigilari debet. Memorantur nonnulla particularia; inter alia: non est adhibendus modus loquendi vel agendi, quo veritas catholica potius veletur quam manifestetur, vel quo falsae opiniones et fallaces spes in acatholicis gignantur; quo facta historica Reformationis falsa luce depingantur. Tota et integra semper est doctrina catholica proponenda, neque admittenda vel fovenda opinio: in Ecclesia catholica non esse plenam Christi veritatem, sed eam a dissidentibus, ad Ecclesiam redituris, suppleri debere.

III. Peculiari modo et fuse tractatur quaestio de *mixtis catholicorum et acatholicorum conventibus.* Ad eos non mittendi sunt nisi sacerdotes bene et specialiter instructi; fideles autem his conventibus sine venia competentis auctoritatis ecclesiasticae non debent interesse. Ubi nullus serius fructus ex mixtis conventibus expectari potest, omittantur et dissolvantur. — *Theologorum* mixti conventus ne fiant nisi a theologis, scientia theologica et spiritu ecclesiastico excellentibus.

IV. Explicite inculcatur: *omnes mixtus conventus,* modo proprie tales sint, — (datur eorum accurata descriptio) — *comprehendi* « *Monito* » S. Officii d. d. 5 iun. 1948. — Sic *rectificatur* interpretatio, quae (innixa aliquo nuntio radiophonico Vaticano, non recte intellecto) post « *Moniti* » publicationem iterum atque iterum sive viva voce sive in scriptis circumlata fuit: *parvos* scilicet vel *minores* conventus mixtos non tangi « *Monito* ». Omnes ei subsunt. Adduntur quaedam de certis circa acatholicos laboribus apostolicis et institutionibus, quae rationem « conventus mixti » non habent, ideoque « *Monito* » non continentur. Nominantur inter alia etiam illi cum acatholicis conventus, in quibus agatur de principiis fundamentalibus iuris naturalis defendendis vel de

ordine sociali redintegrando. In textu originali latino hic adiungitur clausula: neque tamen in talibus (socialibus) conventibus a catholicis aliquid probari vel concedi posse quod adversetur Revelationi divinae vel doctrinae Ecclesiae. Experientia enim teste non semel accidit ut in huiusmodi conventibus (contra eorum fines et obiectum) quaestiones fidei et morum inductae fuerint. Cum haec clausula in versione officiosa anglica, gallica, germanica desit (quod causam habere potest in eo quod aliquando officiosae versiones secundum primum typorum seu impressionis exemplar, ante ultimam textus redactionem, conficiuntur), hic variae huius clausulae versiones adduntur:

a) *versio gallica*: « Il est évident que même dans ces réunions il est interdit aux catholiques d'approuver ou de concéder des choses incompatibles avec l'enseignement de la révélation (divine) ou avec la doctrine de l'Eglise, même en matiére sociale.

b) *versio anglica*: « Even in these assemblies, as is evident, catholics are non permited to approve or concede anything that is inconsistent with divine revelation and the Church's doctrine also in social matters ».

c) *versio germanica*: « Aber auch bei diesen Zusammenkünften ist es den Katholiken, wie sich von selbst versteht, nicht erlaubt, etwas gutzuheissen oder zuzugestehen, was mit der götlichen Offenbarung und der Lehre der Kirche, einschliesslich des sozialen Gebietes, nicht in Einklang steht ».

Ad *omnes* conventus mixtos requiritur praevia licentia S. Sedis. Datur autem Ordinariis locorum facultas (servatis certis conditionibus) nomine S. Sedis concedendi hanc licentiam quoad conventus mixtos *locales;* item quoad tales conventus « *theologorum* ». Quoad conventus autem *interdioecesanos, nationales, internationales,* Ordinarii tali facultate non ornantur, sed semper ipsa S. Sedes est adeunda.

V. Prohibita est et manet quaelibet communicatio in sacris; non reprobatur tamen communis recitatio « Pater

Noster » vel precationis ab Ecclesia approbatae, initio vel in fine conventus.

Attendi autem debet: terminum « *communicationis in sacris* » adhiberi duplici sensu, iuridico et morali. *Sensu iuridico* sumptus, intellegitur: participatio (activa vel passiva) in functione liturgica presse dicta, peracta a ministro publico, ut sacris addicto, munere suo fungente. Sumptus *sensu morali*, intellegitur: actus cultus religiosi, communiter factus a catholico et a non-catholico, in cuius exercitio catholicus se adiungit acatholico, ut membro professionis suae acatholicae dictos actus pietatis religiosae (tamquam actus *suae religionis*) ponenti, quosque actus homo catholicus, communiter eos exercendo cum non catholico, quodammodo suos facit suisque aequiparat. Viceversa acatholicus aequaliter agit relate ad actus pietatis catholici, communiter cum eo peractos. In tali agendi modo latere potest et haud raro continetur practica quoad actus pietatis aequiparatio utriusque « professionis » (catholicae scl. et acatholicae), seu aliqua forma « *interconfessionalismi* ». Ideo utraque forma, tum iuridica tum moralis, evitari oportet et per *Instructionem* exclusa dici debet. Sed mera communis recitatio « Pater Noster » vel precationis ab Ecclesia catholica approbatae, initio vel in fine conventus, non est neque habenda est talis illicita « communicatio in sacris », neque iuridica neque moralis; quod explicitis verbis in Instructione effertur. At ex altera parte verbis Instructionis non approbatur neque permittitur: occasione « conventus mixti » a membris catholicis insimul cum acatholicis recitari « Vesperas » vel « Completorium ».

VI. Ut uniformitas servetur et incertitudo conscientiarum praecaveatur, commendatur, ut Ordinarii in tota hac re communi consilio agant. — *Superiores religiosi* dein monentur curare, ut, quae ab Ordinariis Locorum fuerint stabilita, a suis subditis stricte et fideliter observentur (n. VII).

Concludit Instructio omnes exhortando, ut eximium « reunionis » opus Deo enixe commendent, ut suis orationibus et sacrificiis Dei gratiam implorent, praesertim vero, ut sancta sua et vere catholica vita — (exemplo magis movente, quam verbis) — non-catholicis viam sternant ad veritatem catholicam et catholicam Ecclesiam amplectendam.

FRANCISCUS HÜRTH S. I.

16 - S. S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXII [15 mart. 1950] p. 259)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 8 Martii 1950

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

« *Abscôndita,* Diário da Irma Inês », compilado por M. da S. Mourão de Freitas, Porto, 1949.

Et Feria III, die 14 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 Martii 1950.

P. VIGORITA, *Notarius.*

17 - S. Congregatio Consistorialis

(*AAS.* XXXXII [25 febr. 1950] p. 195)

DECRETUM

Cum Sacerdos Ioannes Dechet officium « Administratoris » vacantis Ecclesiae Neosoliensis e manibus laicorum acceptare acceptatumque inire praesumpserit, Sacra Congregatio Consistorialis praedicto Sacerdoti poenam excommunicationis speciali modo Apostolicae Sedi reservatae infligit atque expresse iubet ipsum vitari debere.

Monet igitur clericos ac fideles ut cum praedicto Sacerdote se gerant ad normam canonis 2261 § 3 Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 18 Februarii 1950.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

I. Ferretto, *Substitutus.*

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

G. B. Alfano, *La continenza periodica nel matrimonio dal punto di vista teorico, pratico e morale,* Neapoli, M. D'Auria, 1949, 14,5 × 21 cm., 143 pag.

Su quale fondamento poggia la teoria Ogino-Knaus. Applicazione del metodo Ogino-Knaus. Computo per conoscere i giorni fecondi e infecondi. Quale affidamento dà il metodo Ogino-Knaus? Moralmente considerato il metodo Ogino Knaus è lecito? Conclusione.

J. Fuchs, *Die Sexualethik des Heiligen Thomas von Aquin,* Coloniae, J. P. Bachem, 1949, 12,5 × 20 cm., 329 pag.

Der Mensch und das Geschlechtliche: Sicht und Wertung des Geschlechtlichen. Das rechte Verhalten zum Geschlechtlichen. Die materiale Ordnung des Geschlechtlichen: Grundnormen und entferntere oNrmen des Geschlechtslebens. — Autorität und Tradition der Sexualethik des Hl. Thomas. — Literaturverzeichnis.

A. Gemelli O. F. M., *La fecondazione artificiale,* 2ª ed., Mediolani, Vita e Pensiero, 1949, 12 × 17,5 cm., 140 pag.

Attualità del problema fuori d'Italia. Lo stato del problema in Italia. Opinioni di moralisti. Il problema medico. La soluzione della teologia morale. Un poco di casistica. Conclusioni et appendici. Nota bibliografica.

T. A. Iorio S. J., *Spigolature sulla condanna del comunismo nel decreto del S. Uffizio 1 luglio 1949,* Neapoli, M. D'Auria, 1949, 145 × 21 cm., 34 pag.

Directorium seminariorum (*In Sinis*), auctoribus Missionariis Congregationis Immaculati Cordis Mariae (Scheut), Pekini, 1949, 15,5 × 23,5 cm., XXXIX-149 pag.

De Ecclesia e clero indigena condenda. De vocationibus colendis. De seminariis in genere. De regimine seminariorum. De disciplina. De formatione seminaristarum in seminario maiore et in minore. De scrutinio et de praeparatione alumnorum ad ordinationes. De efformatione iuniorum sacerdotum. Appendices.

II - Ex periodicis

APOLLINARIS, XX (1947), Num. 3-4. — P. TOCANEL, *De temporis supputatione* (Annotationes), p. 221-231.

BULLETIN DE LA SOCIETE DES MISSIONS ETRANGÈRES, 2ª ser., num. 19 (ian. 1950). — J. M. MARTIN, *Le Quatrième Centenaire de St. François-Xavier*, p. 5-18.

COLLECTANEA MECHLINIENSIA, XXXV (1950), fasc. 1 (ian.). — A. JANSSEN, *Het Waarheidsserum*, p. 5-20. — R. AUBERT, *Anglicans et catholiques*, p. 21 51. — A. JANSSEN, *Het waarheidsserum*, p. 137-157.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS, Vol. XXXVIII (1949), fasc. I-II. — A. LARRAONA C. M. F., *Commentarium codicis* (cont.), p. 30-37. — A. GUTIERREZ, *De admissione in religionem filiorum illegitimorum etc.*, p. 49-66. — A. URRUTIA, *Familiae religiosae apud Anglicos* (cont.), p. 67 83.

EPHEMERIDES LITURGICAE, LXIII (1949), fasc. IV. — TH. KLAUSER, *De generali liturgica reformatione. De ratione reformandi Breviarium Romanum*, p. 406 411. — P. SALMON, *I presupposti storici di una riforma del Breviario*, p. 412-420.

NEDERLANDSE KATHOLIEKE STEMMEN, XLV (1949), afl. 12 (dec.) — H. BOELAARS C. SS. R., *Veelvuldige kindercommunie*, p. 369-377. — XLVI (1950), afl. 1 (ian.). — A. VAN GALEN O. CARM., *De ongehuwde vrouw in de wereld*, p. 2-9. — C. MOONEN C. SS. R., *Een pause lijN woord over de kunstmatige inseminatie*, p. 29-19-28. Afl. 2 (febr.). — W. MULDER, *De nieuwe vasten en onthoudingswet*, p. 33-39. — P. THIJSEN, *Boetelingen of koningen van de schepping?* p. 40 45. — TH. VAN VUGT, *Zielzorg in de boetetijd voor pasen*, p. 45-52.

RECHERCHES DE SCIENCE RELIGIEUSE, XXXVI (1949), num. 4 (oct.-dec.). — H. DE LUBAC, « *Sens spirituel* », p. 542-576.

REVISTA ECCLESIÁSTICA BRASILEIRA, Vol. 9 (1949), fasc. 4 (dec.). — C. KOSER O. F. M., *Qualificação Teologica da Assunção*, p. 825-846.

REVUE DIOCÉSAINE DE NAMUR, IV (1949), num. 6 (nov.). — E. RANWEZ, *Charité et justice sociale*, p. 465-480.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, XXXI (1950), fasc. I et II (ian. febr.). — Plures articuli de directione spirituali « delectorum », iuvenum, sacerdotum, puellarum, mulierum, p. 1-14; 45 58. Fasc. III (mart.). — F. OLGIATI, *I cattolici e il comunismo*, p. 97-111.

SAL TERRAE, XXXVIII (1950), num. 3 (mart.). — J. SALAVERRI S J., *El problema de la « Nueva Teologia »*, p. 143-151.

THEOLOGIE UND GLABE, I (1950). — J. WENNER, *Formpflichtige und formfreie Brautleute*, p. 42-56.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE CONSTITUTIONE S. PII V. "CIRCA PASTORALIS" super clausura monialium et tertiariorum

Omnibus notum est vota simplicia, quae nunc publice in Codice Juris canonici ut religiosa, id est statum religiosum constituentia, agnoscuntur, non esse admissa in jure canonico nisi post longam difficilemque evolutionem. Hujus evolutionis descriptiones sunt plerumque parum accuratae [1], non indicant nisi pauca sic dicta « miliaria » evolutionis et nonnulla facta historica, identidem narrata: deest historia quae omnia comprehendit et colligit [2]. Scopus noster non est ut totam hanc evolutionem describamus, non solum quia hoc limites articulorum in foliis periodicis publicandorum transcenderet, sed etiam quia hoc modo evitari nequeunt tot errores, qui in vulgatis ad nistituta juridica introductionibus histori-

1 Revue des Communautés religieuses, 16e annee (1940), p. 52, note 1; Sit unum exemplum: in opere « De professione religiosa » auctor tres distinguit epochas in evolutione instituti professionis. Haec est tertia, « quae saeculo XVI incipit, cum vota simplicia, primum per Societatem Jesu inducta, ab Ecclesia tamquam vota vere religiosa agnita sunt (Greg. XIII, Ascendente Domino, anno 1584); unde Congregationes votorum simplicium florescere coeperunt ». (Muzzarelli: de professione religiosa a primordiis ad saec. XII, seu Virginum consecratio, monastica ac praesertim in decreto Gratiani religiosa professio, Romae, 1938, p. 23).

2 Vie spirituelle, t. 81 (1949), p. 39.

cis semper repetantur [3]. Si nempe aliquid novi scientiae addere intendamus, opportunius videtur funditus explorare objectum bene determinatum atque circumscriptum, quam satis leviter describere totam aliquam intricatam evolutionem. Proinde eligendum erat inter diversas partes ingentis materiae. Atqui: in votorum simplicium instituti evolutione secundum omnes scriptores magnum locum obtinet celebris constitutio S. Pii V « Circa Pastoralis », die 29 maii 1566 [4], quae saecularem revera influxum exercuit [5]. Immo: evolutio fere tota quanta exstitisse traditur in eliminanda citata constitutione, quae tamen diversimodo ab auctoribus intelligitur quoad obligationes impositas, personas obligatas causasque motivas, ita ut utile nobis visum sit illius interpretationem suscipere.

Constitutio « Circa Pastoralis » e pluribus paragraphis consistens, apte in tres parte dividi potest. Praeposita introductione, in paragraphis prima et secunda agitur de monialibus, i. e. de mulieribus religiosis quae vota solemnia nuncupaverunt. In tertia et quarta paragrapho sermo est de tertiariis, i. e. de mulieribus ad aliquem tertium ordinem pertinentibus. In sequentibus paragraphis (quinta, sexta et septima) inveniuntur nonnulla statuta ad praecavenda incommoda quae e praescriptis praecedentium paragraphorum oriri possent. Tandem deputantur exsecutores (paragraphus octava), apponuntur clausulae derogatoriae (paragraphi nona et decima), indicatur modus promulgationis (paragraphi undecima et duodecima).

---

[3] Van Hove: Prolegomena, editio altera auctior et emendatior, Mechlinae-Romae, 1945, p. 631, n. 573.

[4] Bullarium Diplomatum et Privilegiorum Summorum Romanorum Pontificum, editio Taurinensis, t. VII, p. 447/450.

Fontes Codicis Juris Canonici, cura Em. P. Card. Gasparri et Just. Card. Seredi editi, Romae, t. I, p. 201/204, n. 112.

[5] J. Creusen, Revue des Communautés religieuses, 15e annee, (1939), p. 18.

Operis a nobis ad lauream in jure canonico obtinendam judicio facultatis juridicae Pontificiae Universitatis Gregorianae submissi, partes principaliores tantum hoc loco publici juris facimus: breviter proinde de monialibus, fusius de tertiariis loquemur, duplicem quidem ob rationem. Praecipua enim pars constitutionis invenitur in dispositionibus de mulieribus tertiariis, quae, aliter ac moniales, a statutis Concilii Tridentini de clausura observanda [6], saltem probabiliter, non obligabantur, quae obligatio iis a constitutiones « Circa Pastoralis », nonnullis conditionibus expletis, imposita est. Studium proinde circa hanc constitutionem statuta de tertiariis tamquam partem principalem explanare debet. Accedit et altera ratio hisce verbis patris Vermeersch expressa: « Diu omnium religiosorum vota fuere solemnia. Simplicibus votis obstringi coepti sunt tertiarii S. Francisci et S. Dominici, qui communem agebant vitam » [7]. Hoc assertum maximam meretur attentionem. Nonne pluries in votis simplicibus, in Societate Jesu emissis, ponitur origo illius disciplinae, quae nunc vota simplicia juridica perfecte agnoscat? Proinde cum auctore Stanton dicimus: « De tertiariis ordinum mendicantium nobis agendum est propter eorum influxum in novam vitam religiosam instituendam scil. cum votis simplicibus et sine clausura » [8]. In duobus capitibus de tertiariis loquemur: in priori capite potius historico stabilire conabimur statum juridicum in quo, tempore S. Pii V. tertiariae vivebant, quod faciemus describentes earum evolutionem ad statum regularium. Deinde, in altero capite, quaestiones juridicae accurate examinabimus, quia de obligatione tertiariis imposita et de personis obligatis inter auctores vigent disputationes. Quaestio, sitne

---

[6] cap. 5, sess. 25 de regularibus et monialibus.

[7] Vermeersch: De religiosis institutis et personis tractatus canonico-moralis, t. I, editio 2a, Brugis, 1907, p. 42.

[8] Stanton: De Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis, editio altera, Halifaxae, 1936, p. 8.

« Circa Pastoralis » lex generalis pro omnibus mulierum congregationibus, ad principaliores pertinet, quae in constitutione « Circa Pastoralis » interpretandae occurrunt. Quae a nobis in hisce articulis exponuntur, sufficiunt, ni fallimur, ad rectum judicium de citata constitutione efformandum.

SECTIO PRIOR: DE MONIALIBUS

Statuta a nobis in hac sectione succincte interpretanda, inveniuntur in duobus prioribus constitutionis paragraphis.

« Par. 1. Hac igitur perpetuo valitura constitutione, « inhaerentes etiam constitutioni felicis recordationis Bo- « nifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit « PERICULUSO, et decretis Concilii Tridentini super clau- « sura monialium editis, auctoritate apostolica tenore « praesentium, statuimus atque perpetuo decernimus uni- « versas et singulas moniales, praesentes atque futuras, « cuiuscumque Religionis, Ordinis vel militiarum, etiam « Hierosolymitani, sint, quae vel jam receptae sint, vel « in posterum in quibusvis monasteriis sive domibus re- « cipientur, et tacite vel expresse Religionem professae, « etiam si conversae aut quocumque alio nomine appel- « lentur, etiam si ex institutis vel fundationibus earum « Regulae ad clausuram non teneantur, nec unquam in « earum monasteriis seu domibus, etiam ab immemorabili « tempore, ea servata non fuerit, sub perpetua in suis « monasteriis seu domibus debere de cetero permanere « clausura, juxta formam dictae constitutionis felicis re- « cordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, « quae incipit PERICULOSO, in sacro Concilio Tridentino « approbatam, et innovamus in omnibus et per omnia, « ac illam districte observari mandamus ».

« Par. 2. Quod si aliquae moniales forsan reperian-
« tur, quae, consuetudine, etiam immemorabili, aut insti-
« tuto vel fundatione Regulae suae fretae, animo obsti-
« nato huic clausurae resistant, aut quoquomodo reluc-
« tentur, Ordinarii, una cum superioribus earum, omni-
« bus juris et facti remediis compellant easdem tamquam
« rebelles et incorrigibiles ad praecise subeundam dictam
« clausuram, perpetuo observandam » [9].

Ex ipsis constitutionis verbis apparet primae paragraphi praescriptionem, supra relatam, non esse inauditam inventionem, sed potius approbationem et renovationem praescriptionum jam exsistentium. In historica evolutione disciplinae clasurae S. Pius V est periodi, quae incipit a Concilio Tridentino, cujus semper fuit indefessus exsecutor, nonnumquam aliquid addens aut accuratius vel severius statuens. Quod etiam fecit relate ad praescripta Concilii quae pertinent ad clausuram: falsissimum esset opinari « clausuram », i. e. complexum legum relate ad egressum monialium et ingressum ad eas, prima vice a Pio V esse ordinatam. Potius continuat evolutionem, quae post eum ulterius processit in disciplinam quae in Codice Juris Canonici nunc vigente est sancita.

Prima vice [10] omnibus monialibus clausura stricte observanda imposita est a Bonifacio VIII per constitutionem « Periculoso » [11]. Promulgata est anno 1298 et in introductione exponitur causa constitutionis: « Periculoso et detestabili quarundam monialium statui (quae honestatis laxatis habenis et monachali modestia sexusque verecundia impudenter abjectis, extra sua monasteria, nonnumquam per habitacula saecularium personarum dis-

---

9 confer notam 4.

10 Suarez, de religione, pars secunda, tract. 8, lib. 1, cap. 8, n. 11; Opera omnia, Parisiis (editio Vivès), t. XVI, 1866, p. 48, n. 11.

11 cap. unic., III, 16, in VI°; Corpus Juris Canonici, editio Friedberg, t. II, col. 1053.

currunt et frequenter intra eadem monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravamen, offensam, in religionis opprobrium et scandalum plurimorum) providere salubriter cupientes ... ». Etsi jam a multis clausura observabatur, plures libere extra monasteria vagabantur, hoc modo scandalose viventes. Praecise propter deficientiam legis generalis, praxis erat nimis diversa. Propterea: « praesenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus, universas et singulas moniales praesentes atque futuras, cujuscumque religionis sint vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus exsistentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cetero permanere clausura ita ut nulli earum, religionem tacite vel expresse professae, sit vel esse valeat quacumque ratione vel causa (nisi forte tanto vel tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhonestae personae nec etiam honestae (nisi rationabilis et manifesta causa exsistat ac de illius ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus vel accessus pateat ad easdem ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino servire Deo valeant liberius et, lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua et opera in omni sanctimonia diligentius custodire ».

Ulterior disciplinae evolutio invenitur in praescripto Concilii Tridentini (caput 5, sess. 25 de regul. et monial.), quod severiorem clausuram imponit, praesertim statuendo poenam ipso facto incurrendam. Quod statuens, Concilium extendit jus particulare a nonnullis ordinibus jam observatum [12] ad universam Ecclesiam. Caput « Periculoso » enim non fuit observatum et per contrarias con-

[12] ex. gr. a Dominicanis, Hofmeister, Archiv für kathol. Kirchenrecht, 114 (1934), 64.

suetudines fere abolitum: scandala exorta [13] renóvationem exigebant et utiliter addita est sanctio poenalis quae in constitutione Bonifatii deerat [14]. Decretum de reformatione monialium, patrum Concilii examini exhibitum [15] in capite quinto per longum et latum agebat de materia clausurae. In discussione pluries a patribus observatum fuit, totam reformationis materiam melius superioribus ordinum relinquendum esse [16]. Decretum definitive acceptum (quamvis forte paululum praecipitanter propter desiderium finem Concilio imponendi) non solum est minoris extensionis (a lineis 49 diminutum ad 22 in editione goerresiana) sed etiam minoris severitatis, quod notandum est. En Textum:

« Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio etiam ad breve tempus, quocúmque praetextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo probanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut condicionis, sexus vel aetatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cuiuscumque facultatis vel indulti, hactenus concessi vel in posterum concedendi ».

---

13 H. Jedin (« Zur Vorgeschichte der Regularenreform Trid. Sess. XXV », Römische Quartalschrift, 44 (1936), 278, nota 133) observat Hofmeister (Archiv für kathol. Kirchenrecht, 114 (1934), 67) non satis consideras-e quomodo abusus reales influxum habuerint in jus tridentinum de clausura efformandum.

14 Ne tamen credatur clausuram nullibi esse observatam; cfr. Analecta Juris Pontificii, series III/IV, col. 429/437.

15 Concilium Tridentinum, editio goerresiana, Friburgi Brisgoviae, t. IX, p. 1042.

16 Concilium Tridentinum, editio goerresiana, t. IX, p. 1044-1069; in specie cfr. summam censurarum, p. 1068, linea 32.

Plures S. Pius V constitutiones super clausura promulgavit: in Bullario Romano Taurinensi inveniuntur quinque [17], quarum prima est studii nostri objectum.

Constitutio « Circa Pastoralis » promulgata est die 29 maii, anno 1566, id est fere quinque mensibus post inceptum pontificatum S. Pii V et intra tres annos post Concilium Tridentinum peractum. Statim oritur quaestio, cur iterum post tam breve tempus clausurae praescriptio imponenda esset? Improbabile est per tres annos multa accedisse quae novam interventionem pontificiam requirebant; probabiliter tamen praescripta Concilii nondum erant ubique introducta et plures se excusabant propter dubia in illorum interpretatione exorta. Et revera ita res se habent: e documento hucusque ignoto et a nobis feliciter [18] detecto in archivo S. Congregationis Concilii, scimus mense octobris anni 1565, id est immediate ante pontificatum S. Pii V. tria dubia super clausura monialium resolvenda, esse proposita. Haec autem sunt:

« An ex decreto Concilii sess. 25, c. 5 de regul. co-
« gendae sint moniales cujuscumque Ordinis quae profes-

---

17 « Circa Pastoralis » 29 maii 1566 Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 447.

« Regularium personarum » 24 oct. 1566 Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 487.

« Ea est » 3 julii 1568 Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 679.

« Decori et honestati » 24 jan. 1570 Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 809.

« Decori et honestati » 1 febr. 1570 Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 450.

« Decet Romanum » 16 julii 1570 Bull. Rom. Taur., t. VII, p. 488.

18 « Feliciter » quia, judicio Praefecti Archivi Vaticani, fere impossibile est invenire praeparationes veterum constitutionum, quae, a secretariis adnotatae, nunc ubique dispersae sunt, si adhuc exsistant. Hanc difficultatem testatur Rayanna, S. J., qui nihil detegere potuit de praeparatoriis ad constitutionem « Romani Pontificis », 2 aug. 1571 (Periodica de re morali, canonica, liturgica, 28 (1939), 191).

« sae sint tria vota substantialia ad servandam clausuram, « licet etiam ex institutis earum regulae ad id non te- « neantur nec unquam in earum monasteriis clausura fue- « rit servata etiam a tempore immemorabili.

« Posito quod omnes moniales professae tria vota « substantialia, cogendae sint ad clausuram, quomodo pro- « videndum erit iis qui pro necessitate victus coguntur « mendicare.

« Quid servandum sit in monialibus quae dicuntur « tertii ordinis seu de poenitentia aut Canonicae seculares « aut alio nomine quae tria vota substantialia omnino non « emittunt sed unum aut duo tantum aut etiam nullum « sed certam vivendi regulam monialibus similem pre- « bent » [19].

Omnia in pluribus patrum Cardinalium congregationibus disputata paucis verbis comprehendi possunt ut

---

[19] Locus documenti non facile indicari potest. In archivo S. Congregationis Concilii exstant nonnulla volumina antiqua sine numeris vel titulis exterius inscriptis, nec annus indicatur. Interius varie inscribuntur: « Declarationes Sacri Concilii Tridentini » vel « Declarationes S. Congregationis Concilii » vel « Declarationes ad Concilium ». Due volumina in quibus nostrum documentum invenitur (quia bis exscriptum est) idem involucrum habent, sed pro priore volumine non est integrum, ita ut titulus inscriptus partialiter tantum legi possit. Indicatio « tom. I » integra conservata est. Titulus completus, qui in altero volumine adhuc invenitur est: « Collettan: di varii Decreti della S. Congr. del Concilio ». Mensura est 32×24.

Post annum 1626 volumina membrana vestita sunt, quia in fine ultimi voluminis habetur aliquod « Inventarium librorum decretorum quae omnia Fagnanus, secretarius S. Congregationis Concilii consignavit Pauluccio eius successori in eadem secretaria ». In fine habetur authentica declaratio hujus traditionis, subscripta ab ipso Pauluccio, maii 1626. Volumen ipsum est agglomeratio variarum scripturarum quae variis manibus scriptae sunt.

Primum inscriptum folium primi voluminis quod numeratur 47, habet sequentem indicationem, scriptam alia manu ac ea quae ipsa documenta inscripsit: « ex lib. autographo extra inscripto Decreta Congregation. Concilii et Collectan. eorum lib. 20 », quod deletum est et positum: « lib. ... ».

sequitur: quaeritur an vi Concilii Tridentini (loco citato) omne moniales et omnes mulieres, monialibus similes, cogendae sint ad clausuram, etsi eam numquam observaverunt nec e suis regulis ad eam sunt obligatae.

Contra (argumenta proponuntur praesertim a consultoribus, qui ipsi sunt regulares) sunt verba ipsius Concilii, quae loquuntur de *restituenda* clausura ubi fuerit violata; contra est etiam quod votum nequit extendi ultra id quod vovens intendit.

Pro (ita praesertim consultores non-regulares) sunt verba Concilii, quae in altera parte capitis quinti, omnibus monialibus de novo imponunt clausuram; ad alterum argumentum negativum respondetur in omni regula contineri clausuram utpote propugnaculum necessarium voti castitatis.

In responso ad tria dubia patres Cardinales distinguunt inter moniales futuras, quae omnes se debent obligare ad clausuram et moniales jam professas, quae omnes adhortandae sunt ut clausuram accipiant; si recusent et scandalose vivant violenter obligabuntur; secus separabuntur ab aliis ita ut exstinguantur. De mulieribus sine tribus votis ulterius investigandum erit.

Responsum cardinalium Concilii Tridentini interpretum numquam est publicatum. Ipse Summus Pontifex totam quaestionem definitive et authentice resolvit per constitutionem « Circa Pastoralis ».

Statuta relate ad moniales distingui possunt prout loquuntur de obligatione imposita aut de personis obligatis.

Folia quae nostrum documentum continent non sunt numeris notata, ultimo folio excepto, quod est 151um. Folia alterius voluminis omnia habent numerum et dubiorum discussio incipit in folio 132 tergo et in folio 150 tergo ultima verba inveniuntur.

I. De obligatione imposita

Quaerenti quid per « Circa Pastoralis » monialibus imponatur, facile respondetur: debent de cetero permanere sub perpetua clausura « juxta formam constitutionis Bonifacii VIII quae incipit « Periculoso », in sacro Concilio Tridentino approbatam et innovatam ».

Statim animadvertimus S. Pium V per constitutionem « Circa Pastoralis » nullatenus formam clausurae mutasse: hoc postea fecit publicando constitutionem « Decori » [20]. Momentum juridicum constitutionis « Circa Pastoralis » non habetur in evolvendis praeceptis circa clausuram quoad causas licite egrediendi, quoad personas quae dare possunt licentiam vel habent curam de observatione clausurae in monasteriis exemptis vel non etc. Tridentina clausurae forma in nostra constitutione a Pio V non mutatur: innovationes in ea peractae pertinent unice ad personas quae clausuram observare tenentur et non ad alia statuta. Sanctus Papa exsequi voluit statuta Concilii Tridentini: per constitutionem « Circa Pastoralis » solvere intendit dubia relate ad personas obligatas, quia multae se excusabant propter varias rationes plus minusve validas. Quamquam enim satis apparet intentionem patrum in Concilio Tridentino fuisse omnes omnino moniales obligare, insufficienter hoc expressum est per verba decreti, praecipitanter formati. Practica dubia Curiae Romanae proposita sunt: haec solvere intendit Pontifex. Dicere nequimus, nisi in sensu restricto, hoc modo legem clausurae factam esse severiorem: extensa est ad plures personas, sed lex ipsa mutata non est. Melius adhuc dicamus: authentice declarata sunt verba Concilii « nemini autem sanctimonialium » — cetera autem intacta remanserunt.

---

20 Confer notam 17.

II. De personis obligatis

Altera quaestio hic tractanda haec est: quibusnam personis clausura in forma tridentina imponitur?

Dum decretum tridentinum in noto capite quinto dicit « nemini autem sanctimonialium liceat etc. », constitutio « Circa Pastoralis » tota quanta est in accurate stabiliendo personas obligatas, interpretans necnon extendens decretum tridentinum.

A. *Obligatio imponitur monialibus.*

« Auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus », dicit S. Pontifex, « universas et singulas *moniales* ... sub perpetua debere de cetero permanere clausura ». Agitur de monialibus, id est de mulieribus, quae in religione a Sede Apostolica approbata, tria vota essentialia solemniter emiserunt, viventes in congregatione seu in communi. « Ita sentiunt sine controversia doctores » [21].

Assertum in extenso probari opus non est: satis manifestum est ex ipsa constitutione. In tertia enim paragrapho (confer postea) affirmatur de tertiariis, « si et ipsae professae fuerint, ita ut *solemne* votum emiserint eas ad clausuram ut *praemittitur* (i. e. in 1 et 2 paragrapho) teneri ». Profecto nemo est qui dubitet quin, tempore S. Pii V, moniales fuerint mulieres solemniter a tribus votis professae. Haec est significatio verbi magis stricta, quam ipse S. Pius V. ulterius declarat. Possumus dicere saltem istas personas sub verbo « moniales » venire, dummodo tamen vivant in *congregatione*. Secus non ad clausuram vi nostrae constitutionis tenerentur [22]. Sta-

---

[21] Passerini: Commentarium in secundum et tertium librum sexti Decretalium, pars secunda, Romae, 1670, cap. Periculoso, n. 45.

[22] Pellizarius: Tractatio de Monialibus, Romae 1755, cap. 5, sectio 1, n. 14.

tuitur enim moniales debere de cetero permanere sub clausura « in suis domibus seu monasteriis ». Domus hic non est domus privata in qua apud familiam propriam et « in saeculo » degunt: contextus hanc interpretationem prorsus excludit.

B. *Obligatio imponitur monialibus professis.*

Debent esse moniales *professae* (ita ut novitiae et postulantes, oblatae vel donatae, uno verbo omnes non-professae non teneantur) et quidem trium votorum *solemnium*: de non-solemniter professis vel unum tantum aut duo vota emittentibus postea, in tertia et quarta paragrapho, sermo erit. Professio sufficit *tacita* vel *expressa* (« Tacite vel expresse religionem profitentes »): nihil refert utrum tacita professio sit emissa ante vel post Concilium Tridentinum, quia in alterutro casu est valida [23].

C. *Obligatio imponitur monialibus cujuscumque religionis.*

Hujusmodi moniales professae ad praefatam clausuram tenentur « cuiuscumque *religionis, ordinis* vel *militiarum* etiam Hierosolymitani sint ». Indubitanter *omnes* moniales militares, dummodo tria vota solemnia emiserint, ad clausuram tenentur: dictio « etiam » significat a fortiori comprehendi moniales aliorum ordinum militiarum ab ordine hierosolymitano distinctorum [24]. Nec cre-

---

[23] Cfr. auctores: Suarez, de religione, pars. sec., tract. 7, lib. 6, cap. 20; Opera omnia (Vivès), t. XVI, p. 501-503.

[24] Pellizarius, de Monialibus, cap. 5, sectio 1, n. 13; S. Joannis Melitensis Ordo militiaris institutus est, sub regula S. Augustini, Hierosolimis, prope templum Christi resurgentis, in Calvarii monte a Gerardo, erectore hospitalis S. Joannis Baptistae, anno 1099. (Barbosa, Juris ecclesiastici universi libri tres. Lugduni, 1699, lib. 1, cap. 41, n. 166). S. Pius V expresse nominat

datur professionem solemnem et praesertim perpetuam clausuram pro monialibus militaribus esse impossibilem utpote incompatibilem cum fine illorum ordinum. Moniales enim in hujusmodi ordines admittuntur, non ut actu militent [25], sed ut militibus et membris clericis in obsequiis domesticis inserviant [26]. Clausura eis, votis solemnibus ligatis, omnino convenit.

D. *Obligatio imponitur monialibus cujuscumque nominis.*

Obligatio non pendet a nomine quo moniales vocantur. Tenentur ad clausuram « etiam si *conversae* aut quocumque alio nomine appellentur ».

Sermo est de monialibus conversis, id est de mulieribus solemniter professis, quae tamen dicuntur « conversae » ratione operum quibus indulgent. Differentia inter conversas et moniales quae saepe « choristae » dicuntur, non consistit in earum votis, non consistit ergo in religionis substantia, sed in ministerio, quia istae deputantur ad servitia seu ministeria corporalia, hae vero ad chorum [27]. Negare nolumus adfuisse conversas quae non emiserant tria vota solemnia, sed asserimus sub voce « conversae », de quibus in prima paragrapho constitutionis « Circa Pastoralis », venire moniales, solemniter a tribus votis professas, ministeriis manualibus deditas. Hujusmodi conversae sunt religiosae in sensu proprio ideoque

---

hunc ordinem quia inter principaliores est computandus et valde privilegiatus exsistit. Praeterea milites S. Joannis tria vota solemnia emittere dicuntur, proinde sunt veri religiosi.

[25] Hoc modo finis ordinis militiaris videtur omnino repugnare sexui femineo; Pellizarius, de Monialibus, cap. 1, n. 6.

[26] Lezana, Summa quaestionum Regularium, Duaci, 1646, t. II, cap. 5, n. 1.

[27] Suarez, de religione, pars sec., tract. 8, lig. 1, cap. 7, n. 17; Opera omnia (Vivès), t. XVI, p. 51.

ad clausuram observandam tenentur; si solemnem professionem non emittunt, non comprehenduntur sub hac lege i. e. prima paragraphus eas non attingit. Unanimiter auctores hoc admittunt [28] nec in dubium vocari potest; ideo conversae quae sunt moniales in sensu stricto, sub perpetua, in suis monasteriis seu domibus, clausura de cetero permanere debent.

Dici nequit S. Pium V. per hoc statutum aliquid ad praescripta tridentina addidisse. « Nemini sanctimonialium licet post professionem e monasterio exire » (cap. 5 decreti de regularibus) Atqui: conversae solemniter professae sunt moniales; ergo ...

E. *Obligantur moniales etsi in earum regula non contineatur clausura.*

Personae per primam constitutionis « Circa Pastoralis » paragraphum ad clausuram tridentinam obligatae sunt omnes moniales solemniter professae, cujuscumque sint ordinis, quocumque nomine appellentur, etiam conversae. Accuratae istae indicationes non omnia tamen dubia removent: superest maxima difficultas et quaestio, nempe: etiamne obligentur moniales jam professae, praesertim si ex earum regula ad clausuram non teneantur? [29]. Objici enim potest quod nec votum ampliari nec regula austerior fieri possit contra vel saltem sine voluntate eorum qui votum emiserunt vel mitiorem regulam acceperunt, excluso ut patet casu scandali quod non nisi per impositam clausuram removeri posset. E prima et secunda

---

28 Lezana, Summa, t. I, cap. 25, n. 17.

29 In discutiendis dubiis Cardinalibus propositis semper atque iterum emergit haec difficultas: Plurimi auctores (Barbosa, Suarez, Pellizzarius, Passerini, Bouix et alii ab iis citati) de quaestione scripserunt. Vix ergo credimus Passerini dicenti: « quod non continet difficultatem », Passerini, Commentarium, pars sec., cap. Periculoso, n. 27.

paragrapho supra relatis apparet S. Pium V omnibus monialibus absolute seu inconditionate imposuisse clausuram: iis non datur optio acceptandi clausuram aut regrediendi in saeculum. Si nolint se clausurae subjicere, tamquam rebelles et incorrigibiles obligandae sunt. Sed quanam potestae Summus Pontifex processit? Non potestate jurisdictionis, quia in casu agitur de supererogatoriis, nec, ut videtur, potestate « vi voti » i. e. obedientiae, quae coarctatur inter ambitum regulae.

Difficultas solvenda est, affirmando clausuram in omni regula implicite contineri ideoque non esse simpliciter super regulam sed secundum eam. Et explicamus. Omnes qui statum religiosum amplectantur, eo ipso suscipiunt omnes obligationes quae ad finem illius status obtinendum sunt necessariae vel utilissimae aut valde convenientes. Huiusmodi obligationes vel explicite in regula exprimuntur vel solummodo implicite in ea continentur ratione nempe earum necessitatis, utilitatis vel convenientiae. Immo: obligationes implicite contentae non semper sunt eaedem sed diversae esse possunt ratione circumstantiarum quae mutantur. Finis obtinendus est semper idem: perfectio in determinato ordine acquirenda. Ad hunc finem omnes se obligaverunt ideoque etiam ad media necessaria vel utilissima adhibenda. Praecipua media, praesertim vota, explicite in regula inveniuntur, alia solummodo implicite continentur, ea ex. gr. quae propter speciales circumstantias requiruntur. Judicium de novis praescriptis efformandis, judicium ergo de iis quae implicite ad regulam pertinent, visis circumstantiis et perspecto fine obtinendo, pertinet ad auctoritatem in ordine, pro casu ad supremam ecclesiae auctoritatem, ad Summum Pontificem.

Atqui: S. Pius V, auctoritas competens, opinatus est, omnibus bene perspectis, clausuram in forma tridentina omnibus monialibus necessariam vel saltem utilissimam esse ad finem obtinendum quem sibi proposuerint,

cum vota solemnia emiserint. Imponens monialibus solemniter jam professis clausuram in forma tridentina, utpote pro hominibus et circumstantiis illius temporis necessariam ad vitam religiosam fructuose digneque gerendam, S. Pius V. usus est potestate Summi Pontificis imponendi omnibus jam professis omnia implicite in regula contenta.

Dicimus: pro hominibus et circumstantiis *illius temporis*. Absurdum enim esset asserere clausuram tridentinam in omni regula implicite contineri: quomodo explicari deberent mutationes postea inductae a successoribus S. Pii V.; quomodo judicandum de forma clausurae juris hodierni? Forma enim clausurae multum pendet a circumstantiis locorum et temporum, hominum et operum. Potest requiri strictissima vel minima et in utroque casu potest implicite in regula adesse. Proinde non sufficit probare *aliqualem* clausuram in regula contineri utpote « moraliter necessariam ad puritatem status quem moniales professae sunt » [30] aut « connaturalem vitae coenobiticae » [31]. Ex his enim non sequitur S. Pium V. omnibus potuisse imponere hanc determinatam clausurae formam, np. tridentinam. Addendum est circumstantias magnum influxum exercere et ob hanc causam modo hanc clausurae formam modo illam implicite in regula inveniri, de quo judicat superior competens.

Conclusio

Omnia in nostra priori sectione « de monialibus » disputata colligi possunt per modum conclusionis, ut sequitur:

---

30 Suarez, de religione, pars sec., tract. 8, lib. 1, cap. 8, n. 8; Opera omnia (Vivès), t. XVI, p. 47.

31 Passerini, Commentarium, pars sec., cap. Periculoso, n. 12.

Per primam et secundam paragraphum constitutionis « Circa Pastoralis » S. Pius V imposuit clasuram in forma tridentina et quidem omnibus monialibus votorum solemnium, cujuscumque ordinis vel religionis, sive choristis sive conversis, sive futuris sive praesentibus, etiam si clausura in regula quam profiteantur non explicite contineatur, non obstantibus consuetudinibus etiam centenariis aut immemorabilibus.

NICOLAUS ONSTENK S. V. D.

DE VETITA CLERICIS ET RELIGIOSIS NEGOTIATIONE

1. Decretum S. C. Concilii d. d. 22 martii 1950 [1] duas partes habet. In prima breviter commemoratur vetus disciplina ecclesiastica et ius Codicis transcribitur, tam circa prohibitionem exercendi negotiationem aut mercaturam clericis (c. 142) et religiosis (c. 592) factam, quam circa poenas quibus transgressores ab Ordinario coerceri debent (c. 2380). Secunda pars novam legem ecclesiasticam poenalem continet, in qua Summus Pontifex poenas statuere dignatur, tam contra reos criminis vetitae negotiationis, quam contra eorum Superiores qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate non impediverint.

Haec lex, in Actis Apostolicae Sedis die 1 Mai 1950 promulgata, vigere incoepit die 1 Augusti eiusdem anni.

2. *Praenotanda historica.* Iam in vetere disciplina Ecclesiae continebatur non solum explicita prohibitio negotiationis lucrativae clericis facta, sed etiam contra transgressores comminatio poenarum earumque gravissimarum.

Cum ipse iam Apostolus Paulus discipulum suum Timotheum monuerit: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus », Ecclesia memor apostolici verbi clericos a negotiis saecularibus constanter avocavit suoque servitio perfecte mancipatos esse voluit. Inter prohibita clericis negotia saecularia inde a primis saeculis principem quendam locum occupat negotiatio, etiam illa quae laicis licita est [2].

---

1 *AAS.* XLII (1950) 330-331.

2 Wernz-Vidal II, 127.

Principium generale circa obligationem hanc enuntiabat c. 10, D. 88: « Negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet; antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiatio; facto iam non licet » (FR. I, 308). Unde sufficienter constat rationem prohibitionis non esse illiceitatem negotiationis in se, sed dignitatem status clericalis. Poenae autem, omnes ferendae sententiae [3], erant:

a) *Suspensio* in c. 2, D. 88 ex Gelasio (FR. I, 307), ubi tamen sermo est de negotiationibus inhonestis et turpibus lucris.

b) *Excommunicatio.* Sic Alexander III Londoniensi Episcopo: « Secundum instituta praedecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus ne monachi vel clerici lucri causa negotientur ». Sic textus c. 6, X, III, 50 (FR. II, 659).

Quae omnia valebant, non de qualibet negotiatione sed solum de illa quae turpis lucri gratia facta est. Imo, cum initio beneficia ecclesiastica minore numero adessent, negotiatio frequentius permittebatur in casu necessitatis ad honestam sustentationem.

3. Concilium Tridentinum diversa statuit de vita et honestate clericorum, et memorato generali principio de necessitate vitae bonae et exempli, ut ii qui se divino ministerio dedicarunt, alios ad pietatem et Dei cultum assidue instruant, sancivit « ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita ... *necnon saecularibus negotiis fugiendis* copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur » [4].

4. Inter leges post Concilium Tridentinum latas, maximi momenti sunt ad determinandum sensum prohibitio-

[3] Molina, *De Iustitia*, disp. 342, n. 2; Lugo, *De Iustitia*, d. 26, n. 23.

[4] Sess. XXII, Decr. de Ref., c. 1.

nis Constitutio Benedicti XIV « Apostolicae servitutis » 25 februarii 1741 quo expresse urgetur prohibitio negotiandi etiam per alium [5]; et Epistula Encyclica Clementis XIII « Cum primum » d. 17 septembris 1759, in qua cambium, quatenus negotiationem importat, clericis interdicitur [6]. Sed quod ius poenale spectat magis nostra intersunt Constitutio Urbani VIII « Ex debito » d. 22 februarii 1633 [7], et Constitutio Clementis IX « Sollicitudo pastoralis » d. 17 iun. 1669 [8] quibus addi debet decretum Sancti Officii d. d. 4 decembris 1872 [9], nam ibi poenae latae sententiae contra determinatas personas negotiationem vetitam exercentes, aut statuuntur aut renovantur; ideoque quamvis non omnes clericos vel religiosos comprehenderint, decreto cuius commentarium facimus propius accedunt.

5. In Constitutione Urbani VIII « Ex debito » 22 febr. 1533 (*Fontes* I, n. 211):

a) *Subiectum* specialis disciplinae erant omnes religiosi, in Iaponia aliisque regionibus Indiarum Orientalium existentes.

b) *Obiectum* vetiti « omnis et quaecumque mercatura seu negotiatio, « quocumque modo ab eis fieri contingat, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive communitatis nomine, directe vel indirecte, aut quovis praetextu ... ».

c) *Poena*: 1° « Sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda;

2° ac privatione vocis activae et passivae, officiorum ac graduum, et dignitatum quarumcumque, etiam inhabilitatis ad ea;

---

[5] *Fontes* I, n. 306.
[6] *Fontes* II, n. 452.
[7] *Fontes* I, n. 211.
[8] *Fontes* I, n. 243.
[9] *Fontes* IV, n. 1023.

3° et insuper amissionis mercium et lucrorum ab eis factorum, quae omnia, a Superioribus Religionum ex quibus delinquentes existent, reservanda sunt ad usum Missionum ... et non in alios usus ».

Alii clerici subiacebant poenae excommunicationis et suspensionis ferendae sententiae tantum.

Insuper saecularibus negotiis intendentes amittebant pro rebus negotiandi causa delatis, immunitatem a tributis et vectigalibus. Bona autem negotiatione acquisita, quae post ipsorum obitum exstabant, spectabant tamquam spolium ad Cameram Apostolicam.

Rationes prohibitionis specialis pro missionariis, ait merito Vromant [10], videntur fuisse:

1) Periculum ne missionarii nimis proni invenirentur ad negotiationem exercendam, eo fine ut media materialia Fidei propagandae inde perciperent.

2) Audiebatur quoque infideles Indos plurimum offendi, cum ministros evangelicos vident impensam operam dare negotiationi: inde occasionem arripiunt suspicandi Evangelicae praedicationis, si non unicum, saltem praecipuum scopum esse viam aperire Europaeis ad negotiationem illis in regionibus exercendam, atque ingentem auri copiam ex iis in Europam asportandam.

6. Clemens IX, Constitutione « Sollicitudo pastoralis » (*Fontes* I, n. 243) prohibitionem ab Urbano VIII latam extendit:

1. *Ratione territorii*: ad omnes Indias orientales, sensu lato sumptas, et ad omnes partes Americae.

2. *Ratione subiecti*: non tantum ad religiosos, sed ad omnes et singulas personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares. Eadem quoque poena plectuntur superiores religiosos qui subditos ... etiam pro unica vice quo-

[10] *Ius Missionariorum*, II (1929), n. 408, II.

modolibet delinquentes saltem per amotionem illorum a loci commissi per eos delicti, non puniverint.

3. *Ratione delicti ipsius*: prohibitio et poenae latae erant contra illos qui *etiam semel*, mercaturis vel negotiationibus saecularibus se ingerat vel immisceant [11].

4. *Ratione absolutionis a censuris*: quandiu delinquentes lucra non restituerant, a nemine valebant absolvi; lucris vero restitutis, cuilibet confessario facultas debatur [12].

Lucri autem restitutio fieri debebat in manus Ordinarii, vel Vicarii Apostolici, idque in usus pauperum, hospitalium, seminariorum ecclesiasticorum, aliorumve operariorum impendendum.

7. Hae poenae in vigore permanserunt usque ad Codicem [13], non autem post ipsum.

Nam cum ageretur non de statuto particulari alicuius regionis, sed de lege universali omnibus missionariis antea imposita, poenae speciales missionariorum can. 6, 5°, necnon ipsa prohibitio missionariis propria, can. 6, 6°, hodie sublatae sunt [14]. Materia universa negotiationis et mercaturae tam pro missionariis quam pro caeteris clericis regebatur post Codicem can. 142 et can. 2380, quibus addere nunc oportet praesens decretum.

8. *Subiectum prohibitionis* iuxta praesens Decretum, quo ius Codicis extenditur sunt:

---

11 Cfr. Vromant, *Ius Missionariorum*, II, 408, III.

12 Iuxta Ballerini-Palmieri, IV, n. 464, haec specialis prohibitio respiciebat solummodo ecclesiasticos aliunde missos ad loca missionum, non vero clerum indigenam.

13 Cfr. Decretum S. Officii d. d. 4 Dec. 1872 (*Fontes*, IV, 1023); Lehmkuhl, *Theologia Moralis*, II, n. 1259.

14 Wernz-Vidal I, n. 102; Ojetti, *Comment. in Codicem*, I, p. 67; Vromant, *De negotiatione Clericis et religiosis interdicta* apud *Ius Pontificium*, VIII, 207.

1° Clerici *omnes* ritus latini; quo nomine veniunt ad normam can. 109 § 1 omnes qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt [15], modo ad statum laicalem legitime redacti non fuerint [16].

2° Religiosi omnes in Ecclesia latina. Sed tantum comprehenduntur qui stricte religiosi vocari debent, ideoque qui vota religiosa emiserunt, non autem novitii [17].

3° Sodales societatum sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis. Hi autem tenentur communibus clericorum obligationibus, vi can. 679 § 1, nisi ex rei natura vel ex sermonis contextu aliud constet, quod evidenter in casu locum non habet. Insuper, ad omne auferendum dubium, Decretum ipsum eos comprehendit, cum se referat ad omnes de quibus sermo est in parte secunda libri II Codicis i. e. cc. 487-681.

4° Sodales Institutorum saecularium, quod intelligendum est de iis qui, probatione facta, vota in ipsis emiserunt.

Sane, si lex expresse eos non nominasset, extra ambitum prohibitionis et comminatae poenae permansissent. Nam haec Instituta nec proprie loquendo dici possunt Religiones nec Societates vitae communis, ideoque iure proprio harum non tenentur, prout constat ex Constitutione

---

[15] Quamvis ante Codicem disputaretur de obligatione clericorum minorum qui Beneficiati non sunt abstinendi a mercatura, Cfr. Lugo, *de Iust.*, d. 26, n. 25, haec obligatio post Codicem ad omnes clericos communiter extenditur, quod iam ante Codicem tenuerant magni Canonistae ut Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum*, III, Pars V, tit. L, § 1, n. 28, validis nixi rationibus. — S. Alphonsus (T. M., L. III, n. 831) postquam strictiorem sententiam proposuit, addit: «Sententia autem contraria nescio quo valido fundamento nitatur».

[16] Excepta obligatione caelibatus pro clericis in maioribus constitutis, caeterae obligationes clericales cessant per legitimam reductionem ad statum laicalem. Cfr. Wernz-Vidal, II, n. 395. — Regatillo, *Institutiones*, I, n. 387.

[17] Schmalzgrueber, l. c., n. 30.

Apostolica « Provida Mater Ecclesia » [18]. Cum tamen oppositio inter vitam perfectionis et exercitium lucrativae negotiationis pariter valeret erga sodales horum Institutorum, quae statum perfectionis constituunt, voluit Legislator eos expresse, etiam in poenis subeundis, clericis et religiosis aequiparare.

9. *Obiectum prohibitionis et subsequentis poenae,* est idem quod in canone 142 exprimitur: « prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ». Praesens autem decretum, ad effugia praecavenda, explicite addit id quod in expositione can. 142 apud Canonistas communiter habebatur « negotiationem *cuiusvis generis, etiam argentariam,* exercentes ».

Prohibentur sane tam negotiatio lucrativa proprie dicta, qua res ea intentione emuntur ut postea non immutatae carius vendantur; quam illa artificialis seu industrialis in qua res emitur eo animo ut non proprio labore, sed per operarios conductos mutata vendatur cum lucro.

10. *Negotiatio proprie dicta* [19], quae etiam *stricte lucrativa* seu *quaestuosa* dici solet, in eo est quod vendatur res quam quis sibi comparavit eo animo ut eandem non mutatam carius venderet [20]. Ad eam ergo requiritur:

1° Ut res ematur et vendatur;

2° Ut vendatur non mutata;

3° Ut vendatur carius quam empta fuit [21];

---

[18] Art. 2, § 1, n. 1°. 2°. (*AAS.* 39 [1947] 120).

[19] Quamvis diversus sit modus loquendi apud Auctores Scientiae Oeconomicae, eum valorem verbis tribuimus quem in documentis ecclesiasticis et apud Iuris Canonici peritos tenent.

[20] Génicot, *Institutiones Theologiae Moralis* II, 27.

[21] « Le gain ne paie donc ni les simples frais de transmission, ni le travail personnel ». Creusen, *Commerce et vie religieuse,* apud *Revue des Communautés religieuses,* XIII (1937), 103.

4° Ut empta sit animo carius vendendi rem immutatam.

Hoc ultimum elementum essentiale est ut habeatur negotiatio sensu canonico, prout clare notaverat S. Thomas: « Ad secundum dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid quam emerit, negotiatur, sed solum qui ad hoc emit ut carius vendat; si autem emit rem non ut vendat sed ut teneat, et postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio quamvis carius vendat: potest enim hoc licite facere sive quia in aliquo rem melioraverit, vel quia pretium rei est mutatum secundum diversitatem loci vel temporis, vel propter periculum, cui se exponit transferendo rem de loco ad locum, vel eam ferri faciendo et secundum hoc nec emptio nec venditio est iniusta » [22]. Venditio autem non stricte sumitur, sed late, comprehendens etiam permutationem [23]. Idem apud Canonistas significat verbum *mercatura* [24].

Rationem prohibitionis sic explicat S. Thomas [25] « Clerici non solum debent abstinere ab his quae sunt secundum se mala sed etiam ab his, quae habent speciem mali, [26] quod quidem in negotiatione contingit tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia: quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum, ut dicitur Eccl. 26: est et alia causa quia negotiatio nimis implicat animum saecularibus curis [27], et per consequens a spiritualibus retrahit; un-

---

[22] S. Th., 2. 2., q. 77, a. 7, ad. 2.

[23] Wernz-Vidal II, 125.

[24] Génicot II, 37; Lugo, *De iust.* d. 26, s. 3, n. 21.

[25] 2. 2, q. 77, a. 9 ad 3; Cfr. Schmalzgrueber III, Pars V, tit. L, § 1, n. 6.

[26] Inter rationes legis illam assignat Tanquerey: « Ut immunes sint a malevolis suspicionibus circa probitatem, quae facile negotiatores feriunt » (III, n. 1018).

[27] Negotiationes non raro necessitatem imponunt urgendi iuris per saecularia iudicia, quae multum a statu clericali aliena sunt.

de et Apostolus dicit 2. ad Tim. 2, Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus: licet tamen clericis uti prima commutationis specie, quae ordinatur ad necessitatem vitae emendo vel vendendo ».

11. *Negotiatio minus proprie dicta* seu *industrialis* est actus emendi res ea intentione ut per industriam vel artem immutatae atque meliores redditae denuo vendantur lucri faciendi causa [28]. Relate ad leges ecclesiasticas maximi momenti est discrimen inter immutationem arte vel industria propria factam, et illam quae locum habet per conductos famulos. Haec enim secunda ab Ecclesia prohibetur clericis (non autem prima, ut deinde videbimus), ad eamque constituendam sequentia elementa requiruntur:

1° Ut res aliena ematur;

2° Ut transformetur per conductos operarios;

3° Ut carius vendatur;

4° Ut empta sit intentione eam carius vendendi post transformationem sic factam.

Prima conditio requiritur, nam si agitur de transformatione rei propriae (v. c. fructuum propriae vineae) habetur negotiatio oeconomica, ut deinde dicetur. Secunda (i. e. quod agatur de operariis conductis) exigitur, nam si ope proprii laboris res, etiam empta, mutatur (ut cum clericus aurum emit ea intentione ut propria arte caelatum illud carius vendere possit) [29] non habetur negotiatio prohibita, sed licitum exercitium propriae artis. Tertia, (ut carius vendatur) omnino necessaria est ad constituendam veram negotiationem aliquomodo lucrativam. Denique intentio totum hunc processum peragendi ideo necessaria est, quia secus deest mens mercatoria, [30] sed vendi-

---

28 Wernz-Vidal II, 125.

29 Wernz-Vidal II, 128. III.

30 Recte notat Wernz-Vidal (II, 126): Lucrativa negotiatio

tio rei transformatae fit per accidens, nec illa incommoda secum fert quae prohibitioni locum dederunt. Fatendum tamen est hanc mentem vix deesse posse, cum caeteri actus ponuntur, nisi omnino per accidens accidat v. c. ut sacerdos, qui Collegium alumnorum moderatur, ligna emat ad scholarem suppellectilem fabricandam; quae cum per conductos operarios perfecta sit, minus utilis sibi appareat, ideoque eam etiam cum lucro vendat.

A conceptu operariorum conductorum facile excluduntur cum P. Vermeersch [31] alumni quos ad varias artes exercendas informant clerici vel religiosi, etiamsi illis stipendium tribuatur. Licebit ergo res opera eorum mutatas ita vendere ut scholae lucrum acquiratur quo solvatur pensio magistrorum [32].

Ratio prohibitionis ea est quod tale negotiationis genus adeo accedit ad negotiationem proprie dictam, ut animum aeque quaestuosum denotet ac stricta mercatura; ideoque nec communis sensus, cui in his materiis moralibus multum deferendum est, discrimen verum inter utramque agnoscit [33]; unde nihil mirum si legum interpretes iam ad initio, utriusque prohibitionem declararunt. Insuper eaedem rationes valent quae de stricta mercatura expositae sunt, nempe sollicitudo nimia rerum temporalium et divitiarum cupiditas; quibus etiam addi debet periculum eludenti legem strictae negotiationis: nam clericus negotiator, materiam a mercatoribus emeret, curans

---

differt ab oeconomica (addere possum: *et politica*) ex fine qui primario est lucrum.

31 Vermeersch-Creusen, *Epitome* I, 260.

32 Conte a Coronata, *Institutiones Iuris Canonici*, I (1928) n. 200; Vromant, *Ius Pontificium* IX, 34 hanc opinionem confirmat: Sic enim, ait, non totus labor dato pretio compensatur seu emitur, neque huiusmodi negotiatio offendiculum praebet populo. — Optime P. Creusen, *Rev. des Com. Rel.*, XIII (1937), 174, practica praebet consilia ad prudentem huius doctrinae applicationem.

33 Génicot II, 38.

ut a mercennariis mutaretur ante venditionem [34]. Immo, dicere possumus, saltem temporibus nostris, gestionem officinae ubi tales industriae exercentur, non minus clericum dedecere, et periculis omnis generis esse obnoxiam, quam simplicem mercaturam, imo fortasse magis.

12. Negotiatio autem utraque prohibetur, etsi directa sit in utilitatem aliorum, etiam causae piae; nam finis operantis non mutat naturam operis et fere omnia negotiationis incommoda pariter habentur [35].

13. Censebatur *excusare* necessitas pro sua vel suorum sustentatione [36], vel per aliquod tempus negotiatio per haereditatem devoluta. Ut autem haec negotiatio quae fit necessitatis causa posset inchoari, aut quae ad clericum legitime devolvitur, v. c. per haereditatem, continuari valeret, etsi per alterum tantum et ad tempus et exurgenti necessitate, requirebatur extra Italiam *iudicium sive licentia* Episcopi, intra Italiam et Insulas adiacentes, S. C. Concilii erat adeunda pro licentia secundum normas citatas Constitutionum Benedicti XIV et Clementis XIII danda. Quae prae oculis habenda sunt *iure Codicis*, cum hic mere referat disciplinam praecedentem [37].

S. Congregatio de Propaganda Fide facilius admittebat necessarias exceptiones: quando nempe agebatur de necessitate praesenti missionarii titulo missionis vel cum dispensatione sine titulo ad ordines sacros promoti, negotiationem exercere permittebatur, modo contractus esset ex sua natura licitus, et tantum solummodo impenderet

---

34 Tanquerey III, 1021.

35 Tanquerey III, 1019; Creusen, *Rev. des Comm. Rel.*, XIII (1937), 170.

36 Lugo, *De Iust.* d. 26, n. 37: Schmalzgrueber, l. c., n. 16; S. Alphonsus, TM., L. III, n. 837.

37 Wernz-Vidal II, 128. III; Génicot II, 39. V; Cfr. Molina, d. 342, n. 11.

quantum honestum patrimonium constitueret. Si agebatur de necessitate futura et probabili exigebatur extra Italiam dispensatio accepta a Sancta Sede vel saltem ab Ordinario loci. Quae facultas concedi non poterat nisi constasset exigentiis missionarii nulla alia ratione subveniri posse, ac numquam permitti poterat assumi eius generis negotiationem quae clericalem statum dedeceret. Licebat quoque missionariis, ubi mores regionis id necessarium probabant, subsidiorum sibi debitorum securitati, et Missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas, easdem ad se delatas vendere, et suum facere pretium ex earum venditione retrahendum [38]. Exempla particularium dispensationum habentur apud H. Lambert « Conscience et Missions » [39].

14. Per alios etiam negotiationem interdictam exercere clericis prohibetur [40]. Unde si negotia quaedam ad clericum devolvantur, puta per hereditatem, statim dimittantur, vel si id absque detrimento fieri non possit, tantum ad tempus agantur, petita licentia ut supra dictum est.

Attamen ob consuetudinem videtur licere ut, si clericus una cum fratribus succedat in negotia parentum, ea per alios gerere pergat usque dum divisio bonorum, sine gravi detrimento fratrum facta sit [41].

---

[38] Vromant, *Ius Pontificium*, VIII (1928), 206; Cfr. Molina, d. 342, n. 11.

[39] *Rev. des Com. Rel.*, XIV (1938), 18-23.

[40] Res non clara videbatur antiquis auctoribus, prout videre licet apud Lugo, d. 26, n. 36, Schmalzgrueber (nn. 23-27) et Bened. XIV (*De Syn. dioec.* d. X, c. 6, n. 4), qui multorum sententias referunt; sed post Const. « *Apostolicae* » Benedicti XIV, d. 25 februarii 1741, talis modus agendi tamquam vetitus indicabatur. Hanc doctrinam clare proposuit S. Alphonsus, TM. L. III, n. 832 Iure Codicis dubium nullum remanet.

[41] Génicot II, 39, VI. — Cfr. Creusen, *Rev. des Com. Rel.*, XIII, 175.

Lex de prohibitione mercaturae valet tum de bonis propriis clericorum vel religiosorum, tum de bonis ecclesiasticis, puta ecclesiarum, monasteriorum etc. [42] atque de bonis personae moralis quae clericus in administrationem habet [43].

Speciale periculum nostris diebus secum fert (prout non adeo remota exempla luculenter demonstrant) illa negotiatio argentaria, qua clerici vel religiosi ea intentione emunt obligationes sive actiones, ut postea pro more aliorum mercatorum in foro argentario illas carius vendant [44]. Qui casus diversus plane est ab illa oeconomica negotiatione, qua huiusmodi tituli, sine mercatoria mente acquisiti, deinde, etiam cum lucro, venduntur, prout infra longius dicemus.

Prohibetur etiam pecuniam mutuari fixo foenore annuo soluto, ut ex pecunia ita comparata, per speculationes pecuniarias apud campsores in foro argentario actiones sive obligationes emant ad maius lucrum percipiendum [45].

15. *Prohibitio haec,* omnibus consentientibus, *gravis est,* sed parvitatem materiae admittit. Doctrinam nunc communem [46] videtur exponere Génicot [47] cum ait: « Attamen leviter tantum peccat clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, neque in magna quantitate; imo probabiliter leviter tantum peccat qui semel in materia

---

42 Génicot II, 37.

43 Ojetti III, pg. 161.

44 Prohibitum iam clericis fuerat cambium sive manuale sive locale sive temporaneum exercere, prout constat ex supra citatis Constitutionibus Benedicti XIV et Clementis XIII. — Cfr. Bened. XIV, *De Syn dioec.* l. X, c. 4 ss.

45 Wernz-Vidal II, 128, III.

46 Antiquorum sententias tam iusto severiores quam laxiores bene refert Lugo, *De Iust.*, d. 26, n. 25.

47 Génicot II, 38; Schmalzgrueber, l. c., n. 16.

gravi negotiatur [48]; quia Ius prohibet negotiationem *exercere*, quod significat pluralitatem actuum, moraliter unitorum per intentionem eos continuandi » [49]. Quae doctrina maximi momenti est; nam poena non incurritur nisi gravis sit legis transgressio. Haec ut patet, mathematice determinari nequit; sed certe habebitur, sive ex frequenti negotiatione (quamvis in parva quantitate, et sine speciali periculo), sive ex magna quantitate ipsius cum aliquali repetitione actuum; ita ut facilius, ad mentem legis, gravis transgressio habeatur, si negotiatio, quamvis in se non turpis, verum periculum oeconomicum constituat, unde decus status clericalis in periculum adducatur. Hae normae aliquantulum indeterminatae videri possunt, sed nec Legislator ulteriores determinationes dedit, neque apud Auctores maioris notae illae inveniuntur. Spiritus tamen legis sat clarus est, et cum mens Ecclesiae manifesta apparet, oportet limites materiae levis non nimis extendere.

Censemus tamen non adesse in Decreto fundamentum sufficiens, ut dicamus peccatum grave (ratione legis positivae) iam haberi, si clericus aut religiosus semel, etiam in magna quantitate, vetitae negotiationi operam det. Classica erat iam interpretatio verbi « exercere »; quapropter cum Legislator voluit etiam hunc casum comprehendere ut accidit Clementi IX, verba addidit « etiam semel », in sua Constitutione « Sollicitudo Pastoralis » de qua supra egimus. Hoc autem decretum non solum verbum « ex-

---

[48] Cfr. S. Alph. L. III, n. 831. Severius tamen loquuntur alii Auctores, quos approbare videtur Lugo, *De Iust.*, d. 26, n. 24.

[49] Cfr. S. Alph. IV, n. 831; Ballerini-Palmieri IV, 303; Ojetti III; Vromant, *Ius Pontificium*, VIII, 21. — « Requiérese el hábito jurídico de negociar ¿Y cuando existe? Es de apreciación moral. Convienen los Juristas en que ha de preceder una serie de actos que, a juicio de personas prudentes, le conviertan a quien le ejercite en un negociador o en un comerciante ». Lodos, *Sal Terrae*, XXXVIII (1950) 636.

ercere » continet, ut par erat, in referendo textu canonis 142; sed etiam in parte dispositiva se refert ad « exercentes » vetitam negotiationem. In lege autem in qua poenae, adeoque graves, statuuntur, verba sunt strictae interpretationis. Verissimum est etiam ex unico negotiationis actu sequi posse mala gravissima; sed requiritur insuper ut Legislator expresse manifestaverit suam voluntatem comprehendendi etiam hunc actum unicum sub statutis poenis. Quod in casu praesenti, saltem pro nunc, dubium est, usque dum authentica intercesserit declaratio.

16. Sunt tamen casus in quibus negotiatio mere apparens est, ideoque prohibita a gravibus auctoribus non habetur. Sic v. g. cum in locis peregrinationis res in commodum fidelium illuc confluentibus venduntur, pretio quidem maiore quam emptae sunt, sed ita ut lucrum percipiatur tamquam iusta compensatio expensarum et laboris impensi [50]. Tunc enim melius dici debet dari illa forma negotiationis politicae quam deinde licitam dicemus.

Pariter si missionarius v. c. chartas photographicas suae Missionis benefactoribus « emendas » proponit longe maiore pretio quam ipse eas emerit: tunc enim ex adiunctis agitur de eleemosyna Missioni facta, cuius in praemium illae chartae dantur [51]. Idem dici debet de aliis quae vocantur « venditiones charitatis » [52]. Necesse tamen est

---

[50] Wouters, *Manuale Theologiae Moralis*, I, 1184, coroll. II; Prümmer, *Manuale Iuris Canonici*, q. 71.

[51] Wouters I, 1184, coroll. II.

[52] Sic rectissime Jombart: « Puisque le C. 142 interdit le commerce même *in aliorum utilitatem*, comment justifier les ventes de charité, kermesses etc., pour les missions ou les bonnes ouvres? Il n'y a là, pensons-nous, qu'un commerce apparent, une sorte de fiction. Les personnes charitables veulent être généreuses pour la bonne cause; l'objet à « acheter » à prix exorbitant n'est qu'un stimulant supplèmentaire » (Manuel de Droit Canon. 1949, n. 105, 4). — Cfr. Creusen, *Rev. des Com. Rel.* XIII, 171.

in omnibus his casibus, ut sive expresse sive ex adiunctis omnino pateat, non agi de stricta venditione.

17. *Negotiatio artificialis,* qua res proprio labore clerici non indecoro mutatur, non est illicita. Nam haec verae negotiationis nomine venire nequit: immo talem industriam commendat exemplum S. Pauli aliorumque Sanctorum, labore manuum vitae providentium [53].

Caveatur tamen ne exerceantur opera sordida, vel fructus industriae vendantur ratione quae statum clericalem dedeceat, v. c. ne clericus aurifaber oficinam erigat in qua monilia a se facta vendat [54].

18. *Negotiatio oeconomica* consistit in actu emendi res ea intentione ut inserviant propriae vel familiae necessitati vel utilitati, licet postea utpote superfluae, vel ob alium honestum finem, etiam pretio maiore quam emptae fuerunt, denuo vendantur [55].

Haec tam clericis quam religiosis licita est; nam si accurate inspicitur, reducitur tandem ad rationabilem rei domesticae administrationem, quae clericis omnino permissa est; imo et debita, cum agitur de administrandis bonis ecclesiasticis, de quibus clericus, tamquam bonus paterfamilias curare debet [56].

Haec rationabilis cura secum etiam fert ut possessor rei frugiferae, etiamsi clericus sit, eius fructus vendere possit; sive prout naturaliter producuntur, sive tranfor-

---

[53] Vetus canon ex Concilio Carthaginiensi IV dessumptus et in Decreto Gratiani (c. 3, D. 91) nobis transmissus, hanc normam statuit: « Clericus victum et vestimentum sibi artificiolo vel agricultura, absque offitii sui dumtaxat detrimento, praeparet » (FR. I, 316). Cfr. 2. 2, q. 77, a. 7 ad 1.

[54] Génicot II, 38.

[55] Wernz-Vidal II, 126; Cfr. S. Th., 2, 2, q. 77 a. 4 c; Schmalzgrueber l. c., n. 10.

[56] Wernz-Vidal II, 128, I.

matione facta etiam operariis conductis, prout legis interpretes unanimiter concedunt; et quidem merito, nam negotiatio proprie dicta non habetur, cum res vendenda non emitur, sed tamquam fructus bonorum iam possessorum acquiritur [57]. Sunt tamen diversi casus solvendi, nam non in omnibus aeque apparet facilis applicatio principii:

1. Licet ergo clerico ex uvis propriae vineae vinum conficere etiam per operarios conductos illudque vendere [58]; sed quamvis res per se sit licita, modus illicitus esse potest et statum clericalem dedecens; in quo habenda est ratio communis sensus et publicae existimationis, quae varia est in diversis locis et temporibus [59].

2. Facile concedebant antiqui Auctores [60] licere clerico ferrum aliudve metallum e vena proprii agri ab operariis extractum et elaboratum cum lucro vendere; vel in hunc finem emere agrum in quo vena metalli reperire queat [61]. Difficulter hoc concedunt recentiores, ut videre est apud Prümmer [62]; nam mutatis conditionibus socialibus et industrialibus processibus, talis labor, per multos operarios conductos exercitus, facile mercaturae vetitae speciem habebit, et multis incommodis laborabit. Quod si fit, res derelinquenda est, utpote implicite saltem in Iure prohibita; de quo regula generalis statui nequit, sed

---

57 Génicot II, 39, 4.

58 Génicot II, 39, IV; Schmalzgrueber l. c., n. 17.

59 Ballerini-Palmieri IV, 472.

60 Schmalzgrueber l. c., n. 16; Lugo, d. 25, n. 30.

61 Génicot II, 39, 4.

62 Prümmer (Q. 71), ait: Emere *Kuxe* (anglice *Shares in a mine*) non videtur esse licitum clericis et religiosis, cum hoc sit dignitati clericali minus conveniens et aliqualem fidei iussionem (*Zubussen*) indicat. Quare isti tituli vocari solent tituli speculationis.

Kuxe vocantur participationes in aliqua fodina, ita ut possessor illorum sit revera partialis possessor fodinae cum omnibus fructibus et expensis huius commercii.

plura arbitrio Ordinarii, et in casibus dubiis Sanctae Sedis, iudicanda sunt licita vel illicita pro usu regionum moribus receptis [63]. Insuper hoc nunc vix aliter fit quam per societatem anonymam, de cuius actionibus postea loquemur.

3. Licitum quoque est si emat pecora ut ea in propriis fundis saginet, vel etiam fructibus aliunde coemptis alat et deinde cum lucro vendat [64].

4. Conducere autem alienos agros ad greges alendos vel ad vendendos fructus inde nascituros, regulariter prohibitum habetur [65]. Potest tamen accidere ut talis conductio sit pars oeconomicae administrationis propriorum bonorum, ideoque absit mens mercatoria; ut cum aliquis quaedam praedia habens, alia conducit ad meliorem culturam, vel ad certa incommoda, puta molesti vicini, vitanda [66].

5. Disputatur sitne licitum aliquid emere ea intentione ut postea aliis locetur, et lucrum percipiatur. Si agitur de bonis immobilibus, facile conceditur licere, ut cum clericus domum emit, ut ex pretio locationis vivat [67]. De iumentis et aliis similibus (puta nunc de curru automobili) disputant Auctores. Concedit, et merito, Lugo cum aliis [68], sed recte animadvertitur rem ita esse peragendam ut species negotiationis vitetur, quae haberetur sane si huiusmodi res frequenter emantur in hunc finem [69]

---

[63] Génicot II, 39. IV.

[64] Génicot II, 40, 6°; Lugo, d. 26, n. 29; Secundum licere negat Schmalzgrueber, n. 18; Affirmat S. Alphonsus, TM. L. III, n. 835.

[65] Génicot II, 40, 6°; Lugo, d. 26, n. 29; Schmalzgrueber, n. 18; S. Alphonsus, TM. L. III, n. 834. Non desunt tamen qui mitius sentiant ut Bastien, *Directoire canonique* (1923), n. 518.

[66] Ballerini-Palmieri IV, n. 308; Vromant, *Ius Pontificium* IX, 35.

[67] Tanquerey III, 1022.

[68] Lugo, d. 26, n. 34.

[69] Génicot II, 40 6°.

6. Concedunt omnes licere Clerico ea vendere quae superflua sunt, etiam cum lucro; nam hoc pertinet ad ordinariam oeconomicam administrationem. Si enim ea non venderet damnum subire deberet; nec est lex ipsi prohibens quominus pretium maius tunc postulet. Quid autem si illud quod venditur superfluum non sit, sed clericus alliciatur aucto pretio, ita et nunc carius vendens postea alio tempore vel loco vilius emere speret? Etiam in hoc casu negotiatio proprie dicta abest, ut notaverat Schmalzgrueber [70], nam res emptae sunt pro suo suorumve usu sine animo revendendi, qui essentialis est in huiusmodi casu ut habeatur negotiatio stricte dicta. Attendi enim debet ad finem quo quis movetur ad rem primo emendam, scil. ut emptam carius vendat [71].

19. *Negotiatio politica* dicitur ille actus emendi, quo quis pro communitate vel exercitu necessaria emit. Quae negotiatio etiam nostra aetate locum habere potest, cum v. c. missionarius tempore famis pro suis neophytis frumentum emit quod postea ipsis divendat [72]. Communitas autem hic intelligi debet diversa a propria familia, sive naturali sive religiosa. Erit ergo societas quaedam civilis, vel etiam pars communitatis ecclesiasticae (v. c. fideles unius paroeciae), cuius tamen cura in temporalibus legitime non habetur.

Evidens est hanc negotiationem prohiberi, cum secum fert stricte dictam mercaturam, ut cum aliquis civitati vel exercitui necessaria procurat, lucrum ex venditione sibi intendendo [73]. Sed etiam si talis mens absit, ordinarie et per se clericos nimis implicat curis et negotiis saecularibus atque periculis administrationis pecunia-

---

70 Ius Eccl. III, Pars V, tit. L, § 1, n. 11.
71 Lugo, *De Iust.*, d. 26, n. 31.
72 Wernz-Vidal II, 126; Cfr. S. Th., 2, 2, q. 77 a. 4 c.
73 Vermeersch, *Theologia Moralis*, III, 19.

riae [74]. Quae ratio valet etiam de operibus institutis in temporale fidelium auxilium, prout sunt arcae nummariae, mensae argentariae rurales, parsimoniales, quae omnes a clero probandae magnopere sunt atque fovendae; ita tamen ut etiam in ipsis vetitum sit clericis et religiosis munia illa exercere quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similia, iuxta decretum S. C. Consistorialis 18 nov. 1910 [75]. Nam quamvis clericus his operibus favere debeat « non ita tamen ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis quae his rebus semper inhaerent, obnoxium faciant » [76].

Nihil ergo mirum si Wernz, [77] severiores partes secutus dicat huiusmodi negotiationem politicam ordinarie et per se esse prohibitam, tantumque permissam esse in casibus exceptis, scil. si urgens causa pietatis et caritatis aliud suadeat, v. c. si tempore famis clericus annonam procuret pauperibus [78]. Ut authentice constet de casibus exceptis ex natura rei requiritur licentia Ordinarii quae habet vim declarationis, non proprie dictae dispensationis a lege [79]; etenim iam illa lex ipsos casus extraordinarios non comprehendit [80]. Potest tamen admitti cum Vermeersch [81] ut huiusmodi procurationes cohonestentur, si finis diversus a lucro, rationabilem, nec a sta-

---

[74] Wernz-Vidal II, 126.

[75] *AAS.* II, (1910) 910.

[76] *AAS.* II, 910.

[77] Wernz-Vidal II, 128, III. — Similiter Prümmer, *Ius Can.*, q. 71; Praeierat Molina, d. 342, n. 15, et Schmalzgrueber, l. c., n. 13.

[78] Wernz-Vidal II, 128, III; Schmalzgrueber, n. 14.

[79] Prümmer, *Ius Can.*, q. 71.

[80] Cfr. Hirschel, *Archiv für katholische Kirchenrecht*, t. 49, p. 218 ss. t. 50, p. 369 ss.

[81] *Theol. Mor.* III, 19.

tu clericali alienam, explicationem suppeditet, maxime si sit ordinis superioris. Sed etiam tunc existimamus non sufficere ut absit mens mercatoria, sed requiri insuper legitima consuetudo aut declaratio Ordinarii, ut caetera pericula quae, experientia teste, cum tali modo agendi coniunguntur [82], etiam apud homines bonae voluntatis, aut absint omnino, aut per gravitatem causae cohonestentur.

Tria exempla huius permissae negotiationis affert Vermeersch [83].

1. Parochus qui efficit ut pauperibus vel personis exiguae conditionis certi cibi vel res cotidiani usus pretio offerantur. Quod hoc in casibus extraordinariis fieri possit, v. c. tempore publicae calamitatis nemo non videt. Et si recursus ad Ordinarium dari nequeat, licentia legitime praesumitur. Habitualiter tamen ita procedere, videtur contra mentem Ecclesiae, prout apparet ex praecitato Decreto S. C. Consistorialis. Melius hoc fit per viros saeculares ope Consotiationum v. c. Actionis Catholicae.

2. Oeconomus Collegii qui alumnis suppellectilem scholarem procurat. Hic casus, consuetudine quadam licitus declaratur, modo negotiatio stricte dicta vitetur, et lucrum habendum tantum sit ut ipso compensentur expensae emptionis, labor, periculum damni e rebus non venditis et etiam fenus pecuniae quo emptae sunt.

3. Sub iisdem conditionibus licitus haberi potest usus vendendi obiecta devotionalia, maxime in locis peregrinationis et ad ingressum Ecclesiae.

Sed in his omnibus recte notat ipse Vermeersch [84] sedulo curandum esse ut clerici artes sordidas vitent, et ab omni modo agendi caveant qui sapiat avaritiam vel sta-

---

[82] « Experientia etiam nostris diebus comprobat clericos hoc modo negotiantes haud raro in maximas angustias redigi, populum christianum inde graviter offendi » Prümmer, *Ius Can.* q. 71.

[83] *Theol. Mor.*, III; 19.

[84] *Theol. Mor.*, III, 19.

tum clericalem dedeceat. Quare ubi desit probata consuetudo, approbatio Ordinarii ad mentem c. 139 § 3 necessaria videtur.

20. Maximi momenti quaestio est nostris temporibus habeaturne negotiatio clericis prohibita, si Societatum *Actiones et Obligationes* ab ipsis comparantur. Qua de re non desunt inter Auctores disputationes, eo vel magis quod nulla hucusque generalis atque definitiva lata est sententia a Sede Apostolica. In ipso schemate Concilii Vaticani, de hisce quaestionibus nihil habebatur [85].

Quoad Obligationes res liquet apud omnes. Clericis enim nunc nihil obstat, quominus honestis societatibus commercialibus vel industrialibus iam constitutis, in quarum administratione ipsi partes non habent, pecuniam mutuent, sive *obligationes* illarum sibi comparent atque retineant ut singulis annis determinatum foenus percipiant [86].

Per obligationes enim clericus non fit membrum, sed tantum creditor societatis cui aliquam pecuniae summam commodat. Lucrum ergo fixum quod ex obligationibus percipit, nihil aliud est quam auctarium pecuniae mutuo datae: auctarium autem percipere per se licet clerico sicut et reliquis [87].

21. Relate ad Actiones disputatio fervet, saltem quoad quaestionem speculativam, quamvis nunc practice severiores sententiae paulatim derelinquuntur.

Certa ergo ab incertis distinguamus.

1. Omnes concedunt licitum esse Clerico Actiones habere harum Societatum quae a multis *late industriales*

---

[85] Wernz-Vidal II, 127.

[86] Wernz-Vidal II, 128; Chelodi, *Ius Poenale*, n. 97.

[87] Génicot II, 41.

vocantur [88] v. c. Fodinarum carbonis [89]. Etenim in his neque per se neque per alios exercetur negotiatio stricto sensu iuris canonici, neque sensu minus proprio, quatenus per famulos conductos res emptae immutantur, ut postea carius vendantur; sed clericus, id facit cum sociis, qui condominium habent, quod posset facere solus, si unicus esset dominus [90].

2. Circa Societates *industriales stricto sensu,* quibus res emptae, per famulos conductos immutantur et carius venduntur, v. c. fabricas chartae papyraceae, maius dissidium apud doctos habetur [91].

3. Sed haec quaestio intime connexa est cum alia de Societatibus stricte commercialibus; nam cum ex una parte in praesenti iure pariter clericis interdicta sit negotiatio industrialis, qua res empta per famulos conductos immutatur ut carius vendatur, atque mercatura; et ex alia parte, participatio Actionarii eadem sit in utroque casu, logice sequitur unam eandemque sententiam tenendam esse relate ad utriusque generis societates [92].

22. Auctores negantes liceitatem possidendi tales actiones nitebantur praesertim hac ratione: operationes totius societatis certe constituere negotiationem, ideoque illius membra esse negotiatores. Societas, dicunt, negotiatur, societas autem non sunt nisi socii, ergo et socii idest

---

88 Modus tamen loquendi alius atque alius est. Praestat ergo non ad verba tantum Auctorum attendere, sed quid hisce verbis exprimant considerare. Sic ergo societas fodinarum vocatur a Chelodi « late industrialis », a Wernz-Vidal (II, 128) « stricte industrialis ».

89 Chelodi, *Ius poenale,* n. 97; Vermeersch-Creusen, *Epitome* I, 260.

90 Wernz-Vidal II, 128.

91 Cfr. Ojetti III, p. 166-7; Wernz-Vidal II, 128; Ubach, *Theologia Moralis,* II, n. 1188.

92 Optime Ojetti III, p. 166-7.

actionarii negotiantur; quod verum est etiamsi clerici actionarii comitiis societatis non intersint nec ullo modo sese immisceant administrationi societatis, nam semper verum est eos negotiari. Nec refert quod negotiatio per alios exerceatur: nam id quoque clericis vetitum est. Nam omnes prohibitiones Romanorum Pontificum, v. c. Benedicti XIV Const. « Apostolicae servitutis » clericis datae, non negotiandi quomodolibet per alios, etiam totam curam in se suscipientes tamquam procuratores, non ut meros famulos, plene et perfecte videntur verificari [93]. Arguebant praeterea ex antiquioribus responsis romanis, quibus in casibus particularibus, actionum coemptio vel illicita declaratur vel dispensatione indulgetur.

Ad primum responderi potest quod in societatibus uti nunc constituuntur, qui actiones detinent, nullam partem immediatam in negotiatione habent, ita ut communiter negotiari non censeantur (quamvis si res in abstracto spectentur, negotia geruntur eorum nomine), neque rei bene vel male gestae meritum vel dedceus in ipsos refundatur [94]. Insuper huiusmodi remota participatio non gignit apud possessores Actionum illam sollicitudinem de temporalibus negotiis quam sacri Canones vitare intendunt [95]. Attamen veri negotiatores sunt illi qui aliquid agunt quod ad negotiationem societatis, nempe eos qui negotiationem societatis vel directe exercent vel saltem dirigunt. Nam cum negotiari importet aliquid agere, is non potest dici negotiari qui nihil facit. Quare clericus qui has accipit Actiones, dummodo in administratione non se ingerat, nullo modo negotiari dicendus est, neque per se, quia negotiationem ipse directe non exercet, neque per

---

[93] Wernz-Vidal II, 128.

[94] Vermeersch-Creusen, *Epitome* I, 260; Tanquerey III, 1026; Wouters I, 1188; Ballerini-Palmieri IV, 477.

[95] Tanquerey III, 1026.

alium, quia negotiationem aliorum ne dirigit quidem [96]. Ita prohibitio Benedicti XIV, quae fons est praesentis iuris, hunc casum non tangit [97].

Ex antiquioribus responsis romanis res nequit categorice definiri. Nam, ut sapienter notat Ojetti [98], quae afferuntur decreta nullo modo rem dirimere videntur, verum et particulares casus concernunt, et principia ipsa quaestionis non attingunt. Si quando enim his decretis conceditur gratia, ut clerici possint actiones has emere, non exinde concludi recte potest clericis sine hac concessione idipsum non licere. Scimus enim Sanctam Sedem solitam pluries fuisse gratiam aliquam petentibus concedere, quamvis ea gratia per se non indigerent, certo saltem. Id enim fit, tum ut quaestio, si qua est, non dirimatur authentico iudicio (solet enim S. Sedes ad quaestiones dirimendas caute admodum et matura consideratione procedere), tum ut consulatur quieti et tranquillitati conscientriae petentium.

Nec documenta quae afferuntur in favorem sententiae benignae rem conficiunt; quod valet etiam de responso toties allegato S. Officii d. d. 15 apr. 1885 (*Fontes* I, 1091). Agitur namque de responso in casu particulari « iuxta exposita et attentis peculiaribus temporis circumstantiis »; se refert ad actiones seu titulos mensae nummulariae, et concludit in his adiunctis personas ecclesiasticas non esse inquietandas.

23. Nihil ergo mirum si nunc plures, iique omnino graves auctores liceitatem participandi per Actiones defendant, positis conditionibus de quibus infra. Ita Ver-

---

[96] Ojetti III, p. 166-7; Claeys Bouuaert-Simenon, *Manuale Iuris Canonici* (1924) n. 303.

[97] Ballerini-Palmieri IV, 477.

[98] Ojetti, III, 167-8.

meersch-Creusen [99], Tanquerey [100], Wouters [101], Ojetti [102], Iorio [103], Regatillo [104], Bucceroni [105], Ferreres [106] aliique plurimi.

Attentis ergo rationibus hinc et inde allatae, merito cum Vidal [107] concludere possumus:

Codex existentem controversiam non dirimit, imo variis locis (v. c. can. 594, 1539 § 2) commemorantur tituli, nulla facta distinctione inter diversa titulorum genera: cuius silentii optima habetur ratio quia res dependent a particularibus circumstantiis quae tam difficulter unica formula generali comprehendi possunt.

Cum ergo *plures doctores* tam ante quam post Codicis promulgationem censeant, clericum nec negotiari per se nec per alium si gerendis societatis negotiis nullo modo intersit, atque nec per se nec per alium eius nomine agentem, coetui generali sociorum in quo negotia definiuntur assistat, et a S. Sede nullum prodierit responsum rem universaliter definiens, *concludendum* videtur agi de prohibitione dubia saltem dubio iuris, quae iuxta canonem 15 non obligat, modo agatur de societatibus honestum finem prosequentibus.

Eritne controversia soluta ope praesentis Decreti, eo quod dicitur poenis affici exercentes mercaturam seu negotiationem « cuiusvis generis »? Ex argumentis supra allatis sufficienter constat obiectum disputationis in eo esse, an actionarius, etiam in Societate mercatoria, plene dici possit *negotiationem exercere* in sensu canonis. Cum talis

---

[99] *Epitome* I, 260.
[100] III, 1026.
[101] I, n. 1088.
[102] III, p. 166-7.
[103] II, 1121.
[104] *Institutiones Iuris Canonici,* I, 258.
[105] III, n. 182.
[106] *Compendium Theologiae Moralis,* II, n. 188.
[107] Wernz-Vidal II, 128.

disputatio notissima esset, si decretum talem etiam casum comprehendere voluisset, id clariore formula expresisset. Cum haec desit, res in statu quo ante erant, permanere videntur; ideoque relate ad hoc punctum prohibitio saltem dubia manet.

24. Conditiones autem ut licitum sit clericis actiones societatum habere enumerantur:

1ª Clericus sit solum actionarius; non autem socius proprie dictus, ideoque non teneatur ultra valorem suarum actionum [108].

2ª Societas nullum finem habeat illicitum vel suspectum [109].

3ª Nec clericus in illa societate administrationis partem suscipiat [110].

Ideo exigitur saepe ut clericus non intersit, neque per se neque per alium eius nomine, conventibus generalibus sociorum in quibus negotia aguntur [111].

Hoc tamen ab aliis restringitur, ita ut licitum sit partes habere in electionibus gestorum Societatis ut tales administratores boni sint [112].

---

108 Tanquerey III, 1026. — « Siquidem interdicitur clericis omnis pars in administratione, omnisque realis participatio negotiationis, nefas ipsis est non tantum munus administrativum assumere, sed etiam partes membri fundatoris alicuius societatis anonymae agere, et multo minus socii responsabilis in societate sic dicta *en commandite*. Ipsis proinde etiam non liceret tantum numerum titulorum seu participationem alicuius negotii (puta fodinae vel viae ferreae) emere aut possidere, ut quasi necessario in omnibus rei periculis, lucris et sollicitudinibus implicarentur ». (F. Claeys Bouuaert-Simenon, *Manuale Iuris Canonici* (1924) n. 303).

Nescio tamen an hoc ultimum iure exigatur *si*, talis clericus de facto in administratione Societatis partes non habet, quamvis eas inibi potiores habere posset. Cfr. Ballerini Palmieri IV, 477.

109 Tanquerey III, 1026.

110 Iorio II, 1121; Tanquerey III, 1026.

111 Ferreres, *Comp. Theol. Mor.* II, n. 118.

112 Regatillo, *Casos de Derecho Canónico, I*, n. 87 ubi ulterius

4ª Neque actionum negotiationem exerceat, et abstineat praesertim a speculationibus aleatoriis [113].

Licet tamen clericis actiones, uti et obligationes, emere et carius vendere, non tantum una alterave vice, sed saepius prout opportunitas fert, dummodo in iis non excedat limites negotiationis oeconomicae, secundum prudens timoratorum iudicium [114].

Successivae enim istae commutationes titulorum, hodie non sunt nisi eiusdem patrimonii vel pecuniae iteratae collocationes ad fructum, apud societates magis favorabiles [115].

---

procedit permittens ut per modum actus, cum agitur de determinationibus magni momenti, clericus (melius per alium quam per se ipsum) partes habere possit in generalibus conventibus Societatum:

« Aun para tomar un acuerdo de importancia, para el cual se convoque la junta de accionistas, per modum actus, no periódicamente ni con frecuencia, juzgaríamos que podrían los clérigos intervenir, sobre todo por representante. Pues así como la negociación prohibida a los clerigos no es un acto aislado, sino un modo habitual de obrar, asi tampoco la administración vedada de las sociedades la constituye una intervención en la junta de accionistas per modum actus (Regatillo, *Casos de Derecho Canónico*, I, n. 87) Cfr. Regatillo, *Inst.*, I, 268.

113 S. O. 15 apr. 1885; Iorio II, 1121; Tanquerey III, 1026.

114 Aertnys Damen I, 1139; Wouters, I, n. 1188.

115 Vromant, Ius Pontificium, IX, 37. — Notemus prudentissimas observationes P. Creusen: « Aujourd'hui la gestion prudente d'un portefeuille suppose une surveillance du marché des valeurs (pratiquement de la Bourse) et des échanges plus ou moins rapides de titres. Il est très difficile de fixer la limite entre l'échange qui a pour but de sauvegarder le capital et des revenus suffisants et celui qui vise avant tout au gain, grâce à la hausse et à la baisse des valeurs. Celui-ci est une spéculation, une vraie forme de commerce lucratif; celui-là n'est qu'un acte de bonne administration, de gestion d'un bon père de famille. La prévision d'une nécessité ou l'intention arrêtée de revendre un titre après quelques mois, avec un gain plus ou moins important, ne suffit pas à faire rentrer l'achat et la vente dans la catégorie des actes de spéculation. Il faut pour cela que l'intention du lucre soit prédominante; celle de garder intact le capital, de ne pas s'exposer à

Sunt qui aliam conditionem addant, nempe ut agatur de societate iam constituta, non autem de societate condenda.

Haec distinctio, ait Ojetti [116] ideo ab aliquibus inducta est, quia videbatur ipsis maior praeseferri lucri cupiditas in eo qui societatem constituit, quam in eo qui constitutam societatem ingreditur; et quia societatem constituere vere est negotiari, constitutam societatem ingredi a prohibita negotiatione excusari. Verum hoc discrimen in statu societatis non immutat naturam ipsius [117] et aequalem videtur actionem ponere ille qui pecuniam suam confert societati constitutae, ac ille qui eam dat societati constituendae [118]. Idem dicendum videtur de cupiditate lucri quae eadem est in utraque.

25. Poenae in iure Codicis erant omnes ferendae sententiae; gravissimae autem sunt illae statutae in hoc Decreto, cuius finis triplex exponitur in ipsa lege: « Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur ». Sic ergo:

a) *Exercentes* negotiationem contra praescripta ca-

---

des pertes par moins-value prolongée des valeurs fait de la vente, avec profit, un simple acte d'administration » (Rev. des Comm. Rel., XIII, 105-6) « En période d'instabilité économique, un économe qui veut sauver le porteufeuille de sa communauté, est moralement certain, en achetant des titres, qu'avant peu de mois, il sera amené à les revendre pour ne point s'exposer à des pertes. Cette *prévision* est toute differente de l'*intention* d'acheter *pour* revendre plus cher. Elle ne suffit pas à ranger sa gestion dans l'espèce; actes commerciaux. — Ici surtout il est plus facile de se faire illusion et de franchir la limite. On mettra donc une grande sincerité dans son administration, on écartera le plus possible la spéculation proprement dite, on s'ouvrira, dans les cas douteux, à un homme droit et compétent » (id. pag. 175).

116 Ojetti III, 166-7.

117 Cfr. Villada, *Cas. Conse.* III, p. 66 sq.

118 Ferreres, *Comp. Theol. Mor.*, II, n. 118.

nonis 142 (non exclusis membris Institutorum saecularium) excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi *speciali modo* reservatam incurrunt ipso facto. Insuper ipsis imminet in casibus gravioribus poena vindicativa degradationis (c. 2305), qua a Superioribus competentibus plectentur. De cooperatoribus autem valent generalia principia cc. 2209 § 1-3; 2231.

b) *Superiores* vero qui eadem delicta pro munere suo ac facultate non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus.

Quam autem graves sint eiusmodi poenae nemo non videt. Eae ostendunt ex una parte gravitatem periculi damnorum quibus subveniri lex intendit; et ex alia seriam Ecclesiae voluntatem veterem in hac re disciplinam, non obstantibus mutationibus quae in rebus oeconomicis locum habuerunt, integram incolumemque servandam.

Maximi momenti est quaestio de multiplicatione huius delicti; nam plures censurae etiam eiusdem generis tamquam vincula positiva, possunt in eodem subiecto cumulari. Unde nihil obstat *per se* quominus eadem censura multiplicetur pro numero delictorum, cum idem delictum censura punitum pluries repetitur, ita ut sint plura delicta *distincta* (c. 2244, § 2, 2°).

Noster tamen casus adducitur expresse a Vidal [119] ad explicandam notionem *delicti habitualis*, cum dicit: « Delictum *habituale*, de quo loquitur can. 1705 § 3, similitudinem habet cum delicto permanente. Proprie tamen consistit in iterata violatione unius eiusdemque legis ita facta ut contrahatur habitus delinquendi. In tali modo agendi certe de se committuntur plura delicta, cum in qualibet actione contra legem et dolus habeatur et damnum, sed in lege poenali haud raro consideratur non unaquaeque legis violatio, sed *habitus* iterata violatione contractus et

[119] Wernz-Vidal, VII, n. 129.

externe manifestatus; unde propter elementum iuridicum *criminaliter non consideratur multiplicitas delictorum, sed per modum unius*; ita v. gr. punitur negotiatio seu mercatura clericorum, ubi respicitur *exercitium* mercaturae pluribus actibus constans; neglectus vitae communis in religiosis etc. — *Si* prior habitus fuerit interruptus, sive voluntarie sive per sententiam condemnatoriam vel monitionem canonicam, *et* iterum fuerit repristinatus, in *novum delictum* iterum inciditur »[120].

26. Denique decretum ipsum statuit gravissimam obligationem, reparandi nempe damna illata, si quae fuerint; quae obligatio gravat eos quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint.

Haec norma, ut patet, applicatur tantum in casibus ubi iustitiae laesio habuerit locum; nempe, cum negotiatio non tantum sit clericis iure ecclesiastico interdicta, sed in seipsa et apud quemlibet, iustitiae violationem continet, aut cum iniusta damnificatione quomodolibet fuerit coniuncta.

27. Breviter ergo concludere possumus. In praesenti Decreto:

a) *Urgetur* prohibitio mercaturae viris ecclesiasticis facta, prout continebatur iam in can. 142. — In prohibitionis obiecto determinando, videtur plene coincidere cum ambitu can. 142, ad quem se expresse refert, cum ait: « mercaturam ... exercentes ... contra praescriptum canonis 142 »; unde classicis Canonistarum interpretationibus standum est.

b) *Extenditur* clare prohibitio et consequentes poenae ad membra Institutorum saecularium.

c) Accurate *determinantur* graves poenae, tam la-

120 Cfr. Roberti, *De delictis*, n. 199; Lodos, *Sal terrae* XXXVIII (1950) 636-7.

tae quam ferendae sententiae, contra transgressores. Unde firmior et uniformior ecclesiastica disciplina fit.

d) Speciali modo *attenditur* ad obligationem reparandi damna per eos quorum dolo vel culpa crimen patratum fuerit.

PETRUS M. ABELLÁN S. I.

DE MANUS EXTENSIONE IN ORDINATIONE DIACONALI RITUS ROMANI

In ordine presbyteralis ordinationis quem praebet pontificale romanum hodiernum praescribitur ut post pronuntiatam admonitionem *Consecrandi* et cantatas, si cantandae sunt, litanias, episcopus ante suum faldistorium stans ac mitram ferens, nihil autem dicens, imponat ambas manus super caput cuiusque ordinandi, idemque agant post eum omnes adstantes presbyteri. Quo facto, et episcopus et presbyteri manus dexteras, sine ulla intermissione, super cunctos ordinandos extensas teneant, cum episcopus interea formulam hortationis *Oremus, fratres carissimi* pronuntiet. Quam hortationem sequitur oratio *Exaudi nos* et « praefatio » *Vere dignum,* ad quas tamen nulla manuum impositio vel extensio super ordinandos agenda est.

In ordine vero diaconalis ordinationis in eodem pontificali impositio non utriusque sed dexterae tantum manus a solo episcopo super cuiusque ordinandi caput facienda est, idque non silentio et ante hortationem *Oremus, fratres carissimi,* sed media in « praefatione », seu inter secundam et tertiam huius partem, cum ab episcopo interea pronuntiantur verba: « Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini ». Praeterea, quod rubrica de impositione manuum suarum in ordinatione presbyterali non praescribit, iubetur episcopus, cum manum dexteram super singulorum ad diaconatum ordinandorum capita ponit, eandem manum extendere: « Hic solus pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando ». Quae manus extensio si alia non esset, nisi illa quae ad impositionem faciendam necessaria est, profecto prae-

scribendum non erat ut fieret; adde quod eius mentio tempore recentiori, sane non sine causa, antiquissimae illi rubricae addita est. De ea tamen extensione non praescribitur ut ipsa super ordinandos fiat. Impositionibus peractis, episcopus dexteram suam non retrahit, sed sicut antea extensam tenet, tertiam « praefationis » partem interea canens: « Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manus dexteram, usque in finem praefationis ». Ergo neque de hac extensionis continuatione praecipit rubrica ut super ordinandos fiat.

Iam vero quamlibet manus dexterae extensionem in ordinatione presbyterali, saltem abhinc, materiam proximam sacramentalem non esse, sed illam materiam in sola manuum impositione quam diximus, positam esse, constitutio apostolica *Sacramentum ordinis* apertissimis verbis declarat [1]. E contrario, quod ad ordinationem diaconalem pertinet, eadem constitutio statuit quidem, saltem abhinc, materiam sacramenti esse episcopi manus dexterae impositionem, sed non negat etiam eiusdem manus extensionem, sive cum impositionibus sive post illas agendam, materiam sacramentalem esse [2]. Omissio autem haec eo magis mira est, quod declaratio quae ordinationem diaconalem spectat, paucissimis versibus distat a declaratione quae ad ordinationem presbyteralem refertur, discrimenque earum a primo quasi contextus aspectu manifesto appareret.

Quae est illius omissionis significatio? Significaturne ea etiam ipsam manus extensionem in ordinatione diaconali, saltem abhinc, esse materiam sacramentalem una cum impositionibus? Hoc prorsus negandum est. Etenim, si docere voluisset constitutio etiam illam manus extensionem esse materiam sacramentalem, hoc apertis verbis de-

---

[1] N. 5, *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, XXXVII (1948), p. 7.

[2] Ibid.

clarasset, neque mero silentio ad hoc usa esset. An vero ideo de manus extensionis vi silet constitutio, ut nihil de illa affirmando vel negando innovetur, eique servetur vis quam fortasse adhuc habebat? Neque hoc admittendum videtur, quoniam ad hoc tota constitutio spectat ut clare definiat quaenam sit in tribus ordinationibus maioribus romanis propria vis uniuscuiuque e praecipuis ritibus, Adde quod si etiam manus extensio materia sacramentalis esset, cum haec estensio tum ipsa impositio non essent nisi materiae partes, neque simpliciter dici posset in ordinatione diaconali materiam esse episcopi manus impositionem.

At nonne existimari potest voce manus impositionis *complexive* esse accipiendam, id est de impositione ut de facto hodie in ordinatione diaconali agitur, scilicet cum extensione et ea post impositionem continuanda? Nonne in constitutione eodem modo sola voce manuum impositionis designatur manuum impositio in consecratione episcopali agenda, etsi illa non sine evangelii impositione fieri potest? [3] Certe in ordinatione diaconali multo artius inter se cohaerent manus dexterae episcopi impositio et extensio, quam impositio ambarum illius manuum et dexterae tantum eius extensio in ordinatione presbyterali. Nihilo minus etiam hoc negandum videtur, videlicet solo nomine impositionis in constitutione designari cum hanc impositionem tum extensionem quae illam impositionem comitatur et sequitur.

Namque in declaratione quae ad ordinationem presbyteralem pertinet, clarissime inter se distinguuntur manuum impositio quae silentio fit, et manus dexterae extensio, licet haec definite dicatur illius continuatio. Cum igitur in declaratione de ordinatione diaconali nominatur manus impositio, haec a pari prorsus a manus extensione distinguenda est, quamvis arte cum ea cohaereat. Etiam

---

[3] n. 4-5, p. 7.

manifestius apparet haec verborum impositionis manus vis in declaratione trium ordinationum communi, ubi nempe decernitur et proponitur sacrorum ordinum diaconatus, presbyteratus, et episcopatus materiam, eamque unam, esse manuum impositionem [4]. Liquet enim in illa declaratione eandem trium ordinationum demonstrari condicionem, voce autem impositionis manuum unam eandemque rem significari, eamque rem aliam esse non posse nisi simplicem impositionem. Etenim in ordinatione presbyterali nulla manus extensio huius impositionem comitatur, et de ea quae post impositionem agenda est, suo loco definite negatur eam esse sacramenti materiam; in consecratione episcopali nulla facienda est extensio neque cum impositione manuum neque post illam; impositionem autem evangelii quae in eadem consecratione agenda est, nullo speciali modo cum manuum impositione coniungi eo demonstratur quod est per complures alios ritus multo post absolutam manuum impositionem protrahenda.

Concludamus ergo specialem constitutionis declarationem de materia sacramentali ordinationis ita intellegendam esse quasi diceretur: « In ordinatione diaconali materia est SOLA episcopi manus impositio quae in ritu istius ordinationis una occurrit; non autem manus extensio quae eandem impositionem comitatur et subsequitur ». Sane si hoc etiam definite negasset constitutio, sicut illud affirmavit, efficacius omnem scrupulorum causam sustulisset.

Huic tamen conclusioni contradicere videntur *Variationes* iussu S. Congregationis Rituum in rubricis Pontificalis Romani inducendae (*AAS*, 42, 1950, p. 450). Antiqua enim rubrica textusque tertiae partis « praefationis »: « Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram, usque in finem praefationis: Emitte in eos », *etc.*, hoc modo in binas partes deinceps

[4] n. 4, p. 7.

divisa sunt: « Postea extensam tenens manum dexteram, dicit verba formae sacramentalis sine cantu: Emitte in eos, quaesumus, Domine, Spiritum sanctum ... roborentur. — Et prosequitur usque in finem praefationis, extensam tenens manum dexteram (quae extensio non est de valore): Abundet in eis », *etc.*

Iam vero ex hoc quod nota « quae extensio non est de valore » alteri rubricae, non autem priori adiuncta est, concludendum videtur extensionem manus dexterae quae formae pronuntiationem comitatur esse e contrario de valore seu partem materiae proximae. Verumtamen, quaecumque ratio est illius dispositionis, existimamus interpretationem nostram constitutionis re vera novis rubricis non infirmari. Etenim ratio ob quam constitutio non expresse negat extensionem manus dexterae in ordinatione diaconi esse ad valorem, haec est quod id numquam a theologis affirmatum est, quippe cum nulla esset causa id affirmandi. Nam cum in ordinatione presbyterali forma pronuntianda non esset nisi post absolutam silentio manuum impositionem, in ordinatione diaconali impositio manus et formae pronuntiatio una fiebant. Quod autem in nova rerum ratione forma ordinationis diaconalis non dicitur nisi post absolutam manus impositionem, id non exigit ut illa manus impositio eiusdem extensione continuetur, ut sic unio physica habeatur inter materiam et formam. Tota enim constitutio hoc doctrinali principio innititur, satis esse in sacramentis ut forma et materia moraliter inter se coniungantur. Certe in ordinatione presbyterali multo maior est illarum separatio physica. Attamen fatendum est admonitionem novarum rubricarum, extensionem manus non esse ad valorem, non valde idoneam esse quae omne dubium omnemque scrupulum de ea re tollat; hoc prorsus fecisset, si non alteri, sed priori rubricae adiuncta esset. Ut autem nunc posita est, dubitationem graviorem potius faciet.

Ad hanc quaestionem de manus impositione atque

extensione in ordinatione diaconali illiusque solutionem plenius illustrandam inutile non erit utriusque ritus historiam in antiquis pontificalis romani editionibus breviter describere.

Rubrica de impositione manus in ordinatione diaconali adest in pontificalibus ritus romani saltem inde a saeculo VIII [5]. In antiquioribus exemplis erat haec : « Diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit, manum suam super caput eius ponat, quia non ad sacerdotium sed ad ministerium consecratur », vel, si plures ordinandi erant : « Diaconi cum ordinantur, solus episcopus qui eos benedicit, manum suam super caput eorum ponat, quia », *etc.;* in pontificali vero Gulielmi Durandi : « Hic solus episcopus manus (!) imponit super caput cuiuslibet, et nullus alius, quia ... consecratur, dicens ». Pontificale denique hodiernum hanc formam praebet : « Hic solus pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, et nullus alius, quia ... consecrantur, dicens singulis ».

Qui sit eiusdem rubricae locus in pontificali hodierno supra diximus; idem autem erat in pontificali Gulielmi Durandi. In antiquioribus vero pontificalibus omnibus sita erat rubrica ante allocutionem cleri et populi *Commune votum* et in antiquissimo pontificali Egberti Eboracensis, quod illa allocutione caret, ante ipsam hortationem *Oremus, dilectissimi.* Porro in pontificali curiae romanae saeculi XIII communi rubricae altera accedebat media in praefatione posita, id est inter verba « agenda

---

[5] V. g., in pontificali Egberto Eboracensis (o. 766), apud MARTÈNE, *De antiquis ecclesiae ritibus,* 1763, t. II, p. 35; in pontificali germano-romano saec. X med., apud M. HITTORP , *De divinis catholicae ecclesiae officiis et mysteriis,* etc., Parisiis, 1624, p. 100E-102A; in pontificali romano saeculi XII, edit. M. ANDRIEU, t. I, p. 132-133; in pontificali curiae romanae saeculi XIII, edit. M. ANDRIEU, t. II, p. 339-341; in pontificali Gulielmi Durandi (o. 1296), edit. M. ANDRIEU, t. III, p. 359-363.

concedere » et « Emitte in eos », cuius haec erant verba : « Hic ponat solus episcopus manum super capita eorum dicens ». Dubium igitur non est quin iam inde a saeculo XIII impositio manus in ordinatione diaconali eodem caerimoniae loco quo hodie, agenda fuerit. At quo loco tempore antiquiore fiebat? Eone loco quem signabat rubrica *Diaconus cum ordinatur,* id est ante hortationem *Oremus dilectissimi*? Hanc rationem praescribere videtur codex quidam pontificalis romani saeculi XII, seu codex Lugdunensis, *Bibl. mun.,* 570, cum statuit impositionem manus faciendam fuisse ante « benedictionem ». Benedictio enim aliud non erat nisi contextus hortationis et orationis qui ipsam « praefationem » antecedebat. Non est tamen levis difficultas in hac documentorum interpretatione quod in pontificali germano-romano saeculi X et in ipso pontificali romano saeculi XII et XIII inter rubricam *Diaconus cum ordinatur* et benedictionem interposita est allocutio *Commune votum,* sicque impositio manus, si loco rubrica signato agenda erat, a benedictione et a « praefatione » formula quadam ipsi ordinationi aliena separata fuisset. Nihilo minus existimamus toto illo tempore impositionem manus in ordinatione diaconali eodem loco quo impositio manuum in ordinatione presbyterali, faciendam fuisse, allocutionem autem *Commune votum* perperam post rubricam *Diaconus cum ordinatur* introductam esse, cum debuisset ante illam poni. Valde optandum igitur est ut in nova quadam pontificalis editione in suum verum locum restituatur materia ordinationis diaconalis. Num difficile esse debet summae in ecclesia auctoritati ea in cultu liturgico instaurare quae per saecula episcopis vel caerimoniariis vel etiam librariis non numquam perturbare licuit?

At sive impositio manus ante hortationem *Oremus, dilectissimi,* sive eodem loco agenda fuit quo hodie, in nullo pontificali antiquo, id est ante saeculum XIV scripto, mentio fit manus extensionis alicuius cum eiusdem impo-

sitione vel post hanc in ordinatione diaconali cum contactu physico vel morali, super ordinandorum capita. Aliquam obscuritatem habet tantum altera rubrica pontificalis curiae romanae: « Hic ponat solus episcopus manum super capita eorum, dicens: Emitte in eos, quaesumus, Spiritum Sanctum », *etc.*, quia ea non definitur quomodo impositio manus super plurium ordinandorum capita componenda fuerit cum una eademque formula semel canenda.

Quando autem introducta sit in pontificale romanum praescriptio extensionis manus una cum impositione faciendae et post hanc per cantum ultimae « praefationis » partis continuandae nondum inquirere potuimus.

Extensionem vero manus ipsius episcopi et adstantium presbyterorum in ordinatione sacerdotali post manuum impositionem faciendam primum praescripsit Durandus: « tenent manus dextras super illos suspensas » [6]. In pontificali autem curiae romanae saeculi XIII iubebatur episcopus post finitam manuum impositionem, cum dicendae erant orationes super ordinandos, manus (!) elevatas tenere « sicut quando dicuntur orationes in missae », idemque, secundum plerosque eiusdem pontificalis codices, facere debebant sacerdotes adstantes [7]. In pontificali germano-romano [8] vero et in romano saeculi XII nullius manus extensionis mentio fit [9].

Ratio igitur, ut iam diximus, cur constitutio *Sacramentum ordinis* aperte neget extensionem manus episcopi esse sacramentalem materiam, de extensione vero eadem in ordinatione diaconi prorsus sileat, haec esse videtur quod de illa theologi quidam existimaverunt eam materiae sacramentalis partem esse, de hac e contrario nemo umquam

---

[6] Edit. M. Andrieu, t. III, p. 365-368.
[7] Edit. M. Andrieu, t. II, p. 344-345.
[8] Apud M. Hittorp, p. 102E-104D.
[9] Edit. M. Andrieu, t. I, p. 134-136.

ita sensisse videtur. In documentis enim liturgicis fere paris dicenda est condicio extensionis manus in utraque ordinatione diaconi et presbyteri [10].

Ioannes Michael Hanssens S. I.

[10] Huc quoque spectat quaestio quomodo sit intellegendus ille « tactus moralis » in manuum impositione, quem ad sacramentum conficiendum sufficere declarat constitutio *Sacramentum ordinis* (n. 6, p. 8). Significaturne dumtaxat illo nomine tactus physicus mediatus, qualis fit, v. gr., ab episcopo ritus byzantini omophorion suum inter caput ordinandi et manum suam interponentis, an significatur etiam sola manus vel manuum extensio super caput ordinandi sine ulla tactu physico, ne mediato quidem? Hanc enim fuisse antiquissimam manus impositionis rationem existimaverimus, quam etiamnum plures ritus demonstrant, veluti impositio manuum super dona consecranda ad orationem *Hanc igitur*, extensio manuum versus confirmandos ad orationem invocationis donorum, manus extensio versus paenitentem ad priores absolutionis formulas, vel eius « impositio » super caput infirmi ad formulam *Super aegrotos;* quam exprimit quoque antiquissimum ordinationis nomen « cheirotonia », id est manus extensio (cheirateinein), non impositio. Unde porro concludendum videretur antiquissimam materiam proximam ordinationis presbyteralis et diaconalis eam fuisse quae hodie est manus dexterae extensio. Ex altera parte etiam in ordinationis presbyteralis nova ratione non est inter materiam proximam sacramenti (primam manuum impositionem) et formam (« Da ... in hunc famulum », *etc.*) unio moralis tantum aliqua, sed adest physica, etsi mediata. Nulla enim est interruptio rituum vel formularum inter illam materiam et formam. Namque plane falsum esset hanc formam ita intellegere, quasi esset aliquid per se exsistens et in « praefatione » tantum contentum, velut gemma in suo scrinio; aliud scilicet non est eadem forma nisi ea totius formae sententia quae perfectius sacramentalem effectum exprimit, et hoc satis plene facit, ut, etiam si sola pronuntiaretur, ad sacramentum valide conficiendum et conferendum omnino sufficeret, dummodo cum materia sacramentali convenienti modo coniuncta maneret.

MONUMENTA

18 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [3 aug. 1950] p. 513)

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PUBLICAE ITERUM INDICUNTUR PRECES AD POPULORUM IMPETRANDAM PACEM ATQUE CONCORDIAM.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Summi maeroris non desunt Nobis summaeque laetitiae causae. Siquidem ex una parte cernimus multitudines undique gentium per Sacrum, qui volvitur, Annum Romam confluere, ibique insigne communis fidei, fraternae concordiae incensaeque pietatis praebere spectaculum; idque tali peregrinantium numero, qualem per saeculorum decursum haec alma Urbs, tot celeberrimos experta eventus, umquam adhuc non vidit. Quas quidem innumeras multitudines amantissimo Nos excipimus animo, paterno recreamus alloquio ac novis praeclarisque propositis sanctitatis exemplis, ad morum renovationem christianaeque perfectionem vitae, non sine uberibus fructibus, revocamus.

Ex altera tamen parte oculis obversantur Nostris publicae eiusmodi populorum condiciones, quae graves Nobis sollicitudines anxitudinesque afferant. De concilianda

tandem optatissima pace utique a multis disseritur, scribitur, praedicatur; sed ea, quae solida huius pacis fundamenta esse debent, a nonnullis vel negleguntur, vel aperte repudiantur. Etenim, haud paucis locis non veritas, sed mendacium fucata quadam ratione effertur; non amor, non caritas fovetur, sed odium excitatur ac livida simultas; non civium concordia extollitur, sed seditiones commoventur ac turbae. Atqui, ut sinceri ac cordati homines fatentur, hoc agendi modo neque invicem discrepantes Nationum causae, quae in praesens acriter agitantur, recte componi possunt, neque proletariae classes ad meliorem fortunam, ut oportet, adduci. Nihil enim umquam boni peperit odium, nihil mendacium, nihil seditio. Opus est quidem indigentem plebem ad statum homine dignum evehi; non tamen vi, non tumultuationibus, sed iustis legibus. Necesse quidem est controversias omnes, quae populos seiungunt ac dividunt, quam primum dirimere; sed veritate auspice, iustitia duce.

Dum tetris caelum infuscatur nubibus, Nos, quibus Nationum omnium libertas, dignitas, prosperitas tantopere cordi sunt, facere non possumus quin omnes cives eorumque moderatores ad pacem, ad concordiam adhortemur. Considerent omnes quid bellum, ut experiundo novimus, afferat: ruinas, mortem omneque genus miseriarum. Progrediens aetas talia instruxit ac comparavit arma, immania ac letifera, quae possunt non modo exercitus ac classes, non modo urbes, oppida, pagos, non modo inaestimabiles religionis, artis, culturae thesauros ad interitum reducere, sed insontes etiam pueros, eorum matres, aegrotos debilesque senes. Quidquid pulchrum, quidquid bonum, quidquid sanctum hominum ingenium edidit, id omne, vel fere omne destrui potest. Si igitur bellum, nostris praesertim temporibus, sanae cuiusvis menti tamquam aliquid omnino horrificum atque mortiferum obversatur, fore sperandum est ut — probis omnibus enitentibus, iis praesertim, quorum in manibus populorum sunt sortes — ob-

scurae ac minaces caeli nubes, quae trepidos in praesens animos tenent, arceantur; ac gentibus tandem aliquando pax veri nominis illucescat.

Attamen, quandoquidem novimus « omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum » [1], opportunum ducimus, Venerabiles Fratres, publicas iterum indicere supplicationes ad populorum impetrandam conciliandamque concordiam. Pastoralis vestrae sollertiae erit greges vobis concreditos non modo ad impensas Deo admovendas preces adhortari, sed ad piae etiam paenitentiae expiationisque opera excitare, quibus Aeterni Numinis maiestati, tam gravibus criminibus privatim publiceque laesae, grata praebeatur satisfactio.

Dum vero, pro officio vestro, hanc invitationem Nostram cum christifidelibus communicaturi estis, eos etiam admonetote quibus ex principiis liceat rectam ac solidam haurire pacem, et quibus rationibus oporteat eam componere ac confirmare. Ea siquidem, ut probe nostis, ex christianis tantummodo principiis christianisque praeceptis, sincere religioseque in usum deductis, haberi potest. Haec enim homines ad veritatem, ad iustitiam, ad caritatem advocant; eorum cupidinibus modum imponunt; sensuum facultates compellunt ad rectae obediendum rationi, rationem autem movent ad obtemperandum Deo; omnes denique iubent, eos etiam qui civitates Nationesque regunt, debitam libertatem religioni agnoscere, utpote quae non modo ad sempiternam nos conducat assequendam salutem — quod quidem praecipuum est — sed ipsius etiam rei publicae fundamenta tueatur.

Ex iis, quae diximus, facile cernitur, Venerabiles Fratres, quam longe ii absint a vera ac firma procuranda pace, qui sanctissima Catholicae Ecclesiae iura proculcent; qui sacros administros a suo officio libere obeundo prohi-

---

[1] Cfr. Iac. 1, 17.

beant eosque etiam in vincula vel in exsilium coniciant; qui litterarum ludos, scholas ceteraque instituta, quae christianis regantur normis, vel praepediant, vel omnino proscribant ac deleant; qui denique erroribus, calumniis atque obscenitatibus omne genus populum ac flexanimam praesertim iuventutem ab integritate morum, ab innocentia, a virtute ad corruptelarum vitiorumque oblectamenta pertrahant.

Ac patet etiam quam longe a veritate aberrent qui falso criminentur hanc Apostolicam Sedem ac Catholicam Ecclesiam percupere ut nova habeatur belli conflagratio. Numquam quidem defuere, neque remotis neque proximis temporibus, qui exercitibus subiugare populos contenderent; at Nos a pace recte concilianda non destitimus umquam; at Ecclesia non armis, sed veritate subicere gentes desiderat, easque ad virtutem et ad humanum divinumque cultum conformare. Etenim « arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo » [2].

Haec omnia aperte doceatis oportet; quandoquidem tum solummodo, cum nempe christiana praecepta in tuto ponantur ac privatam moderentur publicamque vitam, tum solummodo sperare licet fore ut, humanis compositis rebus, civium classes, populi ac gentes fraterna concordia copulentur.

Impetrent a Deo communes, quae habebuntur, supplicationes ut incensa haec vota Nostra effecta dentur; ut nempe non tantum, divina adspirante gratia, omnium mores christiana virtute renoventur, sed publicae etiam populorum rationes ita quam primum ordinentur ut, iniusta restincta in ceteros dominandi cupidine, singulae Nationes debita fruantur libertate; quam quidem debitam libertatem et religioni sanctissimae et suis omnibusque civibus concedant, quemadmodum divina humanaque iura postulant.

---

[2] *2 Cor.* 10, 4.

Qua spe freti, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum clero populoque vestro, iisque peculiari modo, qui hortationi huic Nostrae volenti obtemperabunt animo, Apostolicam Benedictionem, caelestium auspicem gratiarum Nostraeque benevolentiae testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIX mensis Iulii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

19 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [2 Sept. 1950] p. 561)

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE NONNULLIS FALSIS OPINIONIBUS, QUAE CATHOLICAE DOCTRINÆ FUNDAMENTA SUBRUERE MINANTUR.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Humani generis in rebus religiosis ac moralibus discordia et aberratio a veritate probis omnibus, imprimisque fidelibus sincerisque Ecclesiae filiis, vehementissimi doloris fons et causa semper fuere, praesertim vero hodie, cum ipsa culturae christianae principia undique offensa cernimus.

Haud mirum quidem est huiusmodi discordiam et aberrationem extra ovile Christi Semper viguisse. Nam licet humana ratio, simpliciter loquendo, veram et certam

cognitionem unius Dei personalis, mundum providentia sua tuentis ac gubernantis, necnon naturalis legis a Creatore nostris animis inditae, suis naturalibus viribus ac lumine assequi revera possit, nihilominus non pauca obstant quominus eadem ratio hac sua nativa facultate efficaciter fructuoseque utatur. Quae enim ad Deum pertinent et ad rationes spectant, quae inter homines Deumque intercedunt, veritates sunt rerum sensibilium ordinem omnino transcendentes, quae, cum in vitae actionem inducuntur eamque informant, sui devotionem suique abnegationem postulant. Humanus autem intellectus in talibus veritatibus acquirendis difficultate laborat tum ob sensuum imaginationisque impulsum, tum ob pravas cupiditates ex peccato originalis ortas. Quo fit ut homines in rebus huiusmodi libenter sibi suadeant esse falsa vel saltem dubia, quae ipsi nolint esse vera.

Quapropter divina « revelatio » moraliter necessaria dicenda est, ut ea, quae in rebus religionis et morum rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque humani generis condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint [1].

Quin immo mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio « credibilitatis » efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint quibus vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari possit. Homo enim sive praeiudicatis ductus opinionibus, sive cupidinibus ac mala voluntate instigatus, non modo externorum signorum evidentiae, quae prostat, sed etiam supernis afflatibus, quos Deus in animos ingerit nostros, renuere ac resistere potest.

Cuicumque eos circumspicienti, qui extra ovile Christi sunt, haud difficulter patebunt praecipuae quas viri docti

---

1 Conc. Vatic. D. B., 1876, Const. *De Fide cath.*, cap. 2, *De revelatione.*

non pauci ingressi sunt viae. Etenim sunt qui evolutionis, ut aiunt, systema, nondum invicte probatum in ipso disciplinarum naturalium ambitu, absque prudentia ac discretione admissum ad omnium rerum originem pertinere contendant, atque audacter indugeant opinationi monisticae ac pantheisticae mundi universi continuae evolutioni obnoxii. Qua quidem opinatione fautores communismi libenter fruuntur ut suum « materialismum dialecticum » efficacius propugnent et evehant, omni notione theistica ex animis avulsa.

Huiusmodi evolutionis commenta, quibus omne, quod absolutum, firmum, immutabile est, repudiatur, viam straverunt novae aberranti philosophiae, quae cum « idealismo », « immanentismo » ac « pragmatismo » contendens, « existentialismi » nomen nacta est, utpote quae, immutabilibus rerum essentiis posthabitis, de singulorum « exsistentia » tantum sollicita sit.

Accedit falsus quidam « historicismus », qui solis humanae vitae eventibus inhaerens, cuiusvis veritatis legisque absolutae fundamenta subvertit, cum ad res philosophicas tum ad christiana etiam dogmata quod attinet.

In hac tanta opinionum confusione aliquid solaminis Nobis affert eos cernere, qui a « rationalismi » placitis, quibus olim instituti erant, hodie non raro ad veritatis divinitus patefactae haustus redire cupiunt, ac verbum Dei in Sacra Scriptura asservatum agnoscere ac profiteri, utpote disciplinae sacrae fundamentum. At simul dolendum est haud paucos istorum, quo firmius verbo Dei adhaereant, eo magis humanam rationem adimere, et quo libentius Dei revelantis auctoritatem extollant, eo acrius Ecclesiae Magisterium aspernari, a Christo Domino institutum, ut veritates divinitus revelatas custodiat atque interpretetur. Quod quidem non solum Sacris Litteris aperte contradicit, sed ex ipsa rerum experientia falsum manifestatur. Saepe enim ipsi a vera Ecclesia dissidentes de sua

ipsorum in rebus dogmaticis discordia palam conquerun-tur, ita ut Magisterii vivi necessitatem fateantur inviti.

Iamvero theologis ac philosophis catholicis, quibus grave incumbit munus divinam humanamque veritatem tuendi animisque inserendi hominum, has opinationes plus minusve e recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere licet. Quin immo ipsi easdem opinationes per-spectas habeant oportet, tum quia morbi non apte curan-tur nisi rite praecogniti fuerint, tum quia nonnumquam in falsis ipsis commentis aliquid veritatis latet, tum deni-que quia eadem animum provocant al quasdam veritates, sive philosophicas sive theologicas, sollertius perscrutan-das ac perpendendas.

Quodsi philosophi ac theologi nostri ex hisce doctrinis, caute perspectis, tantummodo huiuscemodi fructum colli-gere eniterentur, nulla adesset ratio cur Ecclesiae Magis-terium interloqueretur. Attamen, quamvis Nobis comper-tum sit catholicos doctores ab illis erroribus generatim cavere, constat tamen non deesse hodie, quemadmodum apostolicis temporibus, qui rebus novis plus aequo studen-tes, ac vel etiam metuentes ne earum rerum, quas progre-dientis aetatis scientia invexerit, ignari habeantur, sacri Magisterii moderationi se subducere contendant ideoque in eo versentur periculo ne sensim sine sensu ab ipsa ve-ritate divinitus revelata discedant aliosque secum in er-rorem inducant.

Immo et aliud obversatur periculum idque ea gra-vius, quo virtutis est specie magis obtectum. Plures enim sunt, qui humani generis discordiam ac mentium confu-sionem deplorantes, imprudenti animorum studio permoti, impetu quodam moventur atque impenso desiderio fla-grant infrigendi saepta, quibus probi honestique viri in-vicem disiunguntur, « irenismum » talem amplectentes ut, quaestionibus missis quae homines separant, non modo res-piciant ad irruentem atheismum communibus viribus pro-

pulsandum, sed etiam ad opposita in rebus quoque dogmaticis reconcilianda. Et quemadmodum olim fuerunt, qui rogarent num translaticia Ecclesiae apologetica ratio obstaculum constitueret potius quam auxilium ad animos Christo lucrandos, ita hodie non desunt qui eo usque procedere audeant ut serio quaestionem moveant num theologia eiusque methodus, quales in scholis ecclesiastica approbante auctoritate vigent, non modo perficiendae, verum etiam omnino reformandae sint, ut regnum Christi quocumque terrarum, inter homines cuiusvis culturae vel cuiusvis opinionis religiosae efficacius propagetur.

Quodsi iidem ad nihil aliud intenderent quam ad disciplinam ecclesiasticam eiusque methodum hodiernis condicionibus ac necessitatibus, nova quadam inducta ratione, aptius accommodandas, nulla fere esset causa timendi; at vero imprudenti aestuantes « irenismo », nonnulli veluti obices ad fraternam unitatem restaurandam ea putare videntur, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur itemque institutis ab eo conditis, vel quae munimina ac fulcimina exstant integritatis fidei, quibus collapsis, omnia uniuntur quidem, sed solummodo in ruinam.

Novae huiusmodi opiniones, sive improbando novitatis desiderio, sive laudabili causa moveantur, non semper eodem gradu, eadem claritate iisdemque terminis proponuntur, nec semper unanimo auctorum consensu; quae enim hodie a quibusdam, cautelis nonnullis ac distinctionibus adhibitis, magis tecte docentur, cras ab aliis audacioribus palam atque immoderate proponentur, non sine multorum offensione, praesertim iunioris cleri, nec sine ecclesiasticae auctoritatis detrimento. Quodsi cautius agi solet in libris publice editis, iam liberius disseritur in libelis privatim communicatis et in acroasibus coetibusque. Nec tantum inter sodales utriusque cleri et in sacris seminariis institutisque religiosis tales opiniones divulgantur, sed etiam inter laicos, inter eos praesertim, qui iuventuti instituendae operam navant.

Quod autem ad theologiam spectat, quorumdam consilium est dogmatum significationem quam maxime extenuare; ipsumque dogma a loquendi ratione in Ecclesia iamdiu recepta et a philosophicis notionibus penes catholicos doctores vigentibus liberare, ut in catholica exponenda doctrina ad Sacrae Scripturae sanctorumque Patrum dicendi modum redeatur. Spem ipsi fovent fore ut dogma elementis denudatum, quae extrinsecus a divina revelatione esse dicunt, fructuose comparetur cum eorum opinionibus dogmaticis, qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sint, utque hac via pedetemptim perveniatur ad assimilanda sibi invicem dogma catholicum et placita dissidentium.

Accedit quod, catholica doctrina ad hanc redacta condicionem, viam sterni autumant, qua, hodiernis necessitatibus satisfaciendo, hodiernae etiam philosophiae notionibus dogma exprimi possit, sive « immanentismi » sive « idealismi » sive « exsistentialismi » aliusve systematis. Quod idcirco etiam fieri posse ac debere audaciores quidam affirmant, quia fidei mysteria numquam notionibus adaequate veris significari posse contendunt, sed tantum notionibus « approximativis », ut aiunt, ac semper mutabilibus, quibus veritas aliquatenus quidem indicetur, sed necessario quoque deformetur. Quapropter non absurdum esse putant, sed necesse omnino esse ut theologia pro variis philosophiis, quibus decursu temporum tamquam suis utitur instrumentis, novas antiquis substituat notiones, ita ut diversis quidem modis, ac vel etiam aliqua ratione oppositis, idem tamen, ut aiunt, valentibus, easdem divinas veritates humanitus reddat. Addunt etiam historiam dogmatum consistere in reddendis variis sibique succedentibus formis, quas veritas revelata induerit, secundum diversas doctrinas et opinationes quae saeculorum decursu ortae fuerint.

Patet autem ex iis, quae diximus, huiusmodi molimina non tantum ducere ad « relativismum » dogmaticum,

quem vocant, sed illum iam reapse continere; cui quidem despectus doctrinae communiter traditae eorumque vocabulorum, quibus eadem significatur, satis superque favet. Nemo sane est qui non videat huiusmodi notionum vocabula cum in scholis tum ab ipsius Ecclesiae Magisterio adhibita, perfici et perpoliri posse; ac notum praeterea est Ecclesiam in iisdem vocibus adhibendis non semper constantem fuisse. Liquet etiam Ecclesiam non cuilibet systemati philosophico, brevi temporis spatio vigenti, devinciri posse: sed ea quae communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura saecula fuere ad aliquam dogmatis intellegentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur. Nituntur enim principiis ac notionibus ex vera rerum creaturarum cognitione deductis; in quibus quidem deducendis cognitionibus humanae menti veritas divinitus revelata, quasi stella, per Ecclesiam illuxit. Quare mirum non est aliquas huiusmodi notiones a Conciliis Oecumenicis non solum adhibitas, sed etiam sancitas esse, ita ut ab eis discedere nefas sit.

Quapropter neglegere, vel reicere, vel suo valore privare tot ac tanta, quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti Spiritus lumine et ductu, ad accuratius in dies fidei veritates exprimendas mente concepta, expressa ac perpolita sunt, ut eorumdem in locum coniecturales notiones sufficiantur ac quaedam fluxae ac vagae novae philosophiae dictiones, quae ut flos agri hodie sunt et cras decident, non modo summa est imprudentia, verum etiam ipsum dogma facit quasi arundinem vento agitatam. Despectus autem vocabulorum ac notionum quibus theologi scholastici uti solent, sponte ducit ad enervandam theologiam, ut aiunt speculativam, quam, cum ratione theologica innitatur, vera certitudine carere existimant.

Utique, proh dolor, rerum novarum studiosi a scho-

lasticae theologiae contemptu ad neglegendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae, quod theologiam illam sua auctoritate tantopere comprobat. Hoc enim Magisterium ab ipsis tamquam progressionis sufflamen ac scientiae obex exhibetur; ab acatholicis vero quibusdam iam veluti iniustum frenum consideratur quo excultiores aliqui theologi a disciplina sua innovanda detineantur. Et quamquam hoc sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei — Sacras nempe Litteras ac divinam « traditionem » — et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit, attamen officium, quo fideles tenentur illos quoque fugere errores, qui ad haeresim plus minusve accedant, ideoque « etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt » [2], nunnunquam ita ignoratur ac si non habeatur. Quae in Romanorum Pontificum Encyclicis Litteris de indole et constitutione Ecclesiae exponuntur, a quibusdam consulto neglegi solent, ea quidem de causa ut praevaleat notio quaedam vaga, quam ex antiquis Patribus, praesertim graecis, haustam esse profitentur. Pontifices enim, ut ipsi dictitant, de his quae inter theologos disputantur iudicare nolunt, itaque ad pristinos fontes redeundum est et ex antiquorum scriptis recentiora Magisterii constitutiones ac decreta explicanda sunt.

Quae etsi fortasse scite dicta videntur, attamen fallacia non carent. Verum namque est generatim Pontifices theologis libertatem concedere in iis quae inter melioris notae doctores vario sensu disputentur; at historia docet, plura quae prius liberae disceptationi subiecta fuerint, postea nullam iam disceptationem pati posse.

---

2 *C. I. C.*, can. 1324; cfr. Conc. Vat., D. B., 1820, Const. *De Fide cath.*, cap. 4, *De fide et ratione*, post canones.

Neque putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: « Qui vos audit, me audit »[3]; ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse.

Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina « traditione », « sive explicite, sive implicite inveniantur »[4]. Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur. Quapropter sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit. Sed hac de causa theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiae dumtaxat historicae aequari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio. Si autem hoc suum munus Ecclesia exercet, sicut saeculorum decursu saepenumero factum est, sive ordinario sive extraordinario eiusdem mu-

---

[3] Luc., X, 16.

[4] Pius IX, *Inter gravissimas*, 28 oct. 1870, *Acta*, vol. I, p. 260.

neris exercitio, patet omnino falsam esse methodum, qua ex obscuris clara explicentur, quin immo contrarium omnes sequi ordinem necesse esse. Quare Decessor Noster imm. mem. Pius IX, docens nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus, non absque gravi causa illa addidit verba : « eo ipso sensu, quo ab Ecclesia definita est ».

Ut autem ad novas, quas supra attigimus, opiniones redeamus, plura etiam a nonnullis proponuntur vel mentibus instillantur in detrimentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae. Etenim sensum definitionis Concilii Vaticani de Deo Sacrae Scripturae auctore audacter quidam pervertunt; atque sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam Sacrarum Litterarum immunitas errorum ad ea solummodo, quae de Deo ac de rebus moralibus et religiosis traduntur, pertineat. Immo perperam loquuntur de sensu humano Sacrorum Librorum sub quo sensu eorum divinus lateat, quem solum infallibilem declarant. In Sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac « traditionis », Ecclesiae; ita ut Sanctorum Patrum et sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est.

Ac praeterea sensus litteralis Sacrae Scripturae eiusque expositio a tot tantisque exegetis, vigilante Ecclesia, elaborata, ex commenticiis eorum placitis, novae cedere debent exegesi, quam symbolicam ac spiritualem appellant; et qua Sacra Biblia Veteris Testamenti, quae hodie in Ecclesia tamquam fons clausus lateant, tandem aliquando omnibus aperiantur. Hac ratione asseverant difficultates omnes evanescere, quibus ii tantummodo praepediantur, qui sensui litterali Scripturarum adhaereant.

Quae quidem omnia quam aliena sint a principiis ac normis hermeneuticis a Decessoribus Nostris fel. rec. Leone XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus*, et a Benedicto XV in Enc. Litt. *Spiritus Paraclitus*, itemque a Nobis ipsis in Enc. Litt. *Divino afflante Spiritu* rite statutis nemo est qui non videat.

Ac mirum non est huiusmodi novitates, ad omnes fere theologiae partes quod attinet, iam venenosos peperisse fructus. In dubium revocatur humanam rationem, absque divinae « revelationis » divinaeque gratiae auxilio, argumentis ex creatis rebus deductis demonstrare posse Deum personalem exsistere; negatur mundum initium habuisse, atque contenditur creationem mundi necessariam esse, cum ex necessaria liberalitate divini amoris procedat; aeterna et infallibilis liberarum actionum hominum praescientia Deo item denegatur; quae quidem Vaticani Concilii declarationibus adversantur [5].

Quaestio etiam a nonnullis agitur num Angeli creaturae personales sint; numque materia a spiritu essentialiter differat. Alii veram « gratuitatem » ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autument Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet. Nec satis; nam peccati originalis notio, definitionibus tridentinis posthabitis, pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae. Nec desunt qui contendant transubstantiationis doctrinam, utpote antiquata notione philosophica substantiae innixam, ita emendandam esse ut realis Christi praesentia in Ss. Eucharistia ad quemdem symbolismum reducatur, quatenus consecratae species, nonnisi signa efficacia sint spiritualis praesentiae Christi eiusque intimae coniunctionis cum fidelibus membris in Corpore Mystico.

---

[5] Cfr. Conc. Vat., Const. *De Fide cath.*, cap. 1, *De Deo rerum omnium creatore.*

Quidam censent se non devinciri doctrina paucis ante annis in Encyclicis Nostris Litteris exposita, ac fontibus « revelationis » innixa, quae quidem docet corpus Christi mysticum et Ecclesiam Catholicam Romanam unum idemque esse [6]. Aliqui necessitatem pertinendi ad veram Ecclesiam, ut sempiterna attingatur salus, ad vanam formulam reducunt. Alii denique rationali indoli « credibilitatis » fidei christianae iniuriam inferunt.

Haec et alia id genus iam serpere constat inter nonnullos filios Nostros, quos incautum animarum studium vel falsi nominis scientia decipiunt, quibusque maerenti animo et notissimas veritates repetere cogimur et manifestos errores errorisque pericula non sine anxitudine indicare.

In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad exsistentiam unius Dei personalis certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei fundamenta signis divinis invicte comprobanda; parique modo ad legem, quam Creator animis hominum indidit, rite exprimendam; ac denique ad aliquam mysteriorum intellegentiam assequendam eamque fructuosissimam »[7]. Hoc tamen munus ratio tum solum apte ac tuto absolvere poterit, cum debito modo exculta fuerit; nempe cum fuerit sana illa philosophia imbuta, quae veluti patrimonium iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum, atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinae « revelationis » trutinam vocavit. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitio-

---

[6] Cfr. Litt. Enc. *Mystici Corporis Christi*, *A. A. S.*, vol. XXXV, p. 193 sq.

[7] Cfr. Conc. Vat., D. B., 1796.

nis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis, et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem.

In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget. Etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare; numquam tamen eam subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed obsoletum existimare monumentum. Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae mentis per se notis, vel de sententiis illis, quae tum saeculorum sapientia, tum etiam divinae « revelationis » consensu ac fulcimine innituntur. Quidquid veri mens humana, sincere quaerens, invenire poterit, iam acquisitae veritati profecto adversari nequit; siquidem Deus, summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut rite acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur. Quapropter christianus, sive philosophus, sive theologus, non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac iusta in trutina ponat, ne adeptam veritatem amittat, vel corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento.

Quae si bene perspecta fuerint, facile patebit cur Ecclesia exigat ut futuri sacerdotes philosophicis disciplinis instruantur « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia », [8] quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus pervestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina « revelatione » quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sani progressionis fructus utiliter et secure colligendos [9].

Hac de causa quam maxime deplorandum est, philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam hodie a nonnullis despectui haberi, ita ut antiquata quoad formam, rationalistica, ut aiunt, quoad cogitandi processum, impudenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse; dum contra asseverant res, praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam; non tamen praebere philosophandi rationem, quae hodiernae nostrae culturae ac necessitatibus respondeat. Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam immutabilium essentiarum esse, dum hodierna mens ad « exsistentiam » singulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem. Dum vero hanc philosophiam despiciunt, alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive Orientis, sive Occidentis populorum, ita

---

[8] *C. I. C.*, can. 1366, 2.

[9] *A. A. S.*, vol. XXXVIII, 1946, p. 387.

ut in animos insinuare videantur quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis, cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum praesertim de commentis illis agatur, quae vel « immanentismum » vocant, vel « idealismum », vel « materialismum » sive historicum, sive dialecticum, ac vel etiam « existentialismum » sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest.

Ac denique philosophiae nostris traditae scholis hoc vitio vertunt, eam nempe in cognitionis processu ad intellectum unice respicere, neglecto munere voluntatis et affectuum animi. Quod quidem verum non est. Numquam enim christiana philosophia utilitatem negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas; immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat. Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supernaturalem pertinentia, aliquo modo percipere posse, quatenus experiatur in animo affectiva quamdam « connaturalitatem » cum eisdem bonis sive naturalem, sive dono gratiae additam [10]; ac liquet quantopere vel suboscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat. Attamen aliud est voluntatis affectuum dispositioni vim agnoscere adiuvandi rationem ad certiorem ac firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam; aliud vero est, quod isti novatores contendunt: facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem, cum non possit rationis discursu cum certitudine

---

[10] Cfr. S. Thom., *Summa Theol.*, II-II, quaest. 1, art. 4 ad 3 et quaest. 45, art. 2, inc.

discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, cognitione et voluntatis actu incompte permixtis.

Nec mirum est novis hisce placitis in discrimen adduci duas philosophicas disciplinas, quae natura sua cum fidei doctrina arcte conectuntur, theodiceam nempe et ethicam; quarum quidem munus esse censent non aliquid certi de Deo aliove ente transcendenti demonstrare, sed ostendere potius ea quae fides doceat de Deo personali ac de eius praeceptis, cum vitae necessitatibus perfecte cohaerere, ideoque omnibus amplectenda esse ut desperatio arceatur atque aeterna attingatur salus. Quae omnia ut Decessorum Nostrorum Leonis XIII et Pii X documentis aperte adversantur, ita cum Concilii Vaticani decretis componi nequeunt. Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam in rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata.

Reliquum est ut aliquid de quaestionibus dicamus, quae quamvis spectent ad disciplinas, quae « positivae » nuncupari solent, cum christianae tamen fidei veritatibus plus minusve conectantur. Instanter enim non pauci expostulant ut catholica religio earumdem disciplinarum quam plurimum rationem habeat. Quod sane laude dignum est ubi de factis agitur reapse demonstratis; caute tamen accipiendum est ubi potius de « hypothesibus » sit quaestio, etsi aliquo modo humana scientia innixis, quibus doctrina attingitur in Sacris Litteris vel in « traditione » contenta. Quodsi tales coniecturales opiniones

doctrinae a Deo revelatae directe vel indirecte adversentur, tum huiusmodi postulatum nullo modo admitti potest.

Quamobrem Ecclesiae Magisterium non prohibet quominus « evolutionismi » doctrina, quatenus nempe de humani corporis origine inquirit ex iam exsistente ac vivente materia oriundi — animas enim a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet — pro hodierno humanarum disciplinarum et sacrae theologiae statu, investigationibus ac disputationibus peritorum in utroque campo hominum pertractetur; ita quidem ut rationes utriusque opinionis, faventium nempe, vel obstantium, debita cum gravitate moderatione ac temperantia perpendantur ac diiudicentur; dummodo omnes parati sint ad Ecclesia iudicio obtemperandum, cui a Cristo munus demandatum est et Sacras Scripturas authentice interpretandi et fidei dogmata tuendi [11]. Hanc tamen disceptandi libertatem nonnulli temerario ausu transgrediuntur, cum ita sese gerant quasi ipsa humani corporis origo ex iam exsistente ac vivente materia per indicia hucusque reperta ac per ratiocinia ex iisdem indiciis deducta, iam certa omnino sit ac demonstrata; atque ex divinae revelationis fontibus nihil habeatur, quod in hac re maximam moderationem et cautelam exigat.

Cum vero de alia coniecturali opinione agitur, videlicet de polygenismo, quem vocant, tum Ecclesiae filii eiusmodi libertate minimi fruuntur. Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum; cum nequaquam appareat quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis quae fontes revelatae veritatis et acta

---

[11] Cfr. Allocut. Pont. ad membra Academia Scientiarum, 30 novembris 1941; *A. A. S.*, vol. XXXIII, p. 506.

Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium [12].

Quemadmodum autem in biologicis et anthropologicis disciplinis, ita etiam in historicis sunt qui limites et cautelas ab Ecclesia statuta audacter transegrediantur. Ac peculiari modo deploranda est quaedam nimio liberior libros historicos Veteris Testamenti interpretandi ratio, cuius fautores Epistulam haud ita multo ante a Pontificio Consilio de re biblica Archiepiscopo Parisiensi datam ad suam defendendam causam immerito referunt [13]. Haec enim Epistula aperte monet undecim priora capita Geneseos, quamvis cum historicae compositionis rationibus proprie non conveniant, quibus eximii rerum gestarum scriptores graeci et latini, vel nostrae aetatis periti usi fuerint, nihilominus quodam vero sensu, exegetis amplius investigando ac determinando, ad genus historiae pertinere; eademque capita, oratione simplici ac figurata mentique populi parum exculti accommodata, tum praecipuas veritates referre, quibus aeterna nostra procuranda salus innititur, tum etiam popularem descriptionem originis generis humani populique electi. Si quid autem hagiographi antiqui ex narrationibus popularibus hauserint (quod quidem concedi potest), numquam oblivisçendum est eos ita egisse divinae inspirationis afflatu adiutos, quo in seligendis ac diiudicandis documentis illis ab omni errore immunes praemuniebantur.

Quae autem ex popularibus narrationibus in Sacris Litteris recepta sunt, ea cum mythologiis aliisve id genus minime aequanda sunt, quae magis ex effusa imaginatione procedunt quam ex illo veritatis ac simplicitatis studio, quod in Sacris Libris Veteris etiam Testamenti adeo elucet

---

12 Cfr. *Rom.*, V, 12-19; Conc. Trid., sess. V, can. 1-4.

13 Die 16 ianuarii 1948: *A. A. S.*, vol. XL, pp. 45-48.

ut hagiographi nostri antiquos profanos scriptores aperte praecellere dicendi sint.

Novimus quidem plerosque catholicos doctores, quorum studiorum fructus in athenaeis, in sacris seminariis et religiosorum sodalium collegiis impertiuntur, ab iis erroribus alienos esse qui hodie, sive ob rerum novarum cupidinem, sive etiam ob immoderatum quoddam apostolatus propositum, aperte vel latenter divulgantur. At novimus quoque novas eiusmodi opinationes incautos allicere posse; ideoque principiis obstare malumus, quam inveterato iam morbo medicinam praestare.

Quapropter, re coram Domino mature perpensa ac considerata, ne a sacro Nostro officio deficiamus, Episcopis ac Religiosarum Sodalitatum Moderatoribus, gravissime eorum onerata conscientia, praecipimus, ut quam diligentissime curent, ne in scholis, in coetibus, in scriptis quibuslibet opiniones huiusmodi proferantur, neve clericis vel christifidelibus quovis modo tradantur.

Qui in ecclesiasticis institutis docent, noverint se tuta conscientia munus docendi, sibi concreditum, exercere non posse, nisi doctrinae normas, quas ediximus, religiose accipiant atque ad amussim servent in discipulis instituendis. Debitam reverentiam atque obtemperationem, quam in suo adsiduo labore Ecclesiae Magisterio profiteantur oportet, discipulorum quoque mentibus animisque instillent.

Nitantur utique omni vi omnique contentione ut disciplinas, quas tradunt, provehant; sed caveant etiam ne limites transgrediantur a Nobis statutos, ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae tuendam. In quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissima suam conferant pervestigationem, sed ea qua par est prudentia et cautela; nec denique putent, falso « irenismo » indulgentes, ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse,

nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus tradatur.

Hac spe freti, quam pastoralis vestra sollertia adauget, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum clero populosque vestro Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XII mensis Augusti, anno MDCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

20 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(Acies Ordinata [Mai. 1950] p. 129)

DILECTO FILIO
JOANNI BAPTISTAE JANSSENS
SOCIETATIS JESU PRAEPOSITO GENERALI

PIUS PP. XII

DILECTE FILI,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum audiverimus Romam undique convenisse « Promotores », qui dicuntur, Marianarum Congregationum, quae a Societate Jesu pendent, ut consilia inter se conferrent de fovendis provehendisque iisdem Congregationibus ad optata Nostra saepius antehac, praesertim vero in Constitutione Apostolica « Bis saeculari » declarata (*A.A.S.*, XL, pp. 399-402), noluimus opportunam hanc praetermittere occasionem, quin cum carissimis Nostris hisce filiis paternam assensionem probationemque Nostram per has litteras communicaremus.

Probe novimus id genus Consociationes, quae a vobis reguntur exiguo quidem esse numero, si cum omnibus com-

parentur Sodalitatibus hodie in toto mundo exsistentibus; at novimus quoque non raro apud vos Congregationes haberi, a quibus aliae exemplum sumant. Quo profecto incitamento a vobis esse debet, ita quidem ut omnes vestrae Sodalitates dignae revera sint et digniores in dies fiant, quae tamquam exemplar adspiciantur. Etsi enim Sodalitates, ad « Primam Primariam » Collegii Romani aggregatae, quiddam sunt non unius Societatis Jesu proprium, sed Ecclesiae universae commune, negari tamen haud potest, ut alias animadvertimus (*A.A.S.*, XL, p. 397), eas jam inde ab origine ac deinceps aetatum decurso, e Societate Jesu suum excellentioris sanctimoniae et ardentioris apostolatus spiritum hausisse; atque etiam nunc eas jure exspectare posse ex sacra Ignatiana militia perfectissimum exemplum et efficacissimam impulsionem.

Hac de causa ad vos quoque, filii Societatis Jesu, tum ferebatur cogitatio Nostra, cum vehemens Nostrum desiderium manifestabamus ut hae spiritales copiae quam latissime per orbem propagarentur ac feliciter florerent (*A.A.S.*, XL, p. 399) et cum praeterea declaravimus hoc praesertim tempore, si umquam alias, eas necessarias esse (*A.A.S.*, XL, p. 395), cumque ediximus eis « notarum nullam, quibus Actio Catholica insignitur, esse denegandam » (*A.A.S.*, XL, p. 308), cum Ecclesia « potius multiformi unitati faveat in apostolicis operibus gerendis, per fraternam utique conspirationem, Episcopis moderatoribus, in unam metam viribus unitis dirigendis » (*A.A.S.*, XL, pp. 398-399). Id enim prae oculis habebamus, cum Sodalitates Marianas incitavimus ut hoc sibi proprium tribuerent munus efformandi nempe et ad actionem ducendi electissimos manipulos apostolorum, qui sese tamquam salem terrae et caeleste inter homines virtutis veluti fermentum praeberent (*A.A.S.*, XL, pp. 395-401; *A.A.S.*, XXXIX, p. 632). Nec dubitamus haec vota Nostra vobis plane perspecta esse, et, pro vestra sueta obediendi voluntate, vos ardenter velle ea pro viribus ad effectum deducere. Placet

autem haec iterum declarare Christi Vicarium in hac tam magnifica progressione et dilatatione apostolatus laicorum, nostri temporibus peculiari, Sodalitates Marianas non sine summo animi gaudio ac solacio intueri quasi conspicuo in loco collocatas; et Eundem a vestrae Societatis filiis exspectare, ut pro sui Instituti indole impigre in easdem Sodalitates excolendas et provehendas operam suam impendant. Ecclesia multum a vobis exspectat, atque optat ut ubique Congregationes Mariales suum tenebant locum; ut Actio nempe Catholica pleno jure nominari possint sub Beatissimae Virginis tutela, atque eodem ordine polleant, ac ceterae Consociationes, quae apostolatus opera provehunt sub una Ecclesiasticae Hierarchiae auctoritate (*A.A.S.*, XL, p. 402).

Placet vero ea vobis inculcare, quae jam diximus de Sodalitatibus « Primae Primariae » aggregatis, quaeque propterea iis peculiaribus notis praeditae esse debent, quas descripsimus in Constitutione Apostolica « Bis saeculari » : ediximus nempe has peculiares notas « nullo esse impedimento quominus Congregationes Marianae pleno jure dici possint Actio Catholica B. M. Virgine auspice et afflante suscepta » (*A.A.S.*, XL, p. 398); atque iisdem tribuere, in Actionis Catholicae agminibus, partes certo notabiles; immo etiam utilissimas et fere omnino necessarias. Congregationes enim Mariales, qua sunt historia et indole, peculiariter designantur ad fovendas pulcherrimas has notas: notam imprimis sanctimoniae, quae vera ac solida sanctimonia sit, et quae optima dici possit pro cuiusque Sodalis condicione vitae (*A.A.S.*, pp. 304-395); notam praeterea christianae Sodalium conformationis qua eorum revera unusquisque fiat exemplum suorum aequalium in vita tum familiari tum sociali (*A.A.S.*, XL, p. 407); notam postremo plenae et perpetuae obedientiae observantiaeque Christo Domino et Eius Ecclesiae, Beatissima Virgine Maria quasi praelucente ac duce; quod quidem auspicium felicissimum dici debet hoc nostro saeculo, ma-

riali nomine insigniendo, cui contigit experiri praesentiorem tutelam Matris Dei eiusque validissimum patrocinium.

Quae cum ita sint, vos cohortamur ut hac vestra via haud trepidi pergatis, etsi interdum per eam impedimenta varia non deerunt. Dei Eiusque Matris auxilio freti, conscii desideriorum et iussorum Vicarii Jesu Christi, depositaque quavis dubitatione cunctationeque, urgete animose opus Congregationum Marialium, prouti earum indoles et leges requirunt: imprimisque severam cooptandorum selectionem curate, eos tantum adlegendo, qui ad altiora revera adspirent ac studium apostolicum combibere cupiant; ac praeterea praecipuas apud vos partes habeat interior animorum formatio, sine qua inanis, vel suspecta vobis esse debet quaelibet exterior tantum operositas. Haec autem solida animorum conformatio, et apostolica operositas inde permanans, indolem omnino marialem prae se ferre debent; siquidem pia illa animi propensio in Beatissimam Virginem colendam et amandam, qualem Sodalitates vestrae semper professae sunt, ubique et perpetuo veluti tessera ac peculiaris nota habeatur verae fidei veraeque doctrinae. Nec nimium vobis cordi sit assensum multitudinis haurire: etenim vos, ad exemplum Christi Domini, non venistis ad blandiendum mundanis auribus sed ad testimonium reddendum veritati. Ne timeatis denique hoc efficacissimum sanctimoniae et apostolatus instrumentum adhibere praesertim apud illos coetus, qui quidem hoc christiano imbui spiritu magis indigent, vel eum magis possunt per venas humanae societatis infundere; atque in primis apud opifices; itemque apud eos, qui altiorum disciplinarum studiis vacant. Haud ignoramus labores huiusmodi non leves esse, nec paucas praebere difficultates; at novimus etiam vos consuevisse non facilioribus laboribus vos addicere, sed fructuosioribus ad maiorem Dei gloriam; ac praeterea cum magnum vobis a Deo donum concreditum sit, quales sunt Congregationes Marianae, monitionem illam tamquam vobis a Jesu Christo

impertitam habeatis: « Cui multum datum est multum requiretur ab eo » (Luc., 12, 48).

At necessarium non videtur Nobis adhortationi huic Nostrae diu multumque immorari, cum Nobis apprime nota sit vestra erga Episcopos locorumque Ordinarios observantia, atque iisdem habenda obtemperatio; neque minus exploratum Nobis sit sincera vos percupere voluntate ceteris apostolatus coetibus adiutricem fraterna consensione praestare operam secundum normas per Apostolicam Constitutionem « Bis saeculari » a Nobis datas.

Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, universisque Societatis Jesu religiosis viris, peculiarique modo iis, qui Congregationibus Marialibus provehendis moderandisque navant operam eorumdemque alumnis Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Aprilis anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

Adnotationes

Romanus Pontifex feliciter regnans occasione conventus Promotorum Congregationum Marianarum quae a Societate Iesu pendent, mense Aprilis iubilaris decurrentis anni habiti his litteris Rev.mo P. Praeposito Generali datis, paternam Suam assensionem probationemque *communicat.*

Exoptat ut Mariales Sodalitates quas Promotores mediate vel immediate moderantur perfectissimum sint exemplar efficacique sint impulsione, tum in his quae ad excellentiorem sodalium sanctimoniam, tum in his quae ad ardentiorem eorum apostolatus spiritum spectant, universis ad « Primam Primariam » aggregatis Sodalitatibus

quae tam longe absunt ut tamquam quiddam alicuius privatae cappellae dici possint, aut quiddam sint unius Societatis Jesu proprium, ut quiddam universae Ecclesiae commune dici debeant.

Promotores *certiores facit* Eius cogitationem etiam ad eos ferri tum cum in Apostolica Constitutione « Bis saeculari » diei 27 Sept. 1948 (*A.A.S.*, XL, p. 395)[1] vehemens Sui Ipsius desiderium manifestabat ut Mariale agmen spiritualesque Sodalitatum copiae multiplicarentur et per orbem propagarentur tum cum Marianas Congegationes incitabat ut hoc sibi proprium tribuerent munus, efformandi scilicet et ad actionem ducendi electissimos apostolorum manipulos.

Eisdem *inculcat* Congregationes, qua gaudent historia et indole peculiari, speciali ratione designari ad fovendas pulcherrimas has notas: notam imprimis sanctitudinis verae ac solidae et quae perfectissima sit pro cuiusque sodalis condicione; notam praeterea christianae sodalium formationis quo ii suorum aequalium in vita tum sociali tum familiari exemplum fiant; notam denique plenae et perpetuae obedientiae observantiaeque Christo Domino et Eius Ecclesiae — quae non facile viget nostris his diebus quos religiosus indifferentismus et auctoritatis contemptus vel potius horror perfundit, — Beatissima Virgine Maria quasi praelucente et duce.

Admonet peculiare hoc Sodalitatum munus, ut ediserat in Const. « Bis saeculari » (*A.A.S.*, XL, p. 398) tres modo relatas earum notas « nullo esse impedimento quominus Congregationes Marianae pleno iure dici possint Actio Catholica B. M. Virgine auspice et afflante suscepta », atque Sodalitatibus tribuere in Actionis Catholicae agminibus partes certo notabiles; immo utilissimas et fere omnino necessarias.

---

[1] Conf. Periodica de Re Morali, Canonica Liturgica Tom. XXXVII, fasc. IV. pag. 345-365.

Promotores *cohortatur* ut non obstantibus quibuslibet difficultatibus et impedimentis, Congregationum via intrepidi pergant simulque B. V. Mariae auxilio freti, ac desideriorum et iussorum Vicarii Iesu Christi in terris conscii, Marialium Congregationum opus prouti earum natura et leges requirunt animose urgeant. Haud leves exanlandos labores ii suscipient memores, se, minime facilioribus, sed fructuosioribus ad Maiorem Dei Gloriam operibus esse addictos eisque magnum a Deo donum quale sunt Mariales Sodalitates concreditum esse.

Commemorat denique Sibi exploratam notamque Promotorum observantiam et obtemperationem erga Episcopos locorumque Ordinarios nec non sinceram voluntatem qua Sodalitates percupiunt, ceteris apostolatus coetibus, adiutricem fraternamquae praestare operam.

Ex his litteris probe *constat*: *a*) benigna sinceraque Christi Vicarii erga Marianas Congregationes benevolentia; *b*) Summum Pontificem minime velle ut Congregationes Marianae tamquam earum habeant sodales tantum ad perfectiorem interioris seu privatae vitae christianae rationem efformare, sed ab iis exigere ut apostolos creent qui in ipsa Congregatione apostolicis operibus per fraternam cum aliis consociationibus, exempli gratia cum Actione Catholica dicta officiali, Episcopis moderatoribus incumbant; *c*) prorsus errare qui censuerit Sodalitates erectas sive Societatis Iesu sint sive aliorum, esse quiddam in Ecclesia mere toleratum cum obvium sit, Romanum Pontificem, tum ratione earum peculiarium *pulcherrimarum* notarum tum eo quod Actioni Catholicae minime in orbe clausso versari liceat eaque ad unam veluti formam redigi nequeat, vehementer cupere ut Congregationes Marianae proprio spiritu innitentes magis in dies ubique floreant passimque multiplicentur.

Michael Fábregas, S. I.

21 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXII [22 iul. 1950] p. 485)

ALLOCUTIO

PARTICIPANTIBUS CONVENTUI INTERNATIONALI STUDIORUM RERUM SOCIALIUM ET CONVENTUI SODALITATIS INTERNATIONALIS SOCIALIS CHRISTIANAE, ROMAE HABITIS *

Nous vous adressons Notre salut de bienvenue, membres du Congrès international d'études sociales et de l'Association Internationale sociale chrétienne, et Nous éprouvons un plaisir tout particulier à vous l'exprimer ici, en l'Année Sainte. Cette rencontre est plus qu'une heureuse coïncidence : Elle est, de votre part, la manifestation de vos propres dispositions; elle est, pour Nous, le fondement d'une joyeuse espérance, que vos délibérations et vos résolutions contribueront, dans une large mesure, à faire mûrir les beaux fruits que Nous Nous promettons de cette année de retour et de réconciliation universelle, à savoir, le renouvellement et l'épanouissement, dans la grande communauté humaine, de l'esprit de justice, d'amour et de paix.

C'est, en effet, dans l'absence ou le déclin de cet esprit qu'il faut voir une des principales causes des maux dont souffrent, dans la société moderne, des millions d'hommes, toute l'immense multitude de malheureux, que le chômage affame ou menace d'affamer. C'est sur leur misère, sur leur découragement, que table l'esprit du mal, en vue de les détourner du Christ, le vrai, l'unique Sauveur, de les jeter dans le courant de l'athéisme et du matérialisme, pour les engager dans des mécanismes d'organisations sociales en contradiction avec l'ordre établi par

* Habita die 3 Junii mensis a. 1950.

Dieu. Eblouis par la lumière aveuglante de belles promesses, par l'audacieuse affirmation de succès incontrôlables, ils sont bien tentés de s'abandonner à de faciles illusions, qui ne peuvent manquer de les mener à de nouvelles et effroyables déflagrations sociales. Quel réveil leur ménage la réalité après ces beaux rêves dorés!

Seule, la coalition de tous les gens de bien du monde entier pour une action de grande envergure, loyalement comprise et en parfait accord, peut apporter le remède. Plus de ces œillères qui rétrécissent le champ visuel et réduisent le vaste problème du chômage à tenter simplement une meilleure distribution de la somme des forces physiques individuelles de travail dans le monde!

Il faut regarder bien en face, dans toute son ampleur, le devoir de donner à d'innombrables familles, dans leur unité naturelle, morale, juridique, économique, un juste espace vital répondant, fût-ce dans une mesure modeste, mais tout au moins suffisante, aux exigences de la dignité humaine.

Arrière les préoccupations égoïstes de nationalités et de classes, qui puissent gêner le moins du monde une action loyalement entreprise et vigoureusement menée, dans la conspiration de toutes les forces et de toutes les possibilités sur toute la surface du globe, dans le concours de de toutes les initiatives et de tous les efforts des individus et des groupes particuliers, dans la collaboration universelle des peuples et des Etats, chacun apportant sa contribution respective de richesses: en matières premières, en capitaux, en main d'œuvre. Enfin, tous les participants de cet effort commun doivent apprécier le secours que lui apporte l'Eglise.

Le voilà la grand problème social, celui qui se dresse à la croisée des chemins à l'heure présente! Qu'on l'achemine vers une solution favorable, fût-ce aux dépens d'intérêts matériels, au prix de sacrifices de tous les membres de la grande famille humaine: c'est ainsi qu'on éliminera

un des facteurs les plus préoccupants de la situation internationale, celui qui, plus qu'aucun autre, alimente aujourd'hui la ruineuse « guerre froide », et menace de faire éclater, incomparablement plus désastreuse, la guerre chaude, la guerre brûlante.

Bien attardé se montrerait quiconque, dans les vieux pays d'industrie, penserait que, aujourd'hui, comme il y a un siècle ou même seulement un demi siècle, il ne s'agit que d'assurer à l'ouvrier salarié, dégagé des liens féodaux ou patriarcaux, outre la liberté de droit, celle aussi de fait. Pareille conception manifesterait la complète méconnaissance du nœud de la situation actuelle. Voilà déjà des dizaines d'années que, dans la plupart de ces pays, et souvent sous l'influence décisive du mouvement social catholique, s'est formée une politique sociale, marquée par une évolution progressive du droit du travail et, corrélativement, par l'assujettissement du propriétaire privé, disposant des moyens de production, à des obligations juridiques en faveur de l'ouvrier. Qui veut pousser plus avant la politique sociale dans cette même direction, heurte contre une limite, c'est-à-dire, là où surgit le danger que la classe ouvrière suive à son tour les errements du capital, qui consistaient à soustraire, principalement dans les très grandes entreprises, la disposition des moyens de production à la responsabilité personnelle du propriétaire privé (individu ou société) pour la transférer sous la responsabilité de formes anonymes collectives.

Une mentalité socialiste s'accommoderait fort bien d'une telle situation. Celle-ci ne serait pourtant pas sans donner de l'inquiétude à qui sait l'importance fondamentale du droit à la propriété privée pour favoriser les initiatives et fixer les responsabilités en matière d'économie.

Pareil danger se présente également lorsqu'on exige que les salariés, appartenant à une entreprise, aient le droit de co-gestion économique, notamment quand l'exercice de ce droit relève, en fait, directement ou indirecte-

ment, d'organisations dirigées en dehors de l'entreprise. Or, ni la nature du contrat de travail, ni la nature de l'entreprise ne comportent nécessairement par elle-mêmes un droit de cette sorte. Il est incontestable que le travailleur salarié et l'employeur sont également sujets, non pas objets de l'économie d'un peuple. Il n'est pas question de nier cette parité; c'est un principe que la politique sociale a déjà fait valoir et qu'une politique organisée sur le plan professionnel ferait valoir plus efficacement encore. Mais il n'y a rien dans les rapports de droit privé, tels que les règle le simple contrat de salaire, qui soit en contradiction avec cette parité fondamentale. La sagesse de Notre Prédécesseur Pie XI l'a clairement montré dans l'Enciclique *Quadragesimo anno* et, conséquemment, il y nie la nécessité intrinsèque d'ajuster le contrat de travail sur le contrat de société. On ne méconnaît pas pour autant l'utilité de ce qui a été jusqu'ici réalisé en ce sens, de diverses manières, au commun avantage des ouvriers et des propriétaires [1]; mais en raison des principes et des faits le droit de co-gestion économique, que l'on réclame, est hors du champ de ces possibles réalisations.

L'inconvénient de ces problèmes c'est qu'ils font perdre de vue le plus important, le plus urgent problème, celui qui pèse, comme un cauchemar, précisément sur ces vieux pays d'industrie; Nous voulons dire l'imminente et permanente menace du chômage, le problème de la réintégration et de la sécurité d'une productivité normale, de celle qui, par son origine comme par sa fin, est intimement liée à la dignité et à l'aisance de la famille considérée comme unité morale, juridique et économique.

Quant aux pays, dont on commence aujourd'hui à envisager l'industrialisation, Nous ne pouvons que louer les efforts des Autorités ecclésiastiques en vue d'épargner aux populations vivant jusqu'ici dans un régime patriar-

---

1 *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXIII, p. 199.

chal ou même féodal, et surtout en des agglomérations hétérogènes, la répétitions de fâcheuses omissions du libéralisme économique au siècle dernier. Une politique sociale conforme à la doctrine de l'Eglise, soutenue par des organisations garantissant les intérêts matériels et spirituels du peuple, et adaptées aux présentes conditions de vie: une telle politique devrait être assurée du suffrage de tout vrai catholique sans aucune exception.

Même dans l'hypothèse de ces nouvelles industrialisations, le problème demeure tout entier et la question se pose encore à leur sujet: contribuent-elles, oui ou non, à la réintégration et à la sécurité de la saine productivité de l'économie nationale? ou bien, ne font-elles que multiplier encore le nombre des industries toujours à la merci de nouvelles crises? Et puis, quel souci aura-t-on de consolider et de développer le marché intérieur, rendu productif en raison de l'importance de la population et de la multiplicité de ses besoins, là où le placement des capitaux n'est dirigé que par l'appat d'avantages éphémères et là où une illusoire vanité de prestige national déterminé les décisions économiques?

On n'a que trop fait l'essai de production en masse, d'exploitation jusqu'à l'épuisement de toutes les ressources du sol et du tréfonds; surtout, on n'a que trop durement sacrifié à ces essais la population et l'économie paysannes. Egalement aveugle est la confiance quasi-superstitieuse dans le mécanisme du marché mondial pour équilibrer l'économie, et celle dans un Etat-Providence chargé de procurer à chacun de ses ressortissants, et dans toutes les circonstances de la vie, le droit à des exigences, au bout du compte irréalisables.

Devant le devoir pressant, dans le domaine de l'économie sociale, de proportionner la production à la consommation, sagement mesurée aux besoins et à la dignité de l'homme, la question de l'ordonnance et de l'établissement de cette économie sur le chapitre de la produc-

tion se présente aujourd'hui au premier plan. Il ne faut en demander la solution ni à la théorie purement positiviste et fondée sur la critique néokantienne des « lois du marché », ni au formalisme tout aussi artificiel de la « pleine occupation ». Voilà le problème sur lequel Nous voudrions voir théoriciens et praticiens du mouvement catholique social concentrer leur attention et faire converger leurs études.

En gage de l'intérêt paternel que Nous portons à vos recherches et à vos travaux, sous les auspices de l'Esprit Saint, que Nous prions de vous combler de ses dons, Nous vous accordons de tout cœur, à vous, à tous les sociologues catholiques, dans la grande effusion de Notre cœur, Notre Bénédiction Apostolique.

22 - S. S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXII [22 Iul. 1950] p. 489)

NOTIFICATIO

Cum Sac. Stanislaus Bojan, natus « Nowy-Targ » in Polonia die 27 Iulii a. 1919, ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuerit falsas exhibens litteras dimissorias, Suprema Sacra Congregatio S. Officii, in Plenario Consessu Feriae IV habito die 29 Martii 1950, decrevit eundem sacerdotem Stanislaum Bojan habendum esse tamquam laicum quoad omnes iuris effectus, solutum ab omnibus obligationibus ex sacra ordinatione contractis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 14 Iunii a. 1950.

Petrus Vigorita,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

23 - S. S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXII [22 Iul. 1950] p. 489)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 31 Maii 1950

In generali consensu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, praedamnatum esse declararunt, vi canonis 1399 C. I. C., atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum a Curtio Malaparte conscriptum, cui titulus « *La Pelle.* Storia e racconto » (Roma-Milano, Ed. Aria d'Italia, 1949).

Et Feria V, die 15 Iunii 1950, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii, die 16 Iunii a. 1950.

Petrus Vigorita,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

24 - S. S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXII [22 Iul. 1950] p. 490)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 5 Iulii 1950

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales re-

bus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Bruno Ughi, *La Via*, 1ª edizione, Istituto Editoriale Cisalpino Milano-Varese, 1948; 2ª edizione accresciuta, Firenze, CYA Editore, 1949.

Et die 16 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti officii concessa, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 18 Iulii a. 1950.

Petrus Vigorita,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

25 - S. S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXX [3 Aug. 1950] p. 553)

MONITUM

Nonnullae constitutae sunt associationes, impulsu ac ductu, sicut omnibus notum est, partium communistarum, eo spectantes ut pueros puellasque imbuant principiis et institutione, quae materialismum sapiunt et mores christianos religionemque impetunt.

Monentur igitur christifideles huiusmodi associationes, quocumque tegantur nomine, plecti sanctionibus, quas comminatur Decretum S. Officii, latum die 1 Iulii 1949 (*A.A.S.*, 1949, p. 334).

1) Itaque parentes vel eorum locum tenentes qui, contra praescriptum c. 1372, § 2 C. I. C. et memorati Decreti S. Officii, liberos praedictis associationibus insti-

tuendos tradiderint, ad Sacramenta recipienda admitti nequeunt.

2) Qui vero contra fidem vel christianos mores pueros ac puellas docuerint, incurrunt in excommunicationem Apostolicae Sedi speciali modo reservatam.

3) Pueri ac puellae autem, quamdiu huiusmodi associationum participes sunt, ad Sacramenta admitti nequeunt.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 18 Iulii 1950.

M. Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotationes

Decretum S. S. Congregationis S. Officii die 1 Iulii 1949 latum (A.A.S. 1949, p. 334) ad id nihil magis intendebat quam ad christifideles a quavis Communismo adhaesione arcendos utpote qui, actione et doctrina, summum spiritualis ruinae periculum omnibus qui eius participes fiunt conflet.

Monitum ad praefatum Decretum revocat, ut flexaminos pueros et puellas a peculiari, partium communistarum, in eos impetu subducat et tueatur.

Harum duces ut viam Communismo sternant Associationes crearunt quae, etsi diverso vocentur nomine, v. g. Associazioni Pionieri Italiani in eo sunt ut pueros puellasque erroribus et calumniis contra veram religionem et Christi Ecclesiam imbuant, eos in christianos mores offensas *usu* doceant atque ad blasphemandum inducant.

Post S. Officii *Monitum* catholicus nemo in dubium revocare poterit quod ii ex quibus eae Associationes constant — parentes scilicet, qui liberos earum participes faciunt, magistri, qui communistarum impulsu et ductu pueros puellasque corrumpere satagunt, et quodam modo

etiam pueri et puellae quae perventuntur, — sanctionibus plectantur quas *Decretum*, communistarum partibus adhaerentibus, comminatur [1].

Itaque: 1. Non tantum parentes vel eorum locum tenentes qui fundamentales materialismi dialectici doctrinas teneant vel communisticis factionibus nomen dederint aut favorem praestaverint a receptione Sacramentorum repellendi sunt — quod *Decretum* clarissime significat —, sed etiam ii a Sacramentis prohibendi qui agentes contra praescriptum c. 1362 quo, gravissima obligatione tenentur christianam liberorum educationem curandi, eos pessimis illis Associationibus instituendos tradiderint.

Huiusmodi parentes, deploranda sua agendi ratione, Communismo mirum in modum favent. Numquid vana reputanda est spes quam primarii communistae habent fore ut eae Associationes fidelissimos socios informent?

2. Professores, magistri, paedagogi, cuiusvis sexus sint, quocumque nomine vocentur, verbo, qui sive pueros sive puellas contra fidem vel christianos mores instituerint, ipso facto, in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam incurrunt.

Perpendenti gravem *Decreti* enucleationem liquebit id poenae l. s. genus eis denuntiari non ideo praecise quia dum operam navant pueris et puellis materialismo vel antichristianis notionibus imbuendis ipsi in apostasiam a fide — vel si vis in haeresim, — inciderint. Fieri potest ut qui in Associationibus de quibus *Decretum* blasphemare, peccare, materialismi commenta docent, neque fundamentalem huius systematis doctrinam teneant neque eam defendant vel propagent.

Monitum igitur animadvertit quoscumque sua in Associationibus actione vel opera pueros puellasque princi-

---

1 Sanctio pueris puellisque imponenda non est, ut dicetur, stricte poenalis.

piis et formatione imbuant quae materialismum sapiunt vel christianos mores religionemque impetunt etiamsi, stricte loquendo, de apostasia a fide vel de haeresi redargui nequeant, ut seiunctos tamen ab Ecclesiae excommunicatione speciali modo S. S. reservata, esse habendos. Ita v. c. hac excommunicatione plectuntur qui in his communistarum Associationibus pueros calumnias contra Ecclesiam docerent, qui eos in obscenitates induceret, qui eos corruptelarum vitiorumque oblectamentis incitaret, qui ab eorum mentibus verae religionis notionis evelleret, qui eos ad blasphemias provocaret, qui aliis id genus, praedilectas Christi « pusillorum » animas corrumperet.

Opponent, ita haberi in *Monito* vel potius in *Decreto* interpretationem authenticam extensivam C. 2314 § 1. Sit. Quamvis enim Romanarum Congregationum per se non est authenticas generales iuris communis interpretationes edicere tamen nullum dubium esse potest quin Sanctum Officium, cui ipse Summus Pontifex preest et doctrinam fidei et morum tutatur, *Decreto* et *Monito* canonem 2314 *usu* interpretatum est eumque omnes eodem pacto esse interpretaturos. Si quis vero maluerit hic non agi de extensiva authentica can. 2314 interpretatione sed potius de comminatione excommunicationis ipso facto incurrendae S. Sedi speciali modo reservata, ab his diabolicis minorum corruptoribus sicuti incurritur ab haereticis, schismaticis, apostatis a fide et ab his qui Communismi antichristianam et materialisticam doctrinam profiteantur ad normam c. 2314 et praedicti Decreti, non est cur ei obloquamur.

Si autem quis modo expositis occurrerit: *a*) quod ad religionem attinet eiusmodi Associationes, institutione, religiosam superstitionem a puerorum mentibus removere velle, non autem eos ad blasphemias in Deum, in quem non est credendum ut dicunt inducere; *b*) pariter, sexuali educatione, intendunt primam iuventutem immo infantiam etiam, ab omni modo et modestia, ab omni cohibi-

tione liberare quam super castitate christiani mores imponunt cum docent in usu sexualis facultatis nihil esse immorale, in voluptate exinde hausta nihil pravum vel reprobandum inveniri; in promptu habetur responsio qua omnis *Decreti* evasio praecluditur.

Si ut omnem eorum superstitionem eruant pueros docent Deum non esse, et ita porro necessario consequetur eos Deum contempturos esse, contra Eum male seu contumeliose esse loquuturos, quod est blasphemare.

Itemque, illa sexuali institutione data, logica necessitate pueri et puellae ad sexualis facultatis usum transibunt.

Quid! nonne hic veram tum ad blasphemias tum ad turpes actus inductionem habemus?

3. Quod ad pueros et puellas spectat quae huiusmodi Associationeum participes sunt, vel eas aliquo modo fraequentant, notare oportet eorum nomine eos easque significari quae aetatem 15 annorum nondum expleverunt. Cum voces « pueri et puellae » inter usitatos iuridicos terminos non inveniantur eas desumere necesse est uti ab Associationibus ad quas *Decretum Monitumque* respiciunt intelliguntur.

Sacramenta pueris et puellis quae harum Associationum participes fuerint deneganda sunt non quod ipsi sint puniendi ratione participationis ad quam a parentibus, vel eorum locum tenentibus, necessario coguntur, sed quia indecens indecorumque esset eos ad Sacramenta admitti qui, etsi coacte, Associationibus spiritualis perversionis adsistunt.

Parentes igitur eorumve locum tenentes de quibus n. 2, et pueri puellaeque de quibus n. 3., a receptione sacramentorum repellendi sunt utpote qui eorum publice sint indigni.

Si haec primo aspectu alicui duriora videantur meminerit quantum esset periculum ne ii qui illa sanctione tenentur, de receptis sacramentis, tamquam de stimulo

vel de probatione suae in malo perseverantia, gloriarentur. Accedit tum quod eae Associationes non scholae sunt ad quas pueri et puellae unice et necessario mitti possunt et debent, tum, quod caput est, nulla terrena causa nullove materiale damnum tolerabilem reddit certam moraliter animi perversionem in qua hi, ea institutione, coniciuntur.

M. Fábregas S. I.

26 - Sacra Congregatio Concilii

(*AAS*. XXXXII [1 Maii 1950] p. 330)

DECRETUM

DE VETITA CLERICIS ET RELIGIOSIS NEGOTIATIONE ET MERCATURA

Pluribus ex documentis constat, in Ecclesia quovis tempore clericis in sortem Domini vocatis saecularia negotia, negotiationem praecipue et mercaturam, gravibus sub poenis et censuris prohibita fuisse.

Siquidem ipse Apostolus in II[a] epistola ad Timotheum (cap. II, 4) iam monuit: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ». Nil mirum proinde si Tridentina Synodus (Sess. XXII, cap. I, de reform.), de his agens criminibus decernere non dubitaverit: « ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum ... saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur ... ».

His itaque omnino inhaerens Codex iuris canonici, ad rem quod attinet, canone 142 statuit: « Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ».

Haec autem prohibitio afficit etiam religiosos ad normam canonis 592. Quin imo idem Codex hoc praescriptum canone 2380 peculiaribus etiam sanctionibus munivit, addens: « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem pes se vel per alios exercentes contra praescriptum canonis 142 congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur ».

Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut Clerici et Religiosi omnes ritus latini de quibus in canonibus 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi speciali modo reservatam incurrant et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur.

Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus.

Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 22 mensis Martii, anno 1950.

Ioseph Card. Bruno, *Praefectus.*

L. ✠ S.

F. Roberti, *a Secretis.*

Annotationes

Huius S. C. Concilii Decreti reperies in artic. R. P. Petri M. Abellan S. I., pag. 19 huius fasciculi.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE CONSTITUTIONE S. PII V. "CIRCA PASTORALIS„
super clausura monialium et tertiariarum

SECTIO ALTERA: DE MONIALIBUS

« Mulieres quoque quae Tertiariae seu de poenitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint ordinis in congregatione « viventes, si et ipsae professae fuerint, ita ut solemne « votum emiserint, ad clausuram praecise ut praemitti- « tur et ipsae teneantur; quod si votum solemne non emi- « serint, Ordinarii una cum superioribus earum horten- « tur et persuadere studeant, ut illud emittant et profi- « teantur, ac post emissionem et professionem eidem clau- « surae se subjiciant; quod si recusaverint, et aliquae ex « eis inventae fuerint scandalose vivere, severissime pu- « niantur » (textus tertiae paragraphi constitutionis « Circa Pastoralis »)

Praecipua quaestio in hac sectione solvenda versatur circa personas ad quas se haec paragraphus extendit. Dupliciter considerari debet quaestio: historice nempe et juridice. Quaeri enim potest quaenam sint tertiariae de quibus S. Pius V loquatur et praesertim in quonam fuerint statu tempore constitutionis. Tertius enim ordo, pro saecularibus personis erectus, paulatim se in ordinem religiosum evolvit, votis non exclusis. De quibusnam sit sermo, investigandum erit. Proinde in capite priori nonnulla ele-

menta historica colligemus, describentes praesertim evolutionem usque ad tempus S. Pii V. Huic investigationi potius historicae addenda est discussio juridica ut legis pianae vis accurate stabiliatur: discutiendum erit cum de ipsa obligatione imposita, de qua inter auctores movetur lis, tum de personis obligatis, quia a pluribus constitutio « Circa Pastoralis » ad non-tertiarias extenditur. Inde sumpsimus divisionem hujus sectionis in duo capita, prius historicum, juridicum alterum.

Caput prius: Historicum

Quaestio de quibusnam personis agatur, quae juridice sat magni est momenti, ut nempe accurate statuatur ad quasnam personas se haec constitutionis paragraphus extendat, historice inter difficiliores computanda est. Peritorum enim judicio quoad historiam vitae spiritualis in Medio Aevo adhuc sumus in « balbutiandi periodo »[1], non obstantibus perpluribus studiis particularibus, hisce ultimis annis peractis. Deficit adhuc conspectus generalis, deficit synthesis, quae forte adhuc impossibilis est[2], quam certissime hoc loco nos facere non intendimus. Aliqua tamen dicenda sunt ad juridicum pianae constitutionis valorem perpendendum. In tertiariarum historiam non inquisivimus personali studio sed ex diversis auctoribus praecipua de illarum historia colligemus et quidem sub speciali votorum respectu. Tertiariarum historiam perscrutari nostra non interest nisi ut sciamus quaenam vota habuerint tempore S. Pii V. Ratio evidens est: tertia paragraphus constitutionis tertiarias distinguit secundum quod votum solemne emiserunt vel non; distinctionis criterium est nuncupatio votorum: proinde et nos tertiaria-

[1] Fidentius van de Borne, Ons Geestelijk Erf, 7 (1933), 188.
[2] Vie spirituelle, 81 (1949), 39.

rum historiam sub votorum respectu considerare oportet. Inde explicatur quomodo in capite historico nonnullae quaestiones juridicae occurrant, quae tamen pertinent ad historiam respectu constitutionis « Circa Pastoralis », quod sufficit ut in capite priori colligantur.

Etsi historicam investigationem modo praedicto nobis faciliorem reddidimus, non deficiunt tamen difficultates, praesertim defluentes e verborum significatione, juridice nondum definita. Aliqua licet afferre exempla:

in documentis ad tertiarias pertinentibus saepius sermo est de « professione, de novitiatu, de habitu », sed non ex hoc concludendum est tertiarias esse religiosas seu eas habere publica vota [3];

dicitur tertiarias pertinere « ad ordinem », immo ad « ordinem approbatum ab Ecclesia » [4], sed inde concludi non potest eas vota habere, quia auctor citatus construit distinctionem inter religionem et ordinem [5];

auctores sententias plane contradictorias proferunt. Mortier probare intendit tertiarias ad tertium ordinem S. Dominici pertinentes non esse laicas sed religiosas: « Bene intelligi debet tertiarias fieri religiosas, quia, teste sua regula, relinquunt mundum ». Et adhuc: « Probatio habetur in obligatione recitandi officium divinum, tertiario imposita » [6]. Alii tamen clare enuntiant professum

---

[3] Analecta Gysberti Coeverincx, pars II, 's Hertogenbosch, p. 430; Archivum Franciscanum Historicum, 2 (1908), 67.

[4] Lezana, Summa Quaestionum Regularium, Duaci, 1946, t. II, cap. 13, n. 7.

[5] Idem Pellizarius, Tractatio de Monialibus, Romae, 1755, t. I, tract. 1, cap. 3, qu. 11. Quae dicit Larraona, Commentarium pro Religiosis, 1 (1920), 47: « ... certo excluditur semper et absolute quod Congregationes (nempe votorum simplicium) Ordines sint », cum aliqua saltem restrictione accipienda sunt. cfr. etiam Helyot, Histoire des ordres monastiques, religieux et militaires, Paris, 1714, t. I, p. 376.

[6] Mortier, Histoire des Maîtres Généraux de l'ordre des Frères Prêcheurs, Paris, 1905 sq., t. II, p. 238.

(notate verbum) in tertio ordine non fieri religiosum, quia non praescribitur trium votorum nuncupatio [7];

in libro de historia Barnabitorum invenitur formula secundum quam anno 1543 prima vice professio votorum emissa est, in qua sermo est de obedientia « semplice » usque ad mortem; secundum auctorem libri, professio tamen erat solemnis. Postea sermo est de quodam don Giovanni, qui ad congregationem pertinere dicitur per aliquod votum simplex, sed non per professionem [8]. Quis hodie accurate votorum qualitatem definiet?

non clare constat distinctio inter vota publica et privata: potius opponuntur vota solemnia et vota privata, ita ut vota privata essent simplicia. Votum tamen simplex potest esse, judicio d. Thomae, publicum per accidens [9]. Non ergo omnia vota publica sunt « juridice » solemnia, nec omnia vota solemnia sunt « proprie et rigorose » publica [10]. Manifesta habetur evolutio in usu verborum: votum solemne et simplex, votum privatum et solemne, votum secretum seu occultum et publicum [11]. Inde sequitur judicium de votorum qualitate non facile efformari posse: non enim licet documenta antiqua veteresque auctores intelligere secundum definitiones nunc accurate in jure statutas [12]. Quo non obstante utile vi-

---

[7] Bordoni, Cronologium fratrum et sororum tertii Ordinis S. Francisci, Parmae, 1658, cap. 4, n. 21; Hilarius Parisiensis, Liber tertii ordinis, Genève, 1888, p. 53, n. 4.

[8] Premoli, Storia dei Barnabiti nel cinquecento, Roma, 1913, p. 64, p. 129.

[9] II II, q. 88, art. 7, ad 3.

[10] Suarez, de religione, pars sec., tract. 7, lib. 2, cap. 5, n. 6; Opera omnia, Parisiis (editio Vivès), t. XV, p. 134, n. 6.

[11] Scharnagl, Das feierliche Gelübde als Ehehindernis, Freiburg im Breisgau, 1908, p. 105, 108, 114, 115, 124, 127, 147, 153, 155, 163.

[12] Hertling, Zeitschrift für kathol. Theologie (Innsbruck), 54 (1930), 335.

detur tertiariarum historiam accuratius sub respectu votorum considerari.

Articulus prior: De Tertiariis in genere

Tertiariae sunt mulieres, quae pertinent ad aliquem tertium ordinem, sed quamvis hoc verum sit, jam statim facienda est distinctio. Praeter tertium ordinem saecularem (i. e. pro saecularibus) exsistit enim tertius ordo regularis, illorum nempe religiosorum, qui secundum tertii ordinis regulam vivunt, vota emittentes publica.

Historice tertius ordo saecularis regularem praecedit [13] et dici potest associatio fidelium qui in saeculo, sub moderatione alicuius Ordinis, secundum ejus spiritum ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo. Laici, qui vivebant in saeculo, qui vivebant in suis domibus privatis sicut omnes alii « saeculares », specialiori modo ad perfectionem christianam contendere volebant, et ad hunc finem obtinendum plerumque sese submittebant moderationi alicuius ordinis, praesertim e Mendicantibus; ab illis ordinibus adjuvebantur, dirigebantur, speciali spiritu imbuebantur pluribusque privilegii donabantur. Hoc modo arcta oriebatur connexio inter religiosos dirigentes et adjuvantes (qui « primi » ordinis vocabantur) et associatas illas fidelium uniones, quae ad eos pertinebant et cum eis fere aliquod unum morale efformabant proindeque « tertius ordo » dicebantur. Hoc modo orti sunt varii tertii ordines, quorum primus apud Humiliatos in eorum regula, anno 1201 approbata, invenitur [14].

---

13 Teste Hilario Parisiensi (Liber tertii Ordinis, p. 51) distinctionem inter tertiarios regulares et saeculares coeperunt facere S. Antoninus (1470) et Felinus, qui floruit anno 1477.

14 Secundus ordo efformabatur a sororibus, quae vota solemnia emittentes et in communitate viventes, tamen secundum primi

Sensim tamen sine sensu nonnulli tertiarii saeculares communitates efformare incipiebant, semper adhuc secundum tertii ordinis regulam viventes, addentes tamen nonnulla statuta ut vitam communem melius dirigerent. E naturali fere quadam consequentia etiam vota admiserunt: castitatis votum jam apud multos erat in usu; paupertas et obedientia cum vita in communi intime cohaerent, et sic originem cepit tertius ordo regularis seu associatio eorum, qui in communitate, secundum regulam pro tertio ordine saeculari approbatam et vitae communis exigentiis accomodatam, christianam perfectionem assequendam intendebant, intime connexi cum respectivo Ordine primo et ejus spiritu imbuti.

Constitutionem « Circa Pastoralis » legenti patebit S. Pontificem in tertia paragrapho de qua nunc agendum est, loqui de « Tertiariis in congregatione viventibus », a. v. de tertiis ordinibus *regularibus* sed, quod notandum videtur, in sensu *latiori*. S. Pius V enim tertiarias illas « in congregatione viventes » adhuc distinguit prout vota solemnia nuncupeverunt vel non (cfr. textum). Certissime ergo comprehenduntur omnes tertiariae vota simplicia tantum emitentes, quia secus distinctio esset inanis et superflua, quamquam non efformant tertium ordinem regularem in sensu strictissimo, qui nempe vota solemnia supponit.

Possumus dicere: S. Pius V *non* loquitur de tertiariis, quae remanent in saeculo, separatim in propriis domibus et in propriis familiis et in conditione omnino saeculari viventes, sed loquitur de omnibus tertiariis quae cohabitant, quae simul in una domo, sub uno tecto vel saltem « in congregatione » vivunt. Communiter etiam vota emittunt, quae tamen possunt esse simplicia, sed, si

---

Ordinis spiritum a communi plerumque fundatore acceptum et in arcta cum primo Ordine connexione, christianam perfectionem obtinendam tamquam finem prosequebantur.

pro casu, nullum votum emitteretur, tunc adhuc potest adesse « vita in congregatione » ideoque subjectae sunt sub tertiariis, de quibus in tertia constitutionis paragrapho. Hoc saltem probabiliter, quod nunc sufficit, quia postea de hac juridica quaestione fusius est disputandum (cfr. postea in capite juridico).

Jam exclusis tertiariis saecularibus ulterius progrediendum est: non exsistit tertius ordo unicus, sed varii et plures habentur. Enumerantur: tertius ordo S. Francisci et S. Dominici, qui principaliores videntur; praeterea tertius ordo Eremitarum S. Augustini, Servorum, Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Minimorum, Praemonstratensium, Trinitariorum et Mercedariorum [15]. Non omnes sunt ejusdem nec magni momenti et praesertim eorum historia sat obscura dicenda est: Exsistebant tempore S. Pii V sed illos etiam ut tertios ordines regulares jam exstitisse, non patet pro pluribus. Auctores scribunt: etiam adsunt tertiarii(ae) regulares, sed plerumque deficiunt accuratiores indicationes [16].

Nostra paragraphus incipit hoc modo: « Mulieres quae tertiariae seu de poenitentia dicuntur », quibus verbis non distinctio sed aequiparatio imponitur: verbum « seu » explicat non dividit, sed historice constat non omnes tertiarias etiam dici « de poenitentia ». Hoc speciali

---

[15] Cfr. J. de Longny, A l'ombre des grands Ordres, Paris, 1937, p. 13/14.

[16] « es gibt auch », Lexicon für Theologie und Kirche, zweite Auflage, Freiburg i. B., 1930/1938, t. VIII, kol. 430. Pauca refert ex. gr. Heimbucher, Die Orden u. Kongregationen dar kathol. Kirce, Paderborn, 1933:

t. I, p. 454 quoad tertium ordinem Trinitariorum
p. 576 quoad tertium ordinem Mercedariorum
p. 586 quoad tertium ordinem Servorum
t. II, p. 82 quoad tertium ordinem B. M. V. de Monte Carmelo.

Nec plura inveniuntur in Lex. f. Theol. u. Kirche, t. V, kol. 845; t. VII, kol. 99; t. VIII, kol. 430; t. X, kol. 293.

titulo gaudent et tertiariae franciscanae et tertiariae dominicanae, prout pertinent ad ordinem aut S. Francisci aut S. Dominici. Ne ullum quidam dubium de hac re moveri poterit: tertiariae S. Francisci et S. Dominici certe veniunt sub nomine « de poenitentia »; ceterae, quamquam etiam poenitentiae spiritu movebantur et ducebantur, hoc speciali nomine non designantur: hoc certum videtur[17] et quia minoris erant momenti, probabile est S. Pium V. eas in sua constitutione non intendisse, saltem non principaliter et primarie. Nolumus tamen affirmare eas non esse subjectas praescriptionibus a S. Pontifice editis, quia tandem sunt et vocantur tertiariae, quae omnes, judicio S. Pii V, erant reformandae. Nos autem, eas non ignorantes nec excipientes, de cetero de solis tertiariis S. Francisci et S. Dominici loqui intendimus, de quibus nunc in articulo sequente.

Articulus alter: De Tertiariis S. Francisci[18].

Totam tertii ordinis saecularis in ordinem perfecte regularem evolutionem in tribus paragraphis evolvemus, quae singulae distinctas epochas describunt. In prima, quae currit ab initio fundati tertii ordinis saecularis, anno 1221, ad annum 1295, in quo Bonifatius VIII promulgavit bullam « Cupientes », sermo est de vita communi paulatim introducta. In secunda paragrapho loquemur de evolutione ab anno 1295 ad annum 1397, quod secundum opinionem communiorem est annus fundatio-

---

[17] Mandonnet (S. Dominique, t. II, Perspectives, Paris, 1938, p. 299) enumerat nonnullas associationes quae de Poenitentia vocabantur. Ex ibidem enumeratis tantum Ordo de Poenitentia S. Dominici et Ordo de Poenitentia S. Francisci habent « mulieres tertiarias ».

[18] De tertio ordine S. Dominici postea separatim in addito numero loquemur, cfr. p. 29 sq.

nis primi monasterii tertiariarum cum votis solemnibus necnon clausura; in qua evolutione paulatim vota introducuntur. In tertia paragrapho, ab anno 1397 ad annum 1521, quo in anno a Leone X approbata est regula pro tertio ordine regulari, describitur evolutio sic dicti « Capituli trajectensis » ut a noto exemplo discantur vicissitudines evolutionis in ordinem perfecte regularem cum votis solemnibus, quae feliciter per pontificiam universalis regulae approbationem coronatur.

Nostri non est — sit iterum dictum, ut bene attendatur — completam et undequaque perfectam historiam scribere de tertiariis regularibus, sed volumus quae alii invenerunt componere et in unum conferre ita ut omnibus praebeatur conspectus de evolutione quoad vitam religiosam, juridice consideratam, prout haec invenitur in tertiis ordinibus. Multa ergo possunt et debent addi, sed opinamur evolutionem quoad essentialia jam nunc utiliter indicari posse, quam novae investigationes non mutabunt.

Paragraphus prima: ab anno 1221 ad annum 1295.

A. Saeculo decimo tertio ortus est tertius ordo S. Francisci. Secundum opinionem communiorem, quae et traditionalis vocatur [19] ipse Pater Seraphicus tres fundavit ordines, jam ab initio distinctos et quidem anno 1209 Fratres Minores, anno 1121 Sorores quae Clarissae vocantur et tandem tertium Ordinem, anno 1221. Hac de re acriter disputatum est inter auctores: sufficit in memoriam revocare nonnulla nomina ut Sabatier et Mandonnet, qui inter celebriores recensentur, contra quos scripserunt van den Wijngaert et alii. Quaestio, quae

[19] v. d. Wijngaert, Franciscana, 6 (1933), 110; van de Borne, Die Anfänge des franziskanischen Dritten Ordens, Münster i. W. 1925, p. 18/19.

nondum soluta est, non directe pertinet ad nostram materiam. Ab omnibus enim admitti debet et admittitur, tertium ordinem anno 1221 fundatum vel illo tempore exortum, esse ordinem *saecularem*, illorum ergo, qui in mundo remanentes, in propriis domibus et cum sua familia vivunt, sed perfectiorem vitam, suo statui accomodatam, ducere intendunt. Nihil proinde in eorum regula de tribus votis religiosis, nihil de vita communi dicitur; sed jam ipso saeculo decimo tertio ortae sunt communitates tertiariorum, qui in communi cohabitant et regula pro saecularibus confecta utebantur tamquam fundamento, nonunllis statutis particularibus superadditis. Factum ab omnibus asseritur [20].

Nonnulli loquuntur de evolutione in vitam communem, quae « statim » incepit, « ita ut in saeculo decimo quarto fere non amplius adessent tertiarii saeculares » [21]. Facta tamen hucusque nobis nota, non comprobant illa asserta, in quantum loquuntur de vita communi « statim » incepta et efformata. Saeculo decimo tertio tantummodo exeunte, h. e. circiter ab anno 1250, invenimus documenta quae de communitatibus tertiariarum nobis referunt:

ante annum 1275 adest monasterium Florentiae [22];

---

[20] Stanton, de Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis, editio altera, Halifaxae, 1936, p. 9: « paulo post eorum institutionem tertiarii in duos coetus separati sunt, np. illos qui in mundo et illos qui in communi i. e. collegialiter vitam degebant ».

Maroto affirmat tertiarios saeculares « statim » societates efformasse; Commentarium pro Religiosis, 8 (1928), 420.

Vercauteren dicit: « Paucis annis transactis post beatum obitum Seraphici Patris, tertiarii et tertiariae vitam communem inierunt », Antonianum, 3 (1928), 213.

[21] de Kok, Bijdragen tot de geschiedenis der Nederlandsche Klarissen en Tertiarissen voor de Hervorming, Utrecht, 1927, p. 89.

[22] Franciscaansch Leven, 4 (1921), 37.

anno 1287 Tolosae in Gallia Bartholomeus Bechin, civis pius et dives, congregationem Tertiariorum in communi viventium in propriis aedibus instituit [23];

anno 1288 Romae adest aliqua tertiariarum communitas [24];

in fine saeculi beata Angela a Foligno fundavit aliquam communitatem in qua observabatur tertia regula S. Francisci, additis tribus votis absque tamen clausura: ergo vota simplicia??? [25].

Praecipuum argumentum ad probandam praxim vitae communis est bulla « Cupientes » Bonifatii VIII, 11 julii 1295 [26], quae hoc modo incipit: « Cupientes « cultum Divini Nominis ampliari, libenter ea vobis con- « cedimus, per quae cultus ipse suscipiet incrementum. « Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram Nobis, « quod vos plures domos et loca in diversis partibus Ale- « maniae superioris obtinetis, in quibus *sub communi vita* « degitis in observantia Ordinis de Poenitentia beati Fran- « cisci, devote virtutum Domino famulantes, nec adhuc « in eisdem locis et domibus Capellae seu oratoria sunt « exstructa ... ».

Ex hoc textu passim concludunt auctores in fine saeculi decimi tertii in Germania tertiarios in communi vixisse et revera jam anno 1264 aliquod « monasterium » tertiariorum Coloniae exstitisse nobis traditur [27]. Scire

---

23 Commentarium pro Religiosis, 2 (1921), 381; Luconi, Il Terzo Ordine Regolare di S. Francesco, Macerata, 1935, p. 37.

24 Norbert, Les religieuses franciscaines, Paris, 1897, p. 16.

25 Luconi, Il Terzo Ordine Regolare, p. 100.

26 Wadding, Annales Minorum seu trium Ordinum a S. Francisco institutorum, editio tertia, Ad Claras Aquas, 1931 sq., t. V, p. 629.

27 Franciscaansch Leven, 22 (1939), 76; Animadvertendum tamen est Holzapfel hanc conclusionem modo prudentiori proferre. Dicit in bulla Bonifatii VIII non inveniri fratres et sorores sub uno tecto cohabitare, nec vota enumerari ideoque concludit potius sermonem esse de omnino voluntaria cohabitatione tertiariorum,

enim debemus, praecise saeculo decimo tertio exeunte, jam nonnullae communitates Begardorum et Beginarum ad tertium ordinem transiisse [28] et hoc modo ortos esse tertiarios in communi viventes. Cur hoc fecerint, videtur adhuc quaestio aliquatenus obscura [29] sed facta sunt certa : sic ante annum 1281 in oppido Diest, dioecesis Leodiensis, Begardi ad tertium ordinem transierunt [30] et in fine saeculi inveniuntur in urbe Groningen, dioecesis Trajectensis, Beginae quae tertii ordinis regulam acceperunt [31].

Saeculo decimo tertio exeunte adfuisse tertiarios in communi viventes, concludere licet [32].

---

qui propriam familiam non amplius haberent. (Holzapfel, Handbuch der Geschichte des Franziskanerordens, Freiburg im Br., 1909, p. 674).

[28] Franciscana, 4 (1921), 60.

[29] Bihl, Archivum Franciscanum Historicum, 14 (1921), 139.

[30] de Kok, de Katholiek, 146 (1924, 2), 160; Notandum est a nobis adhiberi nomina dioecesium in Belgio et Hollandia, quae inveniuntur in antiquis illius temporis documentis, quae nomina nonnunquam differunt ab hodierna descriptione ecclesiastica illarum regionum.

[31] drs. Gerlach, Geschiedenis der Penitenten-recollectionen van Dongen, Franciscaansch Leven, 23 (1940), 13.

[32] d. Borne, Lexicon f. Theol. u. Kirche, t. X, kol. 4.

Contra hoc assertum non videtur posse afferri bulla « Nimis patenter », 26 maii vel 25 junii 1227. Non videmus quomodo in distinctione quam ibidem facit Gregorius IX inter tertiarios qui in propria domo et qui in solitudine vivunt, inveniri possint indicia seu « prima vestigia » alicuius vitae in communi. (de Kok, de Katholiek, 146 (1914, 2), 157; Bijdragen, p. 157). Vita solitaria, nostro judicio, non exclusive distinguitur a vita in communi, sed eodem modo vitae in familia, nempe saeculari, opponitur, et de facto inter sic dictas « reclusas », quae in absoluta solitudine vivebant iuxta regulam tertii ordinis, inveniuntur quae numquam in communi vixerant, sed e familia sua ad hanc solitariae vitae formam transierant.

Nec accurate affirmatur « plures jam exstare communitates » (Stanton, de Societatibus, p. 9, nota) ex. gr. in Hollandia, quia in elencho monasteriorum, quae ad sic dictum capitulum trajectense pertinebant, inter 82 enumerata, nullum fundatum inveni-

B. Post quaestionem quoad vitam communem, de votis emissis inquirendum est.

In bulla « Nimis patenter » Gregorius IX utitur verbo « religio », sed inde concludere nequimus ad votorum exsistentiam. In bullis et constitutionibus enim illius temporis, immo saeculorum subsequentium usus erat adhibendi verba « ordinis, religionis et congregationis » pro omni societate in qua homines se obligabant ad perfectius Dei servitium sub Superioris obedientia.

Hoc tamen non significat numquam vota adfuisse. Communiter affirmatur S. Elisabeth Thuringensem (1232) primam fuisse tertiariam, quae publicam professionem cum tribus votis solemnibus emiserit; numquam tamen vixit in coenobio [33] ideoque non inauguravit claustralem tertiariarum statum.

In genere saeculo decimo tertio non emittebantur vota, saltem non tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae simul. Praecipua ratio videtur ponenda in regula qua utebantur. A beato Patre Francisco pro personis in saeculo militantibus composita, a Nicolao IV anno 1289 est reformata, aucta, authentice comprobata et imposita, quia nimia inter tertiarios ubique exsistentes varietas, uniformitatem imponendam exigebat [34]. In nova tamen regula de solis tertiariis saecularibus sermo fuit, proindeque ne verbum quidem nec de vita communi observanda

---

tur saeculo decimo tertio (van Heel, Archief voor de geschiedenis van het Aartsbisdom Utrecht, 63 (1939), 84/225).

[33] Hilarius Parisiensis, Liber tertii ordinis, p. 52; Bihl, Franz. Studien, 1931, p. 259-293 affirmat S. Elisabeth revera in coenobio vixisse.

[34] Cum de Kok (de Katholiek, 146 1914, 2), 160, nota 5) admittendum est, novam regulam a Nicolao per bullam « Supra montem » non esse approbatam pro solis tertiariis Tolosae in communi viventibus, a Bechin anno 1287 ibidem fundatis, quod Alyarde in Commentarium pro Religiosis, 2 (1921) 38 affirmare videtur.

nec de votis emittendis in ea invenitur [35]. Nihil mirum personas hanc regulam sequentes vota non nuncupavisse, saltem non in initio, quia paulatim aliqua accesserunt, speciatim votum obedientiae [36]. Immo habetur forsan exemplum alicuius congregationis tertiariarum cum tribus votis et quidem simplicibus: narrat Helyot [37] anno 1265 in Hispania, et quidem Barcinone, fundatam esse congregationem quam intitulat « Tiers Ordre de Notre Dame de la Mercy ». Historici qui de illa congregatione scripserunt, affirmant fundatricem et primas sorores fuisse religiosas ideoque cum votis solemnibus, sed Helyot putat illas probabiliter tantum vota simplicia nuncupasse sicut Tertiariae S. Francisci vel S. Dominici fecerunt quia secus nulla adesset ratio pro tertii ordinis nomine accepto. Dolendum est hac de re non plane constare, quia nunc opinio, quam Helyot propugnat, difficile admitti potest; factum alicuius congregationis cum tribus votis et quidem simplicibus, illo jam tempore exsistentis est nimis singulare, cui sine certis argumentis non credatur. Nec verum est illo fundationis tempore tertiarias ex. gr. S. Francisci communiter tria vota simplicia nuncupasse, sicut supra dictum est [38].

Conclusio: Ex hucusque discussis efformari potest judicium de earum personarum juridico statu:

1) Ex adhibito verbo « religio » non sequitur illas personas vere et proprie dictas regulares fuisse: hoc ab omnibus admittitur [39].

---

[35] Textus ex. gr. in: Seraphicae legislationis textus originales, Ad Claras Aquas, 2897, p. 77/94.

[36] Fred. d'Anversa, Il Terzo Ordine Secolare, Roma, 1921, p. 81.

[37] Helyot, Histoire, t. III, p. 299.

[38] Secundum Luconi nuncupabantur tria vota solemnia in monasterio, Tolosae fundato a Barth. Bechin. (Il Terzo Ordine regolare, p. 37/38).

[39] Animadvertit Bordoni verbum « religio » in bullis illius tem-

2) Ex observata vita communi sequitur species vitae aliquatenus regularis [40] sed de vita regulari in sensu juridico et stricte sumpto sermo esse non potest, tribus votis essentialibus vel omnibus vel uno alterove deficientibus. Optime hoc exponit Pater Bihl [41]: « Subnotemus oportet communitatem a regularitate distinguendam esse; unde etiam ... tertiariae ... communem vitam agentes non ideo jam regulares dici poterant. Regulares enim plures effectae sunt paulatim ex quo tria vota regularia emittere coeperant. Ante hoc tempus ergo tertiariae commuter viventes revera regulare dici nequibant, quamquam speciem constituerent (sic) quamdam mediam inter poenitentes in familiis propriis degentes et tertiarias reapse vitam regularem communem, tribus votis munitam, agentes ». Non potest ideo admitti argumentum quo Bordoni [42] e vita communi ad tria vota (et quidem solemnia) concludit: in « communitate » debet utique adesse auctoritas; debent arceri mulieres a contactu cum « saeculo » et debet adesse aliqua paupertas, ut « in communi » vivatur, sed haec omnia necessario vota non exigunt. E sola vita communi ad vota nequit concludi, quamvis concedendum videatur evolutionem communiter ad votorum emissionem perducere: facta historica postea afferenda hoc clare demonstrant.

Status juridicus — haec sit conclusio — illarum tertiariarum, quae saecculo decimo tertio in communi vivebant, nequit accurate definiri. Non sunt regulares in sen-

---

poris improprie esse intelligendum vel de « religione » postea ad « religionem » elevato. Cronologium, cap. 4, n. 27. Communiter fecerunt quod aliquis auctor in fine saeculi de se ipso affirmat: « nota quod nominibus istis « Religio » et « Ordo » et hujusmodi, indifferenter utimur » (Mandonnet, S. Dominisue, t. II, Perspectives, p. 301, note 17).

[40] de Gubernatis, Orbis Seraphicus, Lugduni, 1685, t. II, lib. 12, cap. 3, n. 126.

[41] Archivum Franciscanum Historicum, 14 (1921), 164.

[42] Bordoni, Cronologium, cap. 8, n. 24.

su stricto nec sunt personae saeculares in sensu communiter adhibito, quia saeculum derelinquerunt et « in mundo » non vivunt; ideo earum status « intermedius » est dicendus, nec juridice definitus.

Paragraphus secunda: ab anno 1295 ad annum 1397.

In saeculi decimi tertii fine incepta evolutio, gradatim postea procedit.

a) evolutio quoad vitam communem.

Plures communitates Begardorum et Beginarum ad tertium ordinem S. Francisci transierunt eiusque regulam acceperunt. Sic anno 1346 in Belgio jam 16 inveniuntur domus Begardorum qui tertiarii facti sunt: immo oriuntur relationes inter singulas domus ad commune bonum promovendum et sese contra adversarios efficaciter defendendos, quo facto fundamenta ponuntur variarum congregationum quae saeculo decimo quinto praesertim nobis occurrunt [43].

Idem pro Beginis factum est, quod probari potest ex episcoporum declarationibus, qui Beginarum tertiariarum defensionem suscipiunt contra eos, qui prohibitiones papales [44] ad illas pias mulierculas applicare voluerunt [45]. Inutile est afferre exempla, quae sine negotio inveniri poterunt: per decades oriuntur communitates in saeculo decimo quarto[46].

b) evolutio quoad vota: quid de votis?

Haec veniunt notanda:

1) « De votorum nuncupatione nulla certa habemus documenta usque ad annum 1307, in quo frater qui-

---

[43] drs. Gerlach, Franciscaansch Leven, 23 (1940), 13.

[44] Concilium Viennense 1311: c. 1, lib. III, tit. 11, Clem.; cap. unic., tit. 7, Ext. I. Joann. XXII.

[45] van Heel, Franciscaansch Leven, 20 (1937), 101/110.

[46] Franciscaansch Leven, 4 (1921), 37; ibidem exempla pro Belgio, p. 39; pro Hollandia, p. 49.

dam sacerdos civis Lucae, nomine Augusti Rapondi, e primis Tertiariis regularibus provinciae Lombardicae, suam professionem renovavit coram Episcopo proprio. Jam haec renovatio supponit professionem antea factam, unde jure concludimus circa finem saeculi decimi tertii vel initium saeculi decimi quarti Ordinem Tertiariorum Regularium canonice exstitisse ». Haec sunt verba patris Alyarde, maxima certe attentione digna, quorum deficiens fere probatio est dolenda [47].

Auctori concedendum est professionis renovationem, professionem jam pridem factam supponere et implicare, sed e verbo « professionis » statim ad tria vota concludere non licet. Jam adnotavimus etiam pro tertiariis saecularibus « professionem » esse in usu, qui tamen vota non emittunt. Nec e facto vitae communis vota sequuntur: proinde argumentum actoris nihil probat sed probanda supponit: sacerdos Rapondus dicitur professus in tertio ordine e quo facto non probantur vota emissa nisi ille tertius ordo vota habere supponatur.

Nec probatur votorum exsistentia e formula professionis, in qua revera sermo est de tribus votis (« voveo formularium seu regulam S. Francisci, confirmatam a Nicolao IV, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate »), quae publicata est a Luconi [48]. E documento enim non sequitur, ut professio, quoad vota, jam antea facta sit, quod affirmet P. Alyarde. Construitur enim distinctio inter professionem « servandi mandata Dei et satisfaciendi transgressionibus » et professionem votorum, de qua dicitur: « *praeterea* ego etiam voveo ... ». Textus ideo intelligi potest de votorum professione nunc prima nuncupata. Insuper nobis narratur frater Rapondus fuisse eremita, qui contra voluntatem visitatoris (e Fratribus Minoribus assumpti) et contra duos unicos suos socios voluit vota

---

47 Commentarium pro Religiosis, 2 (1921), 381, nota 4.

48 Luconi, Il Terzo Ordine regolare, p. 73, nota 1.

emittere et ea coram Episcopo nuncupavit. Dixit visitator : « tertiarios non posse facere hoc votum, ad quod eos non obligavit S. Franciscus, quod neque in forma vivendi confirmata a Nicolao IV reperitur expressum ». Admitti potest fratrem Rapondum primum fuisse in Italia, qui, anno 1307, tria vota emiserit, quod non est idem ac dicere « ordinem tertiariorum regularium canonice exstitisse ... ».

2) Dum inquirimus in votorum emissionem a tertiariis hujus temporis, nobis occurrit assertum clar. Bordoni, Ministri Generalis tertii Ordinis regularis [49]. Secundum eum ex argumentis ab eo allatis concludi potest certe ab anno 1372 tertium ordinem (loquitur de fratribus) esse veram religionem cum tribus votis solemnibus. Argumenta quae affert partim sunt e ratione, quae tamen minus convincentia dicenda sunt [50].

Etiam historice thesim suam intendit stabilire. Nolumus absolute negare tempore ab auctore indicato (ab anno 1372) adfuisse fratres tertii ordinis cum tribus votis solemnibus, sed exempla si adsint [51] sunt omnino rara nec consuetam praxim vel regulam communem demonstrant, ita ut « de ordine constituto » sermo esse possit. Libenter admittimus ea quae Stanton prudenter scripsit contra Bordoni : « Veritati historicae magis conformis videtur opinio clar. Bihl, qui illos tertiarios in communi viventes vocat jam quodammodo regulares, sed non stricte regulares, « quod congruit cum conspectu totius saeculi, hisce verbis expressi : « observant regulam a Nicolao IV appro-

---

[49] Cronologium, cap. 8, n. 21.

[50] Ratiocinatur ex. gr. e facto vitae communis e qua jam tria sequerentur vota, nec efficacius videtur argumentum e regulae approbatione, anno 1298 a Nicolao IV facta, deductum.

[51] Cfr. Luconi (Il Terzo Ordine Regolare, p. 71), qui refert bullam Joannis XXII « Altissimo in divinis obsequis », 18 nov. 1324, destinatam nonnullis tertiariis eremiticam vitam ducentibus in Umbria et tria vota emittentibus.

batam, addendo haud raro votum castitatis [52], aliquando etiam votum obedientiae [53] non vero votum paupertatis, quoniam propria retinere permittebantur » [54].

3)In fine saeculi inveniuntur exempla tertiariorum cum tribus votis consuetis: jam incipit nova periodus, in qua votorum nuncupatio fit praxis communis et regula.

Primum monasterium cum votis (et quidem solemnibus) et clausura est erectum in civitate Foligno in Italia, anno 1397, a beata Angelina Corbara, etiam Angelina Marsciana vocata, fundatrice primae congregationis tertiariarum, quae late sese dispersit. Hoc asserunt plures auctores [55]. Contra quos scripsit Holzzapfel in domibus ab Angelina fundatis nec de votis nec de clausura sermonem esse [56]. Saltem animadvertere debemus nunc nota esse exempla tertiariarum quae jam prius vota emiserint: sic in civitate Saint-Omer in dioecesi Theourannensi anno 1377 a sororibus « de la Celle » vocatus et in eadem civitate anno 1388 a sororibus « griseis » vota nuncupata

---

[52] Cfr. ex. gr. Archivum Franciscanum Historicum, 14 (1921), 451 quoad sorores domus Ridleriani, Monachii sitae, quae juramento vovent perpetuo castitatem conservare ideoque secundum bullam Bonifatii IX, 15 julii 1396,, matrimonium contrahere nec valent nec possunt.

[53] Mirum est de saeculo decimo tertio d'Anversa affirmare sequentia: « Alla regola di Nicolao IV s'aggiungono, non sempre simultaneamente uno o più voti, almeno quello di ubedienza ». (Il Terzo Ordine secolare, p. 83): quomodo in saeculo decimo quarto tantum « aliquando » votum obedientiae adesset?

[54] Stanton, de Societatibus, p. 9, nota 3.

[55] Cfr. ex. gr. citatos apud Stanton, de Societatibus, p. 9, nota 3.

[56] Handbuch, p. 681/682. Frd. d'Anversa videtur idem affirmare scribens: « Questa congregazione raggiunse un alto grado di prosperità, grazie ... alla sollecitudine dei Papi Leone X e S. Pio V, che le imposero i tre voti solenni e la clausura ». Confer etiam Archivum Franciscanum Historicum, 33 (1940), 321, ubi dicitur fundationem B. Angelinae historice non esse satis cognitam ut de votis et clausura observatis constet.

sunt [57] sed ad strictam clausuram observandam non sese obligaverunt, quae nempe cum eorum operibus ad extra incompatibilis judicabatur: tandem postea, saeculo decimo sexto et praesertim saeculo decimo septimo ad clausuram nonnunquam per speciale votum se obligaverunt.

Plura hujusmodi exempla probabiliter exsistunt: omnis evolutio gradatim procedit votorumque nuncupandorum usus,nonnullis in locis inceptus, paulatim sese extendit et fit universalis.

Paragraphus tertia: ab anno 1397 ad annum 1521.

Nimis longum esset, evolutionem, quae in saeculo decimo quinto ad plenam efflorescentiam pervenit, complete et quoad facta particularia describere: materia tam ingens est ut unius paragraphi limite contineri nequeat et libro opus esset. Melius videtur nos nonnulla dicere de una e principalioribus tertiariorum congregationibus hoc saeculo exortis, quia periodi notae propriae tunc satis apparebunt.

In omnibus enim regionibus, praesertim ubi vita communis inter tertiarios florebat, hujusmodi congregationes ortae sunt: singulae domus se conjunxerunt eo quod ab auctoritate ecclesiastica obtinuerant facultatem celebrandi capitula annualia, ubi elegerunt superiorem generalem, ubi confecta sunt statuta, quibus regula Nicolai IV semper magis adaptabatur vitae religiosae. Congregationes istae plures exstiterunt: in Hollandia, Hispania, Lusitania, Lombardia, Sicilia, Dalmatia, Gallia, Germania (superiori et inferiori).

De primo loco enumerata, cognita sub nomine « Capituli Trajectensis » [58] loqui intendimus. Electionis crite-

---

[57] Revue d'histoire franciscaine, 1 (1924), 183/184.

[58] Quia plurima monasteriorum congregatorum sita erant in dioecesi trajectensi.

rium est praeprimis practicum. Auctores, capituli historiam tradentes, documentaque ad illud pertinentia, lingua hollandica composita, nobis facilius in patria patebant nec de aliis congregationibus tot studia, ni fallimur, exsistunt. Accedit ut capitulum Trajectense historice sit primum fundatum, anno 1399, fuerit inter majores [59] et privilegia ei concessa aliis congregationibus sint data (pro hispanica congregatione ex. gr. ab Eugenio IV).

Ad efformandum judicium de statu juridico tertiariarum in capitulo trajectensi coadunatarum, inquiramus oportet in earum vota, vitam communem et clausuram. Deinde investigandum erit votorum qualitas, i. e., eorum solemnitas et pontificia approbatio instituti, quibus nempe vota efficiuntur religiosa in sensu stricto.

A. De votis, vita communi et clausura.

Imprimis: quaenam vota in capitulo trajectensi nuncupabantur? Capitulum Trajectense [60] fundatum est anno 1399 in civitate Amersfoort ubi circiter diem Paschatis convenerunt nonnulli superiores domorum religiosarum, qui tunc statuerunt accipere tertii ordinis S. Francisci regulam. Anno 1401 Bonifatius IX publicavit bullam « His quae divini cultus », 18 jan. [61], in qua, inter alia, datur facultas emittendi votum castitatis, ad quod tamen non obligantur: « et ut quaelibet persona dicti ordinis ad ma-« nus sui Ministri cum aliis observantiis sui ordinis etiam « solemne votum perpetuae continentiae, si velit, emittere « valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium indul-« gemus. Verum cum regula dicti ordinis abdicationem « proprietatis non contineat, quod quilibet clericus hujus « ordinis dictae dioecesis ecclesiasticum beneficium sine « cura ... obtinere ... valeat, praesentibus indulgemus ». Adest ergo tantum votum perpetuae castitatis et quidem

---

[59] Anno 1437, 70 domus cum 3000 religiosarum; anno 1470, 82 domus. (van Heel, Archief, p. 13.

[60] de Kok, Bijdragen, p. 88/100; van Heel, Archief, p. 17382.

[61] Wadding, Annales Minorum, t. IX, p. 569.

solemne; votum paupertatis non exsistit, nec fit mentio de voto obedientiae, quamquam Stanton affirmat S. Pontificem hoc eis concessisse [62], cui concordat van Heel [63] affirmans initio duo tantum vota, ab anno 1487 tria emissa esse (cfr. postea).

In quadam professionis formula, ex anno 1406, iterum de unico castitatis voto agitur (et de voto servandi omnia mandata Dei) [64].

Secundum Hilarium Parisiensem [65] statuta capituli trajectensis anno 1413 a Joanne XXII confirmata, continent professionis formulam cum tribus votis de quibus postea declaratum est ea fuisse solemnia. Irrepsit tamen error : statuta confirmata sunt congregationis belgicae « in partibus Flandriae et praesertim in episcopatu Morinensi et in locis ... Morinensis dioecesis » [66]. In illis statutis invenitur formula secundum quam profitentes vovent « vivere in obedientia, in paupertate, sine proprio et in castitate ». Clare tria vota habentur, sed pro capitulo trajectensi hoc non valet.

Nulla occurrit mutatio ante annum 1430 : hoc anno S. Pontifex Martinus V in sua bulla « Promptum et benevolum » [67] loquitur de fratribus et sororibus tertii ordinis S. Francisci in civitate et dioecesi Trajectensi degentibus, « qui de licentia Sedis Apostolicae votum castitatis emittentes, in communi observantia regulari de labore manuum suarum et sorores ipsae in plerisque locis et domibus sub arcta clausura celebem ducunt vitam, ut liberius

---

[62] Stanton, de Societatibus, p. 9, nota 4.

[63] Archief, p. 49, nota 1.

[64] van Heel, Archief, p. 16.

[65] Liber tertii Ordinis, p. 56.

[66] Sic et ipse Papa in sua bulla, cfr. Wadding. Annales Minorum, t. IX, p. 654.

[67] Item in bulla « Quia personas religiosas », 22 junii 1430 (Kerkhistorisch Archief van Kist en Moll, 4 (1866), 60).

possent Domino famulari »[68]: e ceteris votis omissis, argumentum e silentio construere licet.

Probabile est nonnulla monasteria ad capitulum trajectense pertinentia pro sibimetipsis accepisse indultum emittendi tria vota solemnia, sicut notum est pro aliis congregationibus: 1427 pro sororibus domus Duisburgensis dioecesis Coloniensis[69]; 1445 pro sororibus domus gandavensis, dioecesis Tornacensis[70]; 1459 pro sororibus Lucae in Etruria[71]; pro sororibus, anno 1459, in Hasselt, dioecesis Leodiensis[72]; 1471 pro sororibus domus Besselich, dioecesis Trajectensis: vota solemnia et clausuram usque ad quadragesimum annum[73]. Exempla possunt multiplicari, ita ut plura monasteria hoc saeculo decimo quinto (ante annum 1487) vota solemnia accepisse certum sit, non formaliter qua membra capituli, sed ex indultis personaliter seu privatim requisitis et acceptis[74].

Si secundum Heimbucher[75] circiter annum 1400 tertiarii partim singuli, partim in communi, tria vota nuncupare coeperunt, hoc pro capitulo trajectensi qua tali verum non est. Trium votorum emissio a tertiariis ad capitulum trajectense pertinentibus, quia et quatenus sunt illius membra, non contingit ante annum 1487; ante hoc

---

[68] van Heel, Archief, p. 263/264.

[69] Wadding, Annales Minorum, t. X, p. 493.

[70] Wadding, Annales Minorum, t. XI, p. 556.

[71] Wadding, Annales Minorum, t. XIII, p. 167.

[72] Wadding, Annales Minorum, t. XIII, p. 166.

[73] Wadding, Annales Minorum, t. XIII, p. 548.

[74] Analecta Gysberti Coeverincx, pars 2. Ibidem enumerantur plura monasteria tertii ordinis, durante saeculo decimo quinto (anno 1454, 1459, 1469) fundata in dioecesi leodinesi, cum tribus votis substantialibus (formula professionis p. 253, 356). In bulla erectionis monasterii de Dommelen, 2 martii 1454 (p. 385) sermo est de sororibus inclusis conventuum trajectensis dioecesis.

[75] Die Orden und Kongregationen, t. II, p. 15.

tempus saltem non fit in communi, non est communis obligatio, praescripta non est [76].

De paupertate tamen jam aliqua invenimus in annuis statutis capituli: anno 1434 ex gr. haec statuta sunt: « fratres vel sorores habentes reditus, resignabunt fruc- « tus conventui » [77]. Sub anno 1464 invenimus: « item « statutum quod nulla persona habebit aliquam proprie- « tatem vel proprios reditus » [78].

Anno 1487 haec ordinata sunt: « Jam tertio [79] cun- « clusum est per capitulum et habebitur pro statuto, quod « de cetero investiendi et profitendi profiteantur tria vota « substantialia religionis juxta formulam subscriptam « quae est: Ego promitto solemniter omnipotenti Deo etc. « me omnia praecepta Dei servaturum, continentiam cor- « poris et sine proprio victurum et tibi ministro pro tem- « pore exsistenti obedientiam, secundum tertiam regulam « beati Francisci » [80]. Hoc modo omnibus ad capitulum pertinentibus eiusque superioribus et subditis imponuntur tria vota substantialia emittenda, quae fiunt « solemniter » (utrum juridice an tantum liturgice i. e. substantialiter an tantum accidentaliter [81] confer infra).

Ne tamen credamus omnes huic statuto obedivisse et vota nuncupavisse. Quae Holzapfel in genere affirmat, nostro casui speciali applicanda apparent. Commemorat citatus auctor anno 1480 Sixtum IV declarasse omnia a

---

[76] Sic Gerlach, Franciscaansch Leven 23 (1940), 16. Ad identicam conclusionem pervenit E. Ypma in suo opere « Het Generaal Kapittel van Sion », Nijmegen/Utrecht, 1949, p. 28. Ibidem inveniri possunt omnia argumenta pro et contra.

[77] de Kok, Bijdragen, p. 119/120.

[78] de Kok, Bijdragen, p. 130.

[79] Ne ullum vestigium nec de primo nec de secundo statuto invenire potuimus.

[80] de Kok, Bijdragen, p. 138.

[81] Hanc distinctionem facit Suarez praecise quoad tertiarios: De religione, pars sec., tract. 7, lib. 2, cap. 5, n. 9; Opera omnia (Vivès), t. XV, p. 135, n. 9.

fratribus vel sororibus tertiariis emissa vota consideranda esse tamquam solemnia [82] et prosequitur: « quocum dictum non est talia vota de facto in omnibus domibus emissa esse: diversitas in praxi quae exsistebat, remansit et postea » [83].

Etiam pro capitulo trajectensi hoc valet: de Kok argumentum sumit e statuto capituli, celebrati anno 1523, statuente: « Item in conventibus sororum nulla soror eli- « gatur in ministram, quae expresse non voverit tria vota « substantialia » [84]. Ideo, dicit, patet votum castitatis jam anno 1401 concessum a Bonifacio IX [85] nullatenus ab omnibus emissum esse, ut cetera vota omittamus [86]. De valore argumenti haec videntur animadvertenda: in statuto citato exigitur professio *expressa*, cui per se opponitur professio *tacita*, non tamen professionis omissio, ita ut e capituli praescriptione non statim concludi possit plures sorores nulla vota emississe, sed ad summum plures hoc fecisse non expresse sed tacite, quod in jure antiquo valide fieri poterat. Concedimus hanc juridicam distinctionem probabiliter non esse in casu intentam; proinde secundo animadvertimus: anno 1487 capitulum statuit tria vota esse emittenda ab omnibus « de cetero investiendis et profitendis », a. v. pro omnibus postea, de cetero, *ingredi* cupientibus vota sunt obligatoria, sed de jam ingressis nil dicitur: istae ad vota nuncupanda non adstringuntur. Supponere licet non omnes hoc libere et motu proprio fe-

---

82 Sixtus V « Ad Christi » (Wadding, Annales Minorum, t. XIV, p. 295) et addit Bordoni (Cronologium, cap. 8, n. 10): « initio bullae refertur quod ipsemet Pontifex antea iisdem fratribus concesserat licentiam profitendi solemniter paupertatem, castitatem et obedientiam », sed eam concessionem invenire non potuimus in his terminis.

83 Holzapfel, Handbuch, p. 675.

84 de Kok, Bijdragen, p. 148.

85 Wadding, Annales Minorum, t. IX, p. 569.

86 de Kok, Bijdragen, p. 92.

cisse, ita ut adhuc anno 1523 sorores adesse potuissent, quae omnino licite (etiam post bullam Leonis X, cfr. infra) sine tribus votis, immo sine ullo voto, vixissent. Inopportunum visum est eas vocare ad gubernandas alias forte professas, ideoque sapienter statutum est huiusmodi personas non esse eligibiles ad munus superiorissae vel sic dictae ministrae [87].

Nolumus affirmare numquam accedisse inobedientiam (ac si revera omnes professurae de facto tria vota emiserint) quae tamen non fuit quasi regula et praxis sat communis: hoc saltem est improbabile, cum agatur non de praecepto imposito ab externis, sed de libere suscepta obligatione; immo, nostro saltem judicio, nondum est probatum. Admittimus ergo tertiarias ad capitulum trajectense pertinentes post annum 1488 communiter tria vota emississe [88].

Ut de statu juridico tertiariarum capituli trajectensis judicium feratur, unum verbum dicendum est de evolutione quoad vitam communem et clausuram.

Initio saeculi, *vita communis* jam fere ab initio in

---

[87] Hoc sensu etiam explicanda sunt facta quae de Kok ad argumentum confirmandum afferre potuisset: in alicuius sororis testamento, facto anno 1489, dicitur sororem testantem fecisse duo vota tantum; item in aliquo contractu emptionis-venditionis, anno 1504 composito, sermo est de duobus tantum votis, castitatis scil. et obedientiae (van Heel, Archief, p. 49, nota 1). Haec omnia non probant sorores contra statutum anni 1487 peccavisse, quia illae sorores, jam ante hunc annum sub duobus votis professae, ad tertium emittendum non obligabantur.

[88] Unde oriatur diversitas in praxi, quae secundum Holzpfel (cfr. nota 83) remanserit, nobis videtur adhuc incertum: forte reducenda est ad differentiam inter sorores jam ingressas et nunc de cetero ingredientes, quarum hae tria, duo vel unum votum istae habebant. Historica investigatio erit perdifficilis: inspiciendi essent indices sororum neo-professarum et videndum utrum fideliter vota nuncupaverint necne. Tunc tantum legitima esset conclusio relate ad assertam diversitatem, quam non negamus, sed forte aliunde, et non e sororum inobedientia, ortam esse opinamur.

usu, fit obligatoria : occasio erat praesertim scandalosa desertio membrorum, quae post professionem domum derelinquebant et in saeculo circumibant. Ordinarii locorum pluries contra has personas sese opposuerunt, etiam eas incarcerando et ad hoc brachium saeculare invocando [89] sed res etiam Summo Pontifici subjecta est : per bullam « Pastoralis Officii » [90] Joannes XXIII contra apostatas statuit poenam excommunicationis majoris, ipso facto incurrendae easque ad monasteria reducenda esse imposuit. Hoc modo vita communis hucusque libera, obligatoria facta est [91].

Quod ad *clasuram* attinet, nulla videtur exsistere obligatio strictae clausurae observandae. Utique nequibant sorores libere exire nec indiscriminatim omnes personas cuiuscumque sexus in domos recipere, sed ad arctam clausuram ita ut inclusae vocari deberent, non tenebantur : non aderat ulla obligatio pro toto capitulo qua tali. Quod clare videtur profluere e capituli statutis in quibus pluries expresse distinguitur inter sorores inclusas et non-inclusas (anno 1437, 1450, 1462, 1467, 1496) [92]. Hoc sequitur etiam e variis decretis Summorum Pontificum et Episcoporum, in quibus sermo est de sororum inclusione « si velint ». In litteris Juliani, Apostolicae Sedis legati in Germania (1 sept. 1434) datur Ministro Generali tertii ordinis facultas quatenus « accedente consensu sororum ... valeas ipsas aut

---

89 Pro dioecesi trajectensi, cfr. van Heel, Archief, p. 70/71 : anno 1408, 1414, 1423, 1439, 1454, 1456.

90 31 martii 1414 : Wadding, Annales Minorum, t. X, p. 658.

91 Holzapfel, Handbuch, p. 675 ; sed nonne jam Bonifatius IX, 22 sept. 1410, apostasiam a religione excommunicatione munivit? (Bullarium Franciscanum, cura Eubel, Romae, 1904, t. VII, p. 153, n. 424).

92 Textus apud de Kok, Bijdragen, p. 117/142. Ex. gr. anno 1476 definitum est quod in domibus inclusis sorores professae non inclusae habeant loca sua secundum tempus professionis earum cum inclusis.

aliquam ex eis in eiusdem domibus recludere »[93]. Hoc non impedit quin plures domos strictam voverent clausuram, numquam amplius e claustris egredientes, de Kok allegat exemplum anno 1422, quo monasterium Goudense dioecesis Trajectensis ab Episcopo[94] est inclusum[95].

Affirmat van Heel plurimas domos, regula tertii ordinis accepta, factas esse inclusas[96], sed in elencho 82 domorum, pro 13 tantum clausura memoratur. Hoc certe non probat, deficientibus documentis, alias non esse inclusas, sed altera e parte nec confirmatur assertum « plurimas accepisse clausuram ». Idem dicendum est de unico documento, in quo quaedam sorores clausuram recusant[97], quo nullatenus probatur ceteras eam accepisse. Immo ni fallimur, improbabile est, hoc jam in saeculo, strictam clausuram esse praxim communem[98].

Haec nobis placet conclusio: saeculo decimo quinto stricta clausura non erat imposita, sed ab aliis libere suscepta observabatur, ab aliis quia non praescripta ignorabatur.

B. Consideratis votis, vita communi et clausura, nobis nunc licet efformare judicium de statu juridico tertiariarum capituli trajectensis. Ponitur historico-juridica quaestio, sintne religiosae. Pluries hac de re ab auctoribus actum est: conclusiones colligere nobis satis erit.

a) Primo loco stabiliendus est quaestionis sensus: ut eas personas « religiosas » dicere valeamus, oportet cons-

---

[93] van Heel, Archief, p. 289.

[94] Fredericus III de Blankenstein (Gams, Series episcoporum, Leipzig, 1931, t. I, p. 256).

[95] Nulla tamen obligatione ad hoc faciendum imposita, quod auctor insinuat (de Kok, Bijdragen, p. 98).

[96] van Heel, Archief, p. 12.

[97] van Heel, Archief, p. 12.

[98] Secundum Ypma (Het Generaal Kapittel van Sion, p. 30/32) introductio clausurae plerumque dependebat de conditione pecuniaria conventus, prout sufficientibus redditibus gaudebat, annon.

tare quid ad esse religiosum requiratur. Secus jam statim et sine ullo negotio inveniretur responsum v. g. in bulla Joannis XXIII « Pastoralis Officii », 31 martii 1414 [99] dicentis : « Nonnulli temporale dominium habentes in par« tibus illis (i. e. in civitate et dioecesi Trajectensi), prae« tendentes huiusmodi personas dicti ordinis S. Francisci « non esse religiosas, conati sunt eas ut laicos ipsis sub« jectos ... aggravare. Nos igitur ... ipsos Fratres et Soro« res religiosos et ecclesiasticos esse ... auctoritate prae« dicta (i. e. apostolica) declaramus ». Haec statuta, confirmata a Martino V (« Quia personas religiosas », 22 junii 1430) [100] et a David de Burgondia, episcopo trajectensi, 28 dec. 1471 [101] nullum relinquunt dubium quin religiosae sint dicendae « cum omnibus et singulis libertatibus, privilegiis aliis religiosis et ecclesiasticis personis concessis ». Iisdem tamen verbis expresse dicitur, eas uno tantum voto, nempe solemni castitatis voto seu perpetuae continentiae ligatas esse. Ideo non sunt religiosae in sensu stricto et proprio, ad quod saltem requiruntur tria vota consueta quae substantialia dicuntur, quatenus nempe ad vitae religiosae substantiam pertinentia.

Scite observat Bouix [102] juxta usum communiter receptum, distingui statum religiosum completum seu stricte sumptum a statu religioso incompleto seu minus stricte sumpto, ad quem constituendum sufficit alicuius consilii evangelici observantia, voto firmata. Utramque sui asserti partem auctor probat testimoniis; e documentis a nobis allatis constat usum indicatum etiam nostris tertiariis esse applicatum et sine ulteriore probatione admittimus tertiarias saeculi decimi quinti, hoc sensu lato et incompleto, religiosas fuisse.

---

99 Wadding, Annales Minorum, t. IX, p. 658.
100 Kerkhistorisch Archief Kist en Moll, 4 (1866), 60.
101 van Heel, Archief, p. 297.
102 Bouix, de Jure Regularium, Parisiis, 1882, t. I, p. 46.

Quod tamen non sufficit: suntne religiosae in sensu stricte sumpto?

De Kok sibi ponit quaestionem relate ad congregationem coloniensem, et recte incipit, praeponendo ea quae ad normam juris canonici tunc vigentis requirebantur ad statum religiosum constituendum. E corpore juris eiusque commentatoribus concludit jam in illo tempore requisitam esse vitam communem cum tribus votis consuetis, sive solemnibus, sive simplicibus [103]. Haec tamen sunt inaccurate dicta in quantum auctor affirmat vota simplicia ad statum religiosum constituendum jam *illo* tempore suffecisse, nec probantur allegando optimos libros dom. Bouix, anni 1857 et card. Soglia eiusdem anni 1857 [104] scripserunt enim in fine laboriosae et diuturnae evolutionis.

Multo melius, in eadem prorsus quaestione, scripsit drs. Gerlach [105] ad statum religiosum constituendum essentialiter requiri usque ad constitutionem « Conditae a Christo » (anno 1900) observantiam trium consiliorum evangelicorum per publicam professionem trium votorum solemnium in statu vitae communis, ab Apostolica Sede approbato. Ultimum etiam elementum, approbatio scil. a suprema auctoritate ecclesiastica, omnino requiritur, non e natura rei, sed practice seu e positiva Ecclesiae institutione, et hoc jam ab antiquis temporibus, saltem a tempore Innocentii III. [106].

Haec practice applicando nostris tertiariis, de elemento vitae communis nil amplius dicendum est, sed non statim apparet vota esse solemnia aut approbationem a Sancta Sede concessam esse.

---

[103] Franciscaansch Leven, 22 (1939), 77/79, 153/157, 217/221.

[104] Institutiones juris publici et privati ecclesiastici, Busco-duci, 1857, t. II, p. 63.

[105] Franciscaansch Leven, 23 (1904), 11.

[106] Fuse de hac re varii auctores, ex. gr. Bouix, de Jure Regularium, t. I, p. 56.

b) de solemnitate votorum.

Quod ad vota attinet, jam supra vidimus ea non ab omnibus emissa esse; nunc pro iis ulterior urget quaestio de solemnitate. Plures auctores affirmant vota, ubi emitterentur, fuisse solemnia et assertum probant variis declarationibus Summorum Pontificum [107].

Haec proponuntur documenta:

1) Joannes XXIII, « Persona vacante », 25 aug. 1413: ibi utique sermo est de tribus votis, sed de solemnitate e solo textu nil deduci posse videtur. Praeterea data est solis tertiariis flandrensibus (Wadding, t. IQ, p. 653) [108].

2) Joannes XXIII, « Pastoralis officii », 31 mart. 1414: ubi declaratur votum castitatis esse solemne, sed nihil dicitur de aliis duobus votis, quae ne commemorantur quidem. Bulla datur tertiariis in civitate et dioecesi Trajectensi (de Gubernatis, num. 143).

3) Martinus V, « Humilibus supplicum votis », 25 april 1427: ibi agitur de solemni voto obedientiae et castitatis sed bulla datur sororibus alicuius domus dioecesis Coloniensis (Wadding, t. X, p. 493).

4) Eugenius IV, « Dum reductae mentis », 27 dec. 1440: sermo est de tribus votis solemnibus, sed facultas ea

---

[107] Bordoni, Cronologium, cap. 8.

Bordoni, Archivum bullarum, privilegiorum instrumentorum et decretorum fratrum et sororum tertii ordinis S. Francisci, Parmae, 1658.

de Gubernatis, Orbis Seraphicus, t. II, lib. 12, cap. 3.

Hilarius Parisiensis, Liber tertii ordinis, p. 104.

Franciscaansch Leven, 4 (1921), 8.

Lexicon f. Theol. u. Kirche, t. X, kol. 4, « Terziaren ».

[108] Judicio J. Creusen (Periodica, 31 (1942), 225) sorores « gri- Apud Lemaître (Archivum Franciscanum Historicum, 4 (1911) 722) sae » non observabant clausuram earumque vota erant simplicia. ad quem lectorem remittit invenitur professionis formulas, quae de « simplicitate » votorum nil dicit. Alibi (Revue d'histoire franciscaine, 1 (1924), 184) asserit Lemaître sorores griseas domus S. Margaritae loci S. Omer pronuntiasse vota *solemnia* anno 1388.

emittendi conceditur sororibus alicuius domus in dioecesi Morinensi (Bordoni, Archivum, p. 166).

5) Eugenius IV, « Annuere solet », 26 maii 1445 : tria vota jam antea « solemniter » emissa sed sine interventu S. Sedis, nunc ratificantur et in futurum conceduntur. Valet pro sororibus domus Gandavensis, dioecesis Tornacensis (Wadding, t. XI, p. 556).

6) Nicolaus V, « Gratiosa benignitas », 19 aug. 1447 : agitur de tribus votis substantialibus, quae fratres in certis domibus in civitate et dioecesi Leodinensi emittere consueverunt. Suntne vota solemnia? (Bordoni, Archivum, p. 224).

Nicolaus V, « Apostolicae Sedis» , 23 april. 1450; exsecutoribus mandatur « ut fratres civitatis et dioecesis « Leodinensis approbent tamquam ordinem cum tribus vo- « tis substantialibus » (Bordoni, Archivum, p. 226).

8) Pius II concedit anno 1459 sororibus civitatis Lucae in Etruriae, ut nuncupent vota solemnia (Wadding, t. XIII, p. 167).

9) Paulus II, « Devotionis », 12 sept. 1465 : sorores hospitalis S. Andomari, Morinensis dioecesis, recipiunt privilegium tria vota substantialia emittendi (Wadding, t. XIII, 638).

10) Sixtus IV, anno 1471, concedit sororibus in Besselich, dioecesis Trajectensis, vota solemnia (Wadding, t. XIII, p. 548).

11) Sixtus IV, anno 1474, sororibus domorum in Egra et Zellis ac Halis, Ratisbonensis ac Magdeburgensis dioecesium, indulsit ut... vota solemnia possint emittere (Wadding, t. XIV, p. 58).

12) Sixtus IV, « Ad Christi Vicarii », 1 dec. 1480 : contra plures de votorum solemnitate dubitantes, declarat vota tertiariorum Italorum lombardicae congregationis in professione emissa et emittenda esse solemnia eosdemque et singulos producere effectus quos ceteris in reli-

gionibus approbatis votum solemne producat (Wadding, t. XIV, p. 195).

13) Innocentius VIII, « Apostolicae Sedis », 12 oct. 1437 : conceditur sororibus in Vallesoleto Palentinae dioecesis facultas emittendi tria vota perpetua (Wadding, t. XIV, p. 705).

14) Innocentius VIII, « Dudum », 22 jan. 1487 : declarat sorores tertii ordinis tria vota essentialia emittentes, non comprehendi sub beguinis damnatis et proscriptis (Wadding, t. XIV, p. 508).

15) Alexander VI, « Ad ea quae », 1 junii 1499 (van Heel, p. 309) : pro tertiariis Coloniensis et Trajectensis dioecesium statuitur tria vota essentialia emittenda esse « expresse » (de Kok, Bijdragen, p. 171; Wadding, t. XV, p. 201).

Quid *concludendum* est ex istis documentis? Opinamur ea non probare asserta auctorum sequentis tenoris :

1) « Vota in genere recognita sunt tanquam solem-« nia a Joanne XXIII in 1413, a Martino V in 1429 (???), « a Sixto IV in 1471 » [109].

2) « Vota tertiariarum flandrensium a Joanne « XXIII concessa, ab ipso Pontifice eiusque successoribus « declarata sunt solemnia » [110].

Haec tamen videntur deducenda :

1) Verissimum est quod scripsit Hilarius Parisiensis [111] : « Tria vota substantialia obedientiam, paupertatem et castitatem, perpetua, ipsamque talium votorum solemnitatem sororibus tertiariis frequenter, in saeculo praesertim decimo quinto, Romani Pontifices concesserunt ». Hoc bene notandum est : pluries et frequenter singulis domibus, immo et singulis congregationibus seu omnibus domibus in una dioecesi exsistentibus, solemnium votorum

---

109 Franciscaansch Leven, 4 (1921), 8.

110 v. d. Borne, Lexicon f. Theol. u. Kirche, t. X, kol. 4.

111 Leber tertii ordinis, p. 104.

emissio conceditur et haec est ratio propter quam dici nequeat vota tertiariarum *in genere* esse solemnia. E solo facto votorum non statim ad eorum solemnitatem possumus concludere, quia deest aliqua communis concessio vel declaratio, e qua constaret trium votorum professionem in tertio ordine eo ipso esse professionem solemnem.

2) A Sixto IV declaratum est, ut videtur, vota a tertiariis quibuscumque emanatis, esse solemnia. Communiter auctores constitutionem « Ad Christi Vicarii », 1 dec. 1480 (cfr. documentum sub num. 12) in hoc sensu intelligunt, non obstante destinatione ad tertiarios italos lombardicae congregationis [112]. De hac communi interpretatione valde dubitamus, sed quidquid est, certissime non statim omnia vota facta sunt solemnia, quasi ab anno 1480 non amplius adessent tertiariae professae nisi solemniter. Historice constat semper remansisse tertiarias non solemniter professas, et tamen trium votorum. Nolumus affirmare hoc factum jam probari ex eo quod vota non vocentur solemnia sed tantum substantialia [113] sed ab omnibus auctoribus afferuntur exempla tertiariarum cum votis simplicibus [114] de quibus etiam Pius V loquitur in sua constitutione.

c) de approbatione pontificia.

---

[112] Confirmationem inveniunt in constitutione Leonis X « Ea quae », 31 aug. 1517 (Wadding, Annales Minorum, t. XVI, p. 563) qua statuta Sixti IV expresse confirmantur. Iterum declaratur vota a sororibus tertii ordinis S. Francisci collegialiter viventibus emissa, vim et validitatem habere voti solemnis. Addunt brevem apostolicam « Decet », 27 martii 1526 Clementis VII (Wadding, Annales Minorum, t. XVI, p. 680), quae dicta Leonis expresse repetit et rata habet.

[113] Potius credimus vota substantialia, a S. S. Pontificibus auctoritative concessa, fuisse solemnia. Hac de quaestione Bouix, de Jure Regularium, t. I, p. 232.

[114] Ab Holzapfel (Handbuch. p. 684) de sororibus Misericordiae dicitur eas numquam habuisse vota, solemnia sed tantum simplicia, si essent votis ligatae.

Huius facti (i. e. quod non statim omnia vota facta sint solemnia) ratio, ni fallimur, invenienda est in deficiente approbatione pontificia, quae praeter vitam communem et solemnitatem votorum requiritur ad statum religiosum in senso stricto constituendum.

Toto saeculo decimo quinto non habetur aliqua approbatio *totius* tertii ordinis S. Francisci qua talis, quam cognoscimus et pro primo ordine et pro tertio ordine saecularium personarum. Pontificiae approbationes quae dantur, valent pro singulis domibus vel etiam et ad summum pro variis congregationibus, sed ne tunc quidem semper approbantur tanquam regulares vel stricte religiosae. Atqui : secundum communem auctorum opinionem requiritur haec formalis approbatio [115] ut aliquis ordo sit vere et proprie dicta religio et ut, quod idem est, vota sint solemnia. Secundum antiquam disciplinam vota enim solemnizantur per professionem religiosam (cap. unic., III, 15 in VI) Ergo : tria vota ab aliqua tertiaria, in congregatione vivente emissa, forsitan sub auctoritate et cum approbatione Episcopi (quae non sufficit) [116] non sunt solemnia nisi accedente approbatione pontificia ,vel domui in qua vivit concessa, vel data congregationi ad quam ipsa eius domus pertinet. Deficit enim approbatio omnibus tertiariis in genere applicata.

Argumentum non esse mere theoreticum, a priori et in abstracto confectum, probari lubet allegando brevem Eugenii IV. « Annuere solet » ,27 maii 1445 [117]. Sorores tertii ordinis S. Francisci, in quadam domo apud paroecialem ecclesiam S. Joannis gandavensis, insimul commo-

---

115 Piat, Praelectiones juris regularis, Parisiis, 1896/1898, t. I, pars 1, cap. 1, qn. 5, par. 4, qr. 4.

Appeltern, Compendium praelectionum juris regularis, Tornaci, 1903, qn. 11.

116 Lezana, Summa quaestionum regularium, t. II, cap. 14, n. 6.

117 Wadding, Annales Minorum, t. XI, p. 556.

rantes, jam per plures annos vota solemniter emittere iuraverant. « Pro eo tamen quod in praedictis Sedis Apostolicae auctoritas non intervenerit ipsae sorores se super his inquietari et molestari posse dubitent tempore succedente ». Propterea nunc a S. Sede et praeteritorum sanatio, si opus fuerit, et pro tempore futuro licentia impretantur, quae benigne a S. Pontifice largiuntur. His probatur solemnitatem votorum pendere a Sedis Apostolicae approbatione, nondum tertiariis qua talibus concessa.

Adsunt quidem tertiariae cum tribus votis solemnibus, proinde vere et stricte dictae personae religiosae. Ad hanc classem videtur pertinere ex gr. congregatio lombardica qua talis (argumentum e constitutione Sixti IV, « Ad Christi Vicarii »). De capitulo trajectensi certa documenta nobis videntur adhuc deficere. Ex aliquo manuscripto publicavit van Heel [118] id quod sequitur: « In brevi apostolico Innocentii VIII, quod incipit « Dilectorum suorum fratrum et sororum » conceditur fratres et sorores tertii ordinis S. Francisci praesentes et futuros posse in manibus suorum superiorum tria vota substantialia promittere et ad illa se obligare ». Documentum hoc modo nobis asservatum debile tantum praebere valet argumentum. Majori cum certitudine argumentari posset e jam citata bulla Alexandri VI, « Ad ea quae » in qua saltem implicita approbatio videtur adesse; data est anno 1499 [119].

---

[118] van Heel, Archief, p. 308.

[119] Non omnia nobis placent argumenta ab auctoribus allata. Nonnulli dicunt: quia tertiariae non erant religiosae cum tribus votis solemnibus, facile ad eas transire valebant sorores vitae communis a Gerardo Groote fundatae et certissime votis non ligatae (van de Borne, Studia Catholica, 18 (1942), 208; Lambermond, Studiën, 135 (1941, 1) 191). Sed; eodem facili modo praedictae sorores transibant ad congregationem Windesheimensem, i. e. ad vitam stricte regularem.

Quia dicunt alii, tertiariae non erant religiosae cum tribus votis solemnibus, facile ipsae, sua vice, transire valebant ad regu-

Admittimus proinde opinionem communem, secundum quam tertiariae capituli trajectensis qua talis, usque ad finem saeculi decimi quinti, non fuerunt religiosae in sensu stricto.

Diximus in deficiente approbatione pontificia alicuius regulae omnibus tertiariis in universo orbe degentibus communis, inveniendam esse ultimam rationem propter quam non omnes tertiariae quamvis votis gaudentes, dici possint religiosae in sensu stricto. Haec tamen approbatio data est per celebrem constitutionem Leonis X « Inter cetera », 20 jan. 1521,[120] datam « dilectis filiis, fra« tribus et sororibus tertii ordinis S. Francisci sub tribus « votis essentialibus in congregatione viventibus ». Dicit S. Pontifex regulam tertii ordinis quam beatus Franciscus pro hominibus conjugatis mundique incolis ediderat, quam Nicolaus IV confirmaverat et approbaverat, non esse sufficienter aptam vitae quasi religiosae, quam permulti hanc regulam sequentes ducebant. Ideo tota regula de novo ordinatur, aptatur vitae religiosae, conficitur novae, exclusive tertiariis religiosis i. e. sub tribus votis in

---

lam S. Augustini (de Kok, Franciscaansch Leven, 22 (1939), 156), sed sciendum est transitum ad aliam strictiorem religionem illis temporibus facilius quam sub jure vigente ab ipsis regularibus peragi potuisse. (Historica de transitu ad aliam religionem apud Goyeneche, Commentarium pro Religiosis, 1 (1920) 222/226 et auctores ibi citatos). Nec transitus ad regulam S. Augustini pro istis sororibus coincidebat cum mutatione constitutionum, quae nostris diebus fieret, si una religiosa ad aliam transiret, eius regulam, constitutiones et statuta admittens. Tertiariarum transitus ad regulam S. Augustini non necessarie supponit eas religiosas fieri: sorores zenodochii Buscoducensis (in dioecesi eiusdem nominis) describantur adhuc anno 1539 ut in communi sub regula beati Augustini viventes, sed vota non emittentes (Analecta Gysberti Coeverinex, pars II, p. 10, nota 2) Proinde non erant religiosae in sensu proprio, non obstante beati Augustini regula acceptata.

120 textus ex. gr. in « Seraphicae legislationis textus originales, ad Claras Aquas, 1897, p. 287/297.

congregatione viventibus destinata, quibus a S. Pontifice transmittitur servanda.

En quae continentur in capitulo decimo, quod est ultimum:

« De obligatione contentorum in regula.

« Omnia et singula in praesenti regula contenta, sunt « consilia ad facilius salvandas animas viatorum et nulla « sunt obligatoria ad peccatum, mortale et veniale, nisi « humano vel divino jure aliquis alias esset obligatus. Obli- « gantur tamen fratres et sorores facere poenitentias sibi « a superioribus impositas, quando super hoc requirun- « tur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia: pauper- « tatem nihil habendo in speciali, castitatem quia post vo- « tum non possunt matrimonium contrahere, nec sine « transgressione vitiis carnis se immiscere, et obedientiam, « quantum ad illa sine quibus non potest commode ista « fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clausuram « servandam illae quae ipsam expresse servare voluerint. « Quod omnibus et singulis conventibus concedimus, dum- « modo hospitalitas et charitas quam exercere solent apud « infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimen- « tum »[121].

Conclusio prima: ex his sequitur 1) clausura non stricte imponitur nisi eam libere servare volentibus, ad quod faciendum omnibus datur facultas. Sic ipsissima verba et omnes auctores[122]. Omnino notanda est ratio, a S. Pontifice allegata. propter quam non omnibus clausura imponitur, nempe obligationes hospitalitatis et charitatis er-

---

[121] Eadem breviter in capite secundo: « In professione promittit se servaturam mandata Dei ac satisfacturam de transgressionibus quas facere posset in futurum contra hanc tertiam regulam, ubi a Praelatis requisita fuerit, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ».

[122] Contra unicum de Kok, qui bis affirmat Leonem X clausuram omnibus praecepisse: Bijdragen, p. 92, 93.

ga infirmos, quos solent sorores curare. Hoc notandum volumus, quia postea contra S. Pium V clausuram imponentem, hae ipsae obligationes allegantur, ut sorores se excurasent a piano praescripto.

Conclusio secunda: Sequitur 2) Omnibus tertiariis, qui vitam communem ducunt, tertiam regulam S. Francisci observantes, tria vota imponuntur nuncupanda, quae sunt *solemnia*. Hoc docent omnes [123]. In textu vota dicuntur essentialia sed de solemnitate dubitari nequit. Quoad votum castitatis solemnitas implicite asseritur, quia « post votum (professi) non possunt matrimonium contrahere », quod per se indicat invaliditatem actus. Certum argumentum, quo indubitanter solemnitas probatur, invenitur in pontificia approbatione regulae, quae universalis omnibusque communis est, quae formaliter qua « religiosa » est intenta, quae, continens tria vota, non potest ea non solemnizare, utpote in ordine approbato emissa. Ideo omnes hanc novam regulam acceptantes et observantes, sunt religiosae in sensu stricto; sunt vere « regulares ».

Status juridicus nunc clare est definitus et circumscriptus. Quamquam jam antea adfuerunt tertiariae stricte regulares, admittimus nunc a Leone X tertium ordinem regularem esse fundatum [124]. Hoc contra Bordoni [125], cuius sententiam et alii defendunt:

---

123 Dissentit J. Creusen, (Revue des Communautés religieuses, 16 (1940), 57) quia sermo est de votis « essentialibus » et quia de voto castitatis dicitur quod non dirimit sed impedit matrimonium. At: vota « essentialia » non opponuntur votis solemnibus et, non possunt matrimonium contrahere » (cfr. textum) per se valet de incapacitate et non de illiceitate tantum; in textu certissime non dicitur votum solummodo impedire et non invalidare matrimonium. Remanet argumentum e non-imposita clausura: non audemus tamen e deficientia clausurae peremptorie ad vota simplicia concludere: nonne e textu constitutionis « Circa Pastoralis » jam apparet adfuisse tertiarias cum votis solemnibus sed sine clausura?

124 Gerlach, Franciscaansch Leven, 23 (1940), 19.

125 Bordoni, Cronologium, cap. 8, n. 19.

In Annuario Pontificio [126] ponitur pro anno fundationis tertii ordinis regularis annus 1307 [127].

Luconi [128] « salvo meliori judicio » ordinem elevatum esse ad statum regularem anno 1397, quo anno Bonifatius IX vota solemnia concessit B. Angelinae de Marsciano eiusque sociis. Valorem argumenti quod affert, quia est juridicum, perpendere volumus.

Eo ipso respondere possumus ad difficultatem e supra dictis facile orienti, nempe: « Num confirmatio et approbatio votorum facta pro fratribus (sororibus) unius nationis se extendit ad totum ordinem? ». Hisce verbis quaestionem sibi ponit Bordoni, quem allegat Luconi. Bordoni probare intendit totum ordinem regularem confirmatum esse religionem per bullam Bonifatii VIII, anno 1401 tertiariis capituli trajectensis datam, votum solemne castitatis eis concedentem. Nolumus insistere in eo quod per unicum votum solemne castitatis tertium ordinem numquam potest ad verae religionis dignitatem elevari. Hoc dato non concesso, remanet juridica quaestio, de qua supra. Contra nonnullos affirmative respondet Bordoni, dicens: una est religio tertii ordinis, licet multiplices sint nationes quae hujus religionis regulam profitentur. Approbatio, dicit, non conceditur ex. gr. Fratribus in Hollandia exsistentibus praecise quatenus pertinent ad talem vel talem regionem vel nationem, sed formaliter quia et quatenus sunt tertiarii; ergo ordo ipse, quia unus est, confirmatur religio.

Salva tanti auctoris auctoritate hoc argumentum non possumus admittere. Verum est tertiarios ex. gr. in Hollandia non approbari formaliter quatenus sunt in Hollandia, sed quatenus sunt tertiarii, sed tandem appro-

---

[126] Annuario Pontificio, 1922, p. 443.

[127] Commentarium pro Religiosis, 2 (1921), 381, nota 4; cfr. hac de re supra.

[128] Luconi, Il Terzo Ordine Regolare, p. 105.

bantur tertiarii *qui* sunt in Hollandia. Bene attendamus oportet: regula non continet vota-nulla exsistit unitas inter varios tertiarios, qui singuli ad congregationes plane independentes pertinent. Non est ac si approbaretur regula « primi » ordinis Fratrum Minorum: hanc omnes sequuntur et eam profitentes unum corpus efformant sociale. Immo, si non omnes eandem regulam profitentes unum corpus efforment (e. gr. pro regulam S. Benedicti sequentibus) tunc approbatio regulae non valet pro illis omnibus, nisi quoad ea, quae in ipsa regula continentur. Atqui: ante Leonem X regula tertii ordinis quam omnes observabant, non continebat tria vota; ubi vota cum approbatione S. Sedis emittebantur, hoc fiebat non vi « regulae » sed vi specialis obligationis superadditae, vi propriorum statutorum: ideoque, sicut obligatio, ita et approbatio non valebat nisi pro iis qui se illis statutis subjacebant.

In quodam tamen sensu possumus cum variis auctoribus admittere tertium regularem ordinem ante Leonem X fundatum esse, quatenus nempe fundamenta posita sunt e quibus postea ordo exsurrexit; sic, non contra nos, Breviarium Romanum honorat B. Angelinam, quae « prima in Italia religionis sororum tertii ordinis S. Francisci de Poenitentia in claustro degentium *fundamenta* jecit ... ».

Conclusio tertia: sequitur 3) Regula leonina proponitur, non imponitur [129]: « servanda transmittitur » scripsit Papa et non « servanda imponitur » [130]. Necessariam inter varias tertiarias unitatem optatamque reformationem voluit obtinere, animis bonae voluntatis consilia propo-

---

129 Luconi, Il Terzo Ordine Regolare, p. 141 loquitur de « benevola indulgenza di Papa Leone, cui si deve la salvezza dell'Ordine ».

130 contra d'Anversa (Il Terzo Ordine secolare, p. 85) dicentem: « Leone X impose a tutti i Terziari regolari una medesima Regola ».

nens et non eis leges imponens, sed finem propositum hoc modo attingere nequivit [131]. Praecipua deficientiae ratio non erat votorum nuncupatio, omnibus hanc regulam acceptantibus obligatorie imposita. De facto enim jam permulti tria vota nuncupare consueverunt.

Causa praesertim erat subjectio Fratribus Minoribus, in capite quinto et octavo dictae regulae ordinata. Dicitur enim in quinto capite: « Qui Ministri vel Ministrae (i. e. « Superiores vel Superiorissae locales) obedient per om- « nia quae ad praesentem regulam spectant Provinciali- « bus Ministris Ordinis Minorum beati Francisci et Visi- « tatoribus deputatis ab ipsis Ministris ». Variae ergo congregationes viariaque capitula tertii ordinis in variis regionibus exsistentia, hucusque plene independentia, perfecte sibi sufficientia et sui juris, nunc ponuntur sub obedientia Fratrum Minorum. Omnes hucusque supremam in sua congregatione auctoritatem exercentes, eam deponere debebant seseque submittere aliis personis alienae religionis nec a propriis confratribus electis. Spectata humana natura, nil mirum est perpaucos huic statuto se subjecisse sed fere omnes acriter suam independentiam defendisse. Praesertim in Italia et Hispania fortis oriebatur resistentia, quae victoriam reportavit, Paulo III Hispanis propriam tripartitam regulam concedente anno 1547 et congregationi lombardicae anno 1549. Quoad capitulum trajectense scimus unum tantum monasterium se auctoritati Fratrum Minorum subjecisse [132].

Optata proinde unitas non obtenta est nec quoad praescripta regulae nec speciatim quoad vota emittenda. Accuratissime ideo scripsit drs. Gerlach [133] tertiarios regulam leoninam *acceptantes* factos esse regulares; pro ceteris se nec Fratribus Minoribus nec proinde regulae sub-

---

[131] Franciscaansch Leven, 4 (1921) 278.

[132] van Heel, Archief, p. 77.

[133] Gerlach, Franciscaansch Leven, 23 (1940), 19.

jicientibus, status juridicus nullatenus mutatus est. Regula enim a Leone X composita non tantum non erat obligatoria, sed nec exclusiva seu abrogatoria, ita ut eam rejicientes adhuc juridice et valide et licite exstitissent.

Non cognoscimus rationes propter quas Leo X regulam tertiariis non obligatorie imposuit, sed melius apparet major severitas S. Pii V qui, praedecessorum suorum edoctus, tertii Ordinis reformationem cum necessarie adjuncta unificatione et Fratribus Minoribus subjectione, non precibus et consiliis, sed strictissimis praeceptis obtinere voluit. Tenacem resistentiam magnasque difficultates certissime praevidit, quas tamen numquam timuit: suo officio implendo propriam conscientiam exoneravit, subditis relinquendo, utrum obedire vellent Dei voluntati per Summum Pontificem manifestatae necne, sancte non ad suum commodum sed ad divinam gloriam attentus.

Conclusio totius capitis.

Eo statu res erat tempore S. Pii V cum initio pontificatus constitutionem « Circa Pastoralis » evulgavit.

In tertia paragrapho distinguuntur tertiariae in congregatione viventes, prout solemne votum emiserint necne.

De tertiariis non in congregatione viventibus i. e. de tertiariis saecularibus nil dicitur etsi forte votum castitatis nuncupaverunt, quod tamen non est nisi simplex [134].

Criterium distinctionis quoad ceteras est votum solemne, sed e solis verbis non sequitur omnes non solemniter professas, vota emississe simplicia. Historice tamen constat adfuisse tertiarias simpliciter professas, quas com-

---

134 Hoc expresse declaravit Leo X, « Nuper in Concilio Lateranensi », 1 mart. 1518 (Bullarium Romanum Taurinense, t. V, p. 689).

135 in commentario ad II II, q. 88, art. 7 (Opera omnia jussu Leonis XIII, Romae, 1897, t. IX, p. 255).

memorat Cajetanus [135] et Suarez [136] et Lezana [137], qui dicit: Tertiarii fuerunt et sunt in multiplici differentia. Aliqui enim sunt tertiarii in religione viventes et tria vota religionis essentialia emittentes sub Praelatorum obedientia. Alii erant et forsan modo sunt [138] tertiarii qui etsi tria vota essentialia faciebant aut fecerunt, sed non emiserunt illa sub aliqua religione seu regula a Sede Apostolica approbata, quorum aliqui in Congregatione vivunt seu vivebant, alii vero non in Congregatione aut Communitate sed in Eremitoriis aut separatim cum habitu tamen religioso ab aliquo regulari accepto vel quem ipsi propria auctoritate acceperunt. Loquendo de tertiariis primi generis illi sunt vere et proprie religiosi. Tertiarii autem secundi generis non sunt vere religiosi nec umquam tales fuerunt [139].

Hae notae historicae pro nostro fine sufficiunt ut sciamus de quibus personis sermo sit in tertia constitutionis « Circa Pastoralis » paragrapho, de tertiariis statuente.

---

136 de religione, pars sec., tract. 8, lib. 10, cap. 1, n. 23; Opera omnia (Vivès), t. XV, p. 871, n. 23.

137 Summa quaestionum regularium, t. II, cap. 14, n. 1, 2, 5. 6.

138. Propter haec verba nobis licet auctorem, quamvis scribentem post S. Pium V (usi sumus quarta editione eius libri, prima vice 1637 editi) allegare, ut testem pro statu rerum tempore S. Pii V. E contextu clare apparet eum cognovisse prohibitiones pianas (« alii erant ») et earum non observantiam (« et forsan modo sunt »).

139 Aequali modo eas subdistinguit Pellizzarius Manuale regularium, Lugduni, 1653, t. I, tract. 1, cap. 3, qn. 11.

NOTA : DE TERTIO ORDINE SANCTI DOMINICI [140].

Eodem fere modo ac pro fratiribus et sororibus de poenitentia S. Francisci descripsimus, se evolvit tertius ordo saecularis de poenitentia S. Dominici in ordinem regularem cum tribus votis solemnibus et stricta clausura. Regulam quam sequebantur composuit, anno 1285, Frater Muño de Zamora, sed formalis approbationis bullam regula non obtinuit nisi ab Innocentio VII, 26 junii 1405, quam Eugenius IV anno 1439 confirmavit [141].

P. Walz affirmat apud Dominicanos Medii Aevi de formatione quae esset tertius ordo regularis virorum sermonem esse non posse [142].

Nonnulli sororum coetus permanserunt, praesertim in Italia ubi Mantellatae vel Pinzocherae vocabantur. Magna inter eas exsistebat varietas, testante Joanne XXII : « Aliae enim votis erant obstrictae, aliae sola professione, aliae collegialiter viventes ». In saeculo decimo tertio vita adhuc privata erat, sed paulatim introducta est (praesertim in Germania) vita communis, quacum evolutio in vitam religiosam solet incipere (confer quae de tertiariis franciscanis diximus). Dum vita communi introducta, intime connectuntur vota, quae adhuc in saeculo decimo quinto et sexto non erant imposita [143]. Idem dicendum de

---

140 Masetti, Monumenta et antiquitates veteris disciplinae O. P., praesertim in Romana provincia, Romae, 1864.

Walz, Compendium historiae ordinis Praedicatorum, Romae, 1930, p. 538 sqn.

Stanton, de Societatibus, p. 9.

de Longny, A l'ombre des grands ordres, p. 104/105.

141 Ratio est impositio omnibus tertiariis regulae pro tertiariis franciscanis a Nicolao IV approbatae, quo facto practice fratres tertiarii S. Dominici exstincti sunt (Mortier, Historie des Maîtres Généraux, t. II, p. 282/292, speciatim p. 290).

142 Walz, Compendium, p. 542.

143 Masetti, Monumenta, t. II, p. 91.

clausura : sic in capitulo generali Ordinis Praedicatorum, celebrato Ferrariae, anno 1498 : « hortantur sorores tertii ordinis collegiatim et communiter viventes ut pro moderatiori vita consequenda, assuescant vivere secundum constitutiones sororum dictarum clausarum, exceptis iis quae ad clausuram pertinent » [144].

« Prorsus nova epocha », scribit Walz, « pro sororibus tertiae regulae in communitate viventibus, saeculo decimo sexto oritur. Dabantur enim tot diversi tertiariarum coetus, ut restrictio multiformitatis desideraretur ».

Pro tertiariis dominicanis non multa facta historica cognoscimus : Walz commemorat constitutionum approbationem anno 1542 a Paulo III concessam monasterio Florentino S. Catharinae et similibus, qua vota solemnia concedebantur.

Apud Wils [145] sermo est de aliqua exhortatione Julii II (1503/1513) ut tria vota emitterent sed non apparet utrum agatur de votis solemnibus nec an exhortentur vel obligentur sorores (auffordren » scripsit auctor).

J. Creusen [146] refert bullas Julii II « Considerantes », 14 mart. 1509 et « Exponi nobis », 27 febr. 1510, concedentes Sororibus de Poenitentia B. Dominici collegialiter viventibus tria vota sed sine clausura : concludit vota non esse solemnia. Hoc tamen non sequitur e textibus ab eo citatis e Bullario Ordinis Praedicatorum [147] : ibidem dicitur sorores nunc obedientiam profitentes secundum regulam B. Augustini, propter hoc tamen non teneri ad clausuram « *magis* quam ex sua regula tertii habitus te-

---

144 Reichert, Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum historica, t. VIII, p. 424.

145 Wilms, Geschichte der deutschen Dominikanerinnen, 1206/1916, Dühmen, 1920, p. 206.

146 J. Creusen, Revue des Communautés religieuses. 16 (1940), 57.

147 Bullarium Ordinis Praedicatorum cura A. Bremond, Romae, 1732, t. IV, p. 262, 264.

nentur ». Ulterius inquirendum esset de obligatione ad clausuram e regula tertii ordinis, quia in textu tantum excluditur *nova* obligatio. In regula pro tertio ordine saeculari approbata ab Innocentio VII et Eugenio IV nihil, ut patet, invenitur de observanda clausura [148] sed pro collegialiter viventibus haec regula aucta est, utpote insufficiens pro vita in communi agenda: utrum ibidem de clausura sit necne, nescimus.

Satis apparet evolutionem tertii ordinis S. Dominici quoad essentialia coincidere cum iis quae tertius ordo S. Francisci percucurrerit, ita ut tempore S. Pii V status rerum pro utroque fere nihil differret..

Nicolaus Onstenk, M. C. I.

---

[148] Regula B. Augustini Episcopi et Constitutiones Patrum et Sororum Ordinis Praedicatorum cum declarationibus ex actis Capitulorum Generalium etc. et regula fratrum et sororum de Poenitentia b. Dominici, Parisiis (1625).

MONUMENTA

27 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(AAS. XXXXII [2 Oct. 1950] p. 657)

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD CLERUM UNIVERSUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTE: DE SACERDOTALIS VITAE SANCTITATE PROMOVENDA.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

(Introductio)

Perspectis vocibus Christi Domini et Principis Apostolorum

Menti Nostrae vox resonat Divini Redemptoris Petro dicentis: « Simon Ioannis, diligis me plus his? ... pasce agnos meos, pasce oves meas »;[1] itemque illa, qua idem Apostolorum Princeps Episcopos ac sacerdotes aetatis suae hisce verbis adhortabatur: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, ... forma facti gregis ex animo »[2].

praecipuum apparet supremi ministerii officium efficaciorem cotidie facere sacerdotum operam ad populum christianum sanctificandum.

Quae verba attento animo considerantes, praecipuas esse supremi ministerii Nostri partes putamus id efficere pro viribus, ut sacrorum Pastorum ac sacerdotum opera, quae christianum populum ad vitanda mala, ad superanda discrimina et ad sanctimoniam assequendam conducat

---

1 Cf. IOANN., XXI, 15 et 17.
2 *I Petr.*, V, 2 et 3.

oportet, efficacior cotidie fiat; quod quidem nostris praesertim temporibus necessarium est, dum adhuc gentes ac populi ob recens, immane bellum non modo gravibus difficultatibus vexantur, sed animorum etiam perturbatione acerrime afficiuntur; et dum catholici nominis hostes ob rerum adiuncta, in quibus civilis societas versatur, audaciores facti, homines a Deo et a Iesu Christo arcere exitiali odio obtectisque insidiis enituntur.

Sacerdotum operositas potest necessariam christianam instaurationem efficere

Christianae instaurationis necessitas, quam hodie boni omnes cernunt, Nos iubet mentem voluntatemque Nostram ad totius orbis sacerdotes potissimum convertere, quandoquidem novimus humilem, vigilem studiosamque eorum operositatem, qui, in media plebe cum vivant, eius aegritudines, poenas ac corporis animique angustias perspectas habent, posse evangelicis praeceptis omnium renovare mores, ac Iesu Christi « Regnum iustitiae, amoris et pacis » [3] firmissime in terris constabilire.

Si Sacerdotes, populo insigni sanctitate praeluceant.

Verumtamen haud possibile est sacerdotale munus plenos nancisci effectus, qui aetatis huius nostrae necessitatibus omnino respondeant, nisi sacerdotes circumstanti populo insignis sanctitatis fulgore praeluceant; sintque digni « ministri Christi », fideles « dispensatores mysteriorum Dei » [4], efficaces « Dei adiutores » [5] ad omnes opus bonum instructi [6].

Summus Pontifex clericos omnes ad sanctitudinem assequendam grato, paterno animo exortabitur.

Iamvero nullo Nos posse aptiore modo putamus universo clero gratam profiteri voluntatem Nostram — qui quidem quinquagesimo exeunte sacerdotii Nostri anno, per admotas ad Deum preces suam erga Nos pietatem testatus est — quam si clericos omnes ad illam assequendam sanctitudinem paterno adhortemur animo, sine qua concreditum eisdem ministerium frugiferum esse non potest. Annus Sacer, quem ea spe indiximus, ut omnium mores

---

3 Praef. Miss. in festo Iesu Christi Regis.

4 Cf. *I Cor.*, IV, 1.

5 Cf. *I Cor.*, III, 9.

6 Cf. *II Tim.*, III, 17.

evangelicis praeceptis redintegrarentur, hoc imprimis afferat optamus, ut nempe, qui christiani populi sunt duces, ad virtutis verticem alacriore gradu contendant, atque ita animati, ita instructi, sibi creditum gregem Iesu Christi spiritu renovent.

Ad quam ex ipsa accepti muneris natura tenentur.

Quodsi adauctae hodie christianae societatis necessitates internae perfectionis formam magis magisque a sacerdotibus postulant, animadvertentum tamen est eos, ex ipsius altissimi muneris natura divinitus accepti, sanctitatis officio teneri semper, ubique totisque viribus assequendae.

Sacerdotium magnum donum Divini Redemptoris ad redemptionem in terris perpetuandam.

Quemadmodum Decessores Nostri peculiarique modo Pius X [7] et Pius XI [8] docuere, ac Nosmet ipsi in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis* [9] et *Mediator Dei* [10] attingimus, sacerdotium utique magnum est donum Divini Redemptoris; qui quidem ut humani generis redemptionis opera, quam ipse e Cruce pendens consummavit, ad saeculorum usque occasum perpetuaretur, potestatem suam Ecclesiae commisit, quam unici aeternique sacerdotii sui participem esse voluit. Sacerdos veluti « alter Christus » est, cum indelebili sit character insignitus, quo viva Servatoris nostri quasi imago efficitur; sacerdos Iesu Christi partes agit, qui dixit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos »; [11] « qui vos audit, me audit [12]. Caelesti quodam instinctu eiusmodi ministerio augustissimo initiatus, « pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » [13]. Ad eum igitur accedat oportet quisquis Divini Remeptoris vitam vivere, at-

Quisquis Christi vitam vivere cupit ad Sacerdotem accedere debet.

---

[7] Exhortatio *Haerent animo; Acta Pii X*, vol. IV, p. 237 sq.

[8] Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii*, *A. A. S.*, XXVIII, 1936, p. 5 sq.

[9] *A. A. S.*, XXXV, 1943, p. 193 sq.

[10] *A. A. S.*, XXXIX, 1947, p. 521 sq.

[11] Ioann., XX, 21.

[12] Luc., X, 16.

[13] *Hebr.*, V, 1.

que vim, solacium animique alimentum accipere cupit; itemque ab eo opportuna remedia quaerat, quisquis a collapsis moribus ad frugem bonam reverti nititur. Itaque sacri omnes administri iure meritoque Apostoli gentium sententiam sibi tribuere queunt: « Dei ... sumus adiutores » [14].

Sacerdos veluti «alter Christus», iure «Dei adiutor».

Excelsa haec dignitas a sacerdotibus postulat ut gravissimo officio suo fidelitate summa respondeant. Cum divinae in terris provehendae gloriae ac mystico fovendo augendoque Christi Corporis inservire debeant, oportet omnino ita sanctitudinis fulgore praestent, ut per eos « Christi bonus odor » [15] usquequaque propagetur.

Haec dignitas postulat ut Sacerdotes ita sanctitate fulgeant ut per eos «Christi bonus odor» ubique, semperque propagetur.

Eo ipso die, quo vos, dilecti filii, ad sacerdotale fuistis evecti munus, Episcopus sollemniter Deique nomine praecipuum a vobis exsequendum officium hisce verbis indicavit: « Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis; quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei » [16]. A peccatis omnino immunis, vita vestra, magis quam ea, quam christiani e laicorum ordine ducunt, abscondita sit Christo in Deo; [17] atque ita eximia illa virtute exornati, quam vestra exigit dignitas, humanae redemptionis opus perficiendum pergite, ad quod quidem sacerdotalis consecratio vos destinavit.

Quod Episcopus ordinans eis solemniter indicavit;

quod humanae redemptionis opus ab eis perficiendum exigit;

Hoc propositum est, quod vos ultro libenterque exsequendum suscepistis; sancti estote, quia, ut nostis, sacrum est ministerium vestrum.

Sacerdotes sancti sint.

---

14 *I Cor.*, III, 9.

15 *II Cor.*, II, 15.

16 *Pontificale Rom.*, De ord. presbyt.

17 Cf. *Col.*, III, 3.

I

(*Sanctitas Vitae Sacerdotalis*)

Perfectio consistit in fervore caritatis

Ex Divini Magistri sententia [18] christianae vitae perfectio caritate erga Deum, erga proximos potissimum innititur, quae tamen flagrans, studiosa, operosa sit. Ea enim, si ita conformatur, omnes quodammodo amplectitur virtutes; [19] atque adeo iure meritoque « vinculum perfectionis » [20] dici potest. In quibusvis igitur rerum condicionibus versetur homo, opus est prorsus ut mentem suam suosque actus ad hoc propositum dirigat.

qui Sacerdotem addecet.

Ad id tamen peculiari officio adstringitur sacerdos. Quaevis enim eius sacerdotalis actio suapte natura — quatenus nempe sacrorum administer hac de causa divinitus vocatus est, ac divino munere divinoque charismate insignitus — ut ad hoc contendat necesse est; ipse enim Iesu Christo, unico aeternoque sacerdoti, sociam operam navare debet; eumque sequatur, imitetur oportet, qui, cum terrenam vitam ageret, nihil potius habuit, quam incensissimum suum erga Patrem amorem testaretur suique Cordis infinitos thesauros hominibus impertiret.

Is praecipue contendat ut cum Redemptore arctissime coniungatur.

Praecipuus, quo sacerdotis animus moveri debet, impulsus eo contendat, ut cum Divino Redemptore arctissime coniungatur, ut christianae doctrinae praecepta integerrime docilique voluntate amplectatur, utque eadem quovis suae vitae tempore tam impense ad effectum deducat, ut suae agendi rationi catholica fides praeluceat, eiusdemque fidei splendorem sua agendi ratio quodammodo reverberet.

Fide ductus Christus sibi

Huius virtutis fulgore ductus, continenter suos oculos ad Christum convertat; eius praescripta, actiones, exem-

---

[18] Cf. MATTH., XXII, 37, 38, 39.
[19] Cf. *I Cor.*, XIII, 4, 5, 6, 7.
[20] *Col.*, III, 14.

pla studiosissime sequatur; sibique omnino persuasum habeat non satis esse eis se officiis, quibus christifideles tenentur, obtemperare, sed oportere etiam citatiore cotidie gradu ad illam contendere, quam excelsa sacerdotalis dignitas postulat, vitae perfectionem, secundum illud: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere, eisque virtute et recte factis in exemplum excellere »[21].

Exemplar proponat vitae perfectionis.

Sacerdotalis vita, ut a Christo oritur, ita nullo non tempore ad eum omnino dirigatur necesse est. Christus autem Dei Verbum est, qui humanam naturam non est dedignatus assumere; qui hanc terrestrem vitam egit ut Aeterni Patris obtemperaret voluntati; qui se circum lilii suavitatem effudit; qui in paupertate vixit; « qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes »[22]; qui denique se hostiam pro fratrum salute obtulit. Habetis, dilecti filii, mirabilis huius vitae summam veluti ante oculos positam; eam in vos referre omni nisu studeatis, incitamenti illius memores: « Exemplum ... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis »[23].

Mirabilis Christi vitae compendium.

Christianae autem perfectionis initium ex humilitatis virtute oritur. « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde »[24]. Nos siquidem probe considerantes ad quam celsissimam dignitatem per Baptisma et sacrum Ordinem vocati fuimus, ac spiritualem nostram noscentes inopiam, divinam illam meditemur sententiam Iesu Christi asseverantis: « Sine me nihil potestis facere »[25].

Initium christianae perfectionis est humilitas

Sacerdos non suis viribus confidat, non suis dotibus immodice delectetur, non hominum aestimationem laudationesque captet, non amplioribus muneribus cupide inhiet, sed Christum imitetur, qui « non venit ministrari,

---

21 *C. I. C.*, can. 124.
22 *Act. Ap.*, X, 38.
23 Ioann., XIII, 15.
24 Matth., XI, 29.
25 Ioann., XV, 5.

sed ministrare »[26], ac semet ipsum ad Evangelii normam abneget[27], terrenisque rebus nimis ne adhaereat, ut facilius atque expeditius divinum sequatur Magistrum. Quidquid habet, quidquid est, ex Dei bonitate virtuteque defluit; si igitur gloriari velit, Apostoli gentium verba meminerit: « Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis »[28].

quae ducit ad voluntatis immolationem per oboedientiam

Illius humilitatis studium, quae fidei luce collustretur, hominem ad quamdam voluntatis immolationem per debitam oboedientiam compellit. Christus ipse in societate ab se condita legitimam constituit auctoritatem, quae suam in aevum perpetuaret; quamobrem qui Ecclesiae obtemperat moderatoribus, Divino ipsi Redemptori obtemperat.

quae Ecclesiae auctoritati

Aetate hac nostra cum auctoritatis fundamentum temerario ausu concutiatur, opus omnino est ut sacerdos, fidei praecepta firma retinens mente, hanc eamdem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac socialium rerum tutamentum, sed suae etiam ipsius procurandae sanctitatis principium

obtemperet omnino opus est veluti religiosarum socialiumque rerum tutamento et sacerdotalis adquirendae sanctimoniae principio.

Dum divini nominis osores nefaria quadam calliditate immodicas nonnullorum cupidines incitare ac pellicere idcirco enituntur, ut adversus Sanctae Matris Ecclesiae iussa eos erigant, debitis Nos cupimus exornare laudibus paternoque confirmare animo frequentissimum illorum sacrorum administrorum agmen, qui quidem, ut christianam suam oboedientiam luculenter profiterentur, utque integerrimam suam fidelitatem erga Christum ab eoque constitutam auctoritatem servarent incolumem, « digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati »[29] ac non solum contumelias, sed insectationes, sed carcerem atque etiam mortem.

---

[26] Matth., XX, 28.
[27] Cf. Matth., XVI, 24.
[28] *II Cor.*, XII, 5.
[29] *Acta Ap.*, V, 41.

In earum rerum ordine operatur sacerdos, quae ad supernam vitam pertinent, cum eiusdem supernae vitae incrementa provehat, eamque cum mystico Iesu Christi Corpore communicet. Quamobrem negotiis illis vale dicat oportet « quae sunt mundi », ut ea solummodo curet. « quae Domini sunt » [30]. Cum igitur a saeculi sollicitudinibus liber esse debeat, seseque totum divino servitio mancipare, caelibatus legem Ecclesia constituit, quo magis etiam magisque manifestum omnibus pateat eum esse Dei administrum animorumque patrem. Qua quidem caelibatus lege potius quam paterni muneris officium omnino amittat sacerdos, in immensum revera adauget, quandoquidem non terrenae huic ac caducae vitae subolem parit, sed caelesti perpetuoque mansurae.

Caelibatus lege sacri ministri negotiis vale dicunt « quae sunt mundi »; vitae caelestis et aeternae subolem procreant.

Quo splendidius autem sacerdotalis castimonia refulget, eo magis sacrorum administer fit una cum Christo « hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata » [31].

Quam quidem castimoniam ut integerrimam, quasi inaestimabilis pretii thesaurum, omni cura servemus, opportunum ac necessarium est illi Apostolorum Principis adhortationi religiose obsequi, quam cotidie in horariis precibus repetimus : « Sobrii estote, et vigilate [32].

Inestimabile thesaurum integerrimae castimoniae per vigilantiam et orationem, devitando familiaritatem, sese in omnibus exhibendo uti sacrum ministerium postulat, omni cura servandum.

Advigilate utique, dilecti filii, quandoquidem castitati vestrae tot pericula occurrunt, tum ob mores publice pessumdatos, tum ob vitiorum illecebras, quae vobis hodie tam facile insidiantur, tum denique ob nimiam illam necessitudinum libertatem, qua utriusque sexus cives utuntur, et quae interdum in sacri etiam ministerii exercitium irrepere audet. « Vigilate, et orate » [33], semper memores manus vestras res sanctissimas tangere; itemque memores vos esse consecratos Deo, eidemque debere unice servire. Vestis ipsa, quam geritis, quodammodo vos admonet

---

30 *I Cor.*, VII, 32, 33.

31 *Missale Rom.*, can.

32 *I Petr.*, V, 8.

33 Marc., XIV, 38.

ut non mundo, sed Deo vivatis. Omni igitur nisu omnique alacritate efficite, maternae confisi Deiparae Virginis tutelae, ut « nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » [34] cotidie sitis.

Operam suam Sacerdotes mulierum consociationibus, utpote sacri administri intra sacerdotalis ministerii limites, impertiant.

Quam ad rem opportunum ducimus peculiari modo vos adhortari ut in mulierum consociationibus ac sodaliciis moderandis tales vos exhibeatis, quales sacerdotes addecet; familiaritatem omnem devitate; ac quotiescumque opera vestra necessaria est, eam utpote sacri administri impertite. Atque in iisdem consociationibus dirigendis navitatem vestram iis contineatis limitibus, quos sacerdotale ministerium vestrum postulat.

Sacerdos a divitiis terrenisque rebus abalienus, ab oeconomicis inceptis abstinens, paupertatis amore ducatur,

Nec satis habeatis per castimoniam voluptatibus carnis renuntiare ac per oboedientiam moderatoribus vestris voluntatem sponte subicere, sed animum quoque a divitiis terrenisque rebus cotidie magis abalienatum gerite. Etiam atque etiam vos adhortamur, dilecti filii, ut res fluxas ac perituras huius mundi ne nimis diligatis; sanctissimos veteris nostraeque aetatis viros venerabundi in exemplum intuemini, qui quidem, debitam externorum bonorum abstinentiam summamque Providentis Numinis fiduciam cum flagrantissimo sacerdotali studio coniungentes, miranda prorsus opera patrarunt Deo unice confisi, qui necessaria numquam auxilia denegat. Sacrorum etiam administri, qui paupertatis officio ob peculiare nuncupatum votum non obligantur, huius paupertatis amore ducantur oportet; quem quidem amorem simplicis ac moderatae vitae ratio demonstret, habitatio non sumptuosa declaret, ac denique generosa erga egenos largitas confirmet. Potissimum vero se abstineant ab oeconomicis illis inceptis, quae eos a sacris obeundis muneribus abstrahant, debitamque sibi imminuere possint christifidelium aestimationem. Sacerdos siquidem, cum in animorum salutem procurandam omni ope incumbat necesse sit, illam

[34] *Pontificale Rom.*, In ordin. Diacon.

sibi Apostoli Pauli sententiam tribuere debet: « Non ... quaero quae vestra sunt, sed vos » [35].

Si heic opportunitas haberetur de virtutibus omnibus enucleate agendi, quibus sacerdos divinum Iesu Christi exemplar aptiore, quo potest, modo in se referat opus est, multa profecto, quae menti Nostrae occurrunt, pertractaremus; voluimus tamen ea solummodo peculiari modo menti vestrae inculcare, quae nostri hisce temporibus potiore ratione necessaria viderentur ad ceteras autem quod attinet, hanc satis esto aurei libelli de imitatione Christi recordari sententiam: « Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus; et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra » [36].

omnibusque virtutibus ornetur, oportet.

Nemo est qui ignoret, dilecti filii, singulis christianis peculiarique modo sacerdotibus possibile non esse miranda Divini Magistri exempla in cotidianae vitae usu imitari, nisi supernae gratiae auxilio fruantur, iisque utantur eisdem divinae gratiae instrumentis, quae ipsemet nobis dilargitus est. Idque eo magis evadit necessarium, quo excelsior perfectio est, quam nos attingere debemus, et quo graviores ex natura nostra, in malum prona, oriuntur difficultates. Qua quidem ratione ducti, opportunum putamus gradum facere ad alias, grandidatis ac solacii plenas, proponendas veritates, ex quibus vel luculentius patet quam elata esse debeat sacerdotalis sanctitas, et quam efficaces sint opes nobis a Iesu Christo datae, ut divinae misericordiae consilia ad effectum in nobis deducere possimus.

Nec singuli christiani, neque a fortiori Sacerdotes miranda Iesu Christi exempla sequi possunt nisi Dei gratia fruantur.

Quemadmodum omnis Servatoris nostri vita ad sui ipsius sacrificium ordinata fuit, ita pariter sacerdotis vi-

---

[35] *II Cor.*, XII, 14.

[36] *De imit. Christi*, IV, c. 5, v. 13, 14.

Christus in monte Calvariae et in Eucharistico Sacrificio se, ut Sacerdos et Victima et humani Generis Caput, Aeterno Patri pro sua gloria hominumque salute offert.

ta, qui Christi imaginem in se referre debet, cum eodem, in eodem per eumdemque gratum fiat sacrificium oportet.

Siquidem sacrificium, quod Divinus Redemptor e cruce pendens in Calvariae monte obtulit, non sui proprii corporis tantummodo immolatio fuit; ipse enim semet ipsum piacularem hostiam dedit utpote humani generis Caput; atque adeo « cum spiritum suum in manus Patris commendat, ut homo seipsum commendat Deo, ut omnes homines Deo commendet » [37].

Idem profecto in Eucharistico sacrificio contingit, quod incruenta est crucis sacrificii renovatio: Christus enim semet ipsum Aeterno Patri offert pro sua gloria nostraque salute; quandoquidem autem ipse, sacerdos et hostia, ut Ecclesiae Caput agit, non modo semet ipsum, sed christianos universos et quodam modo omnes etiam homines offert et immolat [38].

Sacerdotes qui praesertim Redemptoris ministri sunt ut Eucharisticum sacrificium peragant, cum eodem per eumdemque gratum fiant sacrificium oportet.

Iamvero si hoc pro christianis omnibus, maiore profecto titulo pro sacerdotibus valet, qui idcirco praesertim Divini Redemptoris ministri sunt, ut Eucharisticum sacrificium peragant. Quo quidem in Eucharistico sacrificio, dum personam Christi sustinentes, panem et vinum consecrant, quae Corpus et Sanguis Christi fiunt, inexhaustos ex ipso supernae vitae fonte haurire possunt salutis thesauros omniaque illa auxilia, quae sibi non modo necessaria sint, sed suo etiam ipsorum explendo muneri.

Ex quo thesauros gratiae haurient ad sanctitates verticem assequendum.

Sacrorum nempe administer, dum divinis hisce mysteriis arctissime coniungitur, facere non potest quin esuriat ac sitiat iustitiam [39], seseque vehementer incitatum sentiat ad illi, qua ornatur, tam excelsae dignitati vitam aequandam suam, ad eamdemque se devovendi studio conformandam, cum semet ipsum debeat una cum Christo quodammodo immolare. Quamobrem Eucharisticum sacrificium non modo celebret, sed etiam intima quadam ra-

---

37 S. Athaans., *De incarnatione*, n. 12: Migne, *P. G.*, XXVI, 1003 s.

38 Cf. S. Aug., *De civitate Dei*; l. X, c. 6: Migne, *P. L.*, XLI, 284.

39 Cf. Matth., V, 6.

tione vivat oportet; ita enim supernam vim illam haurire potest, qua fiat ut penitus transformetur, atque piacularem Divini ipsius Redemptoris vitam participet.

Ex Apostoli Pauli sententia, praecipuum christianae perfectionis principium hoc praecepto declaratur: « Induimini Dominum Iesum Christum »[40]. Hoc autem praeceptum, si ad christifideles omnes pertinet, at potiore quodam modo sacerdotes obstringit. Atqui Iesum Christum indui non modo significat ad eius doctrinam mentem dirigere suam, sed novam etiam vitam ingredi, quae quidem ut Thaboris splendoribus fulgeat, Redemptoris nostri debet imprimis, in Calvaria patientis, doloribus angoribusque conformari. Hoc profecto arduum adsiduumque laborem postulat, quo in animus noster quasi victima efficiatur, ut cum Christi sacrificio intima ratione communicet. Hic arduus adsiduusque labor non inani voluntate ducitur, non desideriis ac votis concluditur, sed studiosa esse debet indefessaque actio, quae ad frugiferam animi renovationem contendat; sed pietatis sit oportet exercitatio, qua omnia ad Dei gloriam referantur; paenitentiae sit exercitium, quod immoderatos animi motus temperet ac refrenet; caritatis sit navitas, quae nos erga Deum, erga proximos amore inflammet, nosque ad omnia provehenda misericordiae opera permoveat; sit denique actuosae voluntatis alacritas, qua enitendo eluctandoque perfectissima quaeque attingamus.

Iesum Christum indui quod praecipuum est perfectionis principium, Sacerdotes obstringit suas ad Christi doctrinam mentes dirigere et laborem postulat quo eorum animi quasi victima efficiantur ut cum sacrificio Christi intime communicent.

Necesse est igitur ut, quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat: quemadmodum nempe Iesus Christus semet ipsum immolat, ita eius administer una cum illo se immolare debet; quemadmodum Iesus expiat peccata hominum, ita sacerdos per excelsum christianae asceseos iter ad propriam perveniat necesse est proximorumque purificationem. Ita enim eum S. Petrus Chrysologus admonet: « Esto Dei sacrificium et sa-

Sacerdos Eucharisticum sacrificium vivat.

S. Petri Chrysologi admonitio.

---

[40] *Rom.*, XIII, 14.

cerdos: non amittas quod tibi divina dedit et concessit auctoritas. Induere sanctitatis stolam; praecingere balteum castitatis; sit in velamento capitis tui Christus; crux in frontis tui munimine perseveret; pectori tuo appone divinae scientiae sacramentum; in odorem thymiama semper orationis accende; arripe gladium Spiritus; altare cor tuum pone et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam... Offer fidem, ut perfidia sit punita; immola ieiunium, ut voracitas cesset; sacrifica castitatem, ut moriatur libido; impone pietatem, ut deponatur impietas; invita misericordiam, ut avaritia deleatur; et ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare: sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati iaculo fuerit sauciata »[41].

Quae praecedunt, proposita inveniuntur in Encycl. Litt. « Mediator Dei ».

Quae Nos christianis universis per Encyclicas Litteras *Mediator Dei* meditanda proposuimus, ea placet in praesens iisdem verbis peculiari modo sacerdotibus iterare: « Christus utique sacerdos est, sed nobis non sibi sacerdos, cum vota religionisque sensus totius humani generis nomine Aeterno Patri deferat; idem pariter victima est, sed nobis, cum semet ipsum in vicem hominis culpis obnoxii reponat. Iamvero illud Apostoli "hoc ... sentite in vobis, quod et in Christo Iesu" a christianis omnibus postulat, ut eo modo animum in se referant affectum, quantum humana potest facultas, quo Divini Redemptoris animus affectus erat, cum sui ipsius faciebat sacrificium; humilem nempe referant mentis demissionem, laudem, gratiarum actionem. Postulat praeterea ab iisdem ut victimae condicionem quodammodo sumant ut semet ipsos ad Evangelii praecepta abnegent, ut paenitentiae ultro libenterque dent operam, utque admissa quisque sua detestentur et expient. Postulat denique ut omnes una cum Christo mysticam in Cruce mortem obeamus, ita quidem

---

[41] *Sermo CVIII*: MIGNE, *P. L.*, LII, 500, 501.

ut Pauli sententiam usurpare possimus: " Christo confixus sum Cruci " »[42].

Sacerdotes ac filii dilectissimi, magnum nos habemus in nostris manibus thesaurum ac pretiosissimam margaritam, hoc est inexaustas Iesu Christi Sanguinis divitias; iisdem quam largissime utamur, ita quidem ut, per plenum nostri sacrificium Aeterno Patri una cum Christo oblatum, veraces efficiamur iustitiae conciliatores « in iis, quae sunt ad Deum »[43], ac mereri possimus, ut preces nostrae benigne excipiantur, ac superfluentem gratiarum imbrem impetrent, quae Ecclesiam omnesque animos rerecreent atque fecundent. Tum solummodo, cum nempe veluti unum erimus cum Christo per suam nostramque immolationem, vocemque nostram cum caelestis Hierosolymae habitatorum choro conseremus secundum illud « illi canentes iungimur almae Sionis aemulis »[44], tum solummodo, Servatoris nostri virtute corroborati, e sanctitatis vertice, quem assecuti fuerimus, tute poterimus ac secure cunctis hominibus impertire per sacerdotale ministerium nostrum supernam Dei lucem supernamque vitam.

Sacerdotes in suis manibus inexhaustas Iesu Christi Sanguinis divitias habent; iisdem per plenum sui sacrificium quam largissime utantur.

Perfecta sanctitatis forma id etiam requirit ut cum Deo continenter communicemus; ut autem eiusmodi communicatio, quae sacerdotali animo cum Deo intercedat oportet, per subsequentes dies et horas ne intermittatur, Ecclesia sacros administros officio teneri iussit horarias preces recitandi. Ea hoc modo Divini Redemptoris praecepto fideliter obsecuta est dicentis: « Oportet semper orare et non deficere »[45]. Siquidem, quemadmodum Ecclesia ab effundendis precibus nullo tempore cessat, ita percupit ut filii sui supplicationes numquam intermittant; iisdemque Apostoli Pauli adhortationem repetit:

Perfecta sanctitas continuam cum Deo communicationem requirit.

---

42 *A. A. S.*, XXXIX, 1947, pp. 552, 553.

43 *Hebr.*, V, 1.

44 *Brev. Rom.*, Hymn. pro off. Dedic. Eccl.

45 Luc., XVIII, 1.

« Per ipsum [Iesum] offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius » [46]. Sacrorum autem administris hoc peculiare munus concredit, ut nempe, populi etiam nomine comprecando, omnis temporis rerumque decursum quodammodo Deo consecrent.

Recitatio divini Officii qua Sacerdos « vox Christi » et « vox Ecclesiae » fit,

Huic officio obsequens sacerdos, illud vertentibus saeculis, agere pergit, quod Christus fecit, qui « in diebus carnis suae preces supplicationesque ... cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia » [47]. Hae siquidem preces, cum adhibeantur Christi nomine, hoc est « per Dominum Nostrum Iesum Christum », qui, conciliator noster apud Patrem, suam eidem perpetuo offert satisfactionem, sua promerita validissimumque sui Sanguinis pretium, singulari procul dubio efficacitate pollent .Sunt enim peculiari ratione « vox Christi », qui « orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis, ut Caput nostrum » [48]. Parique modo sunt semper « vox Ecclesiae », quae vota ac desideria christifidelium omnium refert; qui quidem una cum sacerdotis precibus eiusque fide coniuncti, laudibus Iesum Christum prosequuntur, ac per ipsum Aeterno Patri grates agunt, ab eoque quovis die, quavis hora necessaria impetrant auxilia. Itaque quod Moyses quondam fecit, cum in montis vertice brachia ad caelum extollens cum Deo colloquebatur ab eoque pro populo suo, in subiecta valle aerumnis laborante, misericordiam efflagitabat, id per sacros administros quodam modo cotidie iteratur.

multum multumque ad sanctitatem efficaciter assequendam confert.

At horariae preces multum etiam multumque ad sanctitatem efficaciter assequendam conferunt; non enim agitur solummodo de formularum recitatione, vel de canticis, quae ex artis legibus rite pangantur; non agitur so-

[46] *Hebr.*, XIII, 15.

[47] Ibid., V, 7.

[48] S. Aug., *Enarr. in Ps. LXXXV*, n. 1: Migne, *P. L.*, XXXVII, 1081.

lummodo de peculiaribus observandis normis, quas rubricas vocant, vel de externis tantum divini cultus caerimoniis; sed potiore ratione agitur de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut cum beatis spiritibus, laudes eidem in aeternum concinentibus, copulemur [49]. Quamobrem horariae preces, ut in earum notatur initio, « digne, attente ac devote » recitandae sunt.

quae una cum Christo recta intentione,

Opus est autem ut sacerdos has supplicationes fundat eadem illa mente, qua Divinus Redemptor precabatur. Est igitur quasi ipsa vox eius, quae per suum administrum a clementissimo Patre suo redemptionis beneficia implorat; est ipsa vox eius, cui Angelorum Sanctorumque agmina in Caelo, christianorumque multitudines in terra coniunguntur, ut debita Deo gloria referatur; Iesu Christi advocati nostri vox est, qua immensi suorum meritorum thesauri nobis impertiuntur.

atque diligenti meditatione est peragenda.

Frugiferas illas veritates, quas Spiritus Sanctus per Sacrarum Litterarum sententias pandit, atque Patrum Doctorumque scripta commentantur, accurate diligenterque meditemini. Dum labia vestra divina verba repetunt quae afflatu superni Flaminis tradita fuere, nihil tanti thesauri amittatis; utque animus vester Dei voci fideliter resonet, ea omnia, quae mentem vestram avocent, assidue studioseque dispellite; atque intentas cogitationes vestras colligite, ut faciliore ac fructuosiore ratione aeternarum rerum contemplationi vacetis.

Annuus liturgiae cursus magni fiat.

In Encyclicis Litteris *Mediator Dei* copiose satis enucleavimus qua de causa Ecclesia per annuum liturgiae cursum in memoriam revocet aptoque ordine veluti ante oculos repraesentet omnia Iesu Christi mysteria, diesque etiam festos celebrari iubeat Mariae Virginis sanctorumque Caelitum. Haec doctrinae praecepta, quae christianis universis, utpote omnibus utilissima, impertivimus, addecet omnino vos, sacerdotes, peculiari modo recolere; vos di-

---

[49] Cf. Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A. A. S.*, XXXIX, 1947, p. 574.

cimus, qui per Eucharisticum sacrificium Divinumque Officium, quod dicitur, in hoc eodem liturgiae cursu praecipuas partes agitis.

Alia pietatis exercitia fovenda.

Ecclesia praeterea, ut nos ad sanctimoniam alacrius cotidie assequendam compellat, alia etiam pietatis exercitia, praeter Eucharisticum sacrificium et horarias preces, enixe nobis commendat. De quibus quidem placet aliquid heic attingere vestraeque considerationi proponere.

Sacrae meditationis excellentia.

Imprimisque ad sacram meditationem nos adhortatur, quae mentem ad superna transvehit, et ad caelestium rerum cogitationem advocat, itemque animum nostrum, Dei desiderio inflammatum, recta ratione ad eum dirigit. Haec sacra meditatio aptissime nos praeparat ad Eucharisticum celebrandum sacrificium et ad debitas post illud grates agendas Deo; ad suavem nos inducit liturgiae pulchritudinem percipiendam gustandamque; itemque ad aeternas veritates et ad miranda Evangelii exempla ac praecepta contemplanda nos permovet.

Sacerdos nisi meditando contemplandoque Divini Redemptoris exempla, virtutes, mysteria, neque ad virtutem contendere neque sacrum munus suum, ut oportet, obire potest.

Iamvero haec Evangelii exempla Divinique Redemptoris virtutes prorsus necesse est ut sacrorum administri diligentissime in se referant. Sed, quemadmodum corporis cibus vitam nostram non alit, non sustentat, non auget, nisi digestus ac confectus in nostram fuerit substantiam conversus, ita sacerdos, nisi meditando contemplandoque Divini Redemptoris mysteria — qui quidem summum atque absolutum perfectionis exemplar est ac sanctitudinis fons inexhaustus — eius vitam vivat, sui suorumque sensuum dominio potiri non potest, neque animum purificare suum, neque ad virtutem, ut oportet, contendere, nec denique sacra munera sua fideliter, actuose, frugifere obire.

Gravi igitur officio Nos teneri ducimus ad cotidianae meditationis usum vos peculiari modo cohortari; quem quidem usum Codex etiam Iuris Canonici clericis omni-

bus commendat [50]. Quemadmodum enim ex cotidiana eiusmodi meditatione sacerdotalis perfectionis studium alitur ac refovetur, ita ex eius neglegentia illud oritur spiritualium rerum taedium, quo pietas defervescit ac languet, et quo non tantum suus cuiusque ad sanctitatem impulsus vel intermittitur, vel retardatur, sed sacri etiam ministerii opera haud levia capiunt detrimenta. Quamobrem iure meritoque asseverandum est peculiarem sacrae meditationis efficacitatem nulla posse alia ratione haberi, atque adeo cotidianus eius usus nullo alio modo substitui posse.

Qui eam neglexerit spiritualium rerum taedium experietur.

Eius peculiaris efficacitas nulla alia ratione haberi potest.

A caelestium autem rerum commentatione contemplationeque supplicationes viva voce factae ne disiungantur; ceteraeque ne desint privatim precandi formae, quae apte, pro peculiari sua cuiusque condicione, ad fovendam animi cum Deo coniunctionem conferant. Illud tamen animadvertendum est: potius quam multiplicatas preces, pietatem valere ac verax et ardens supplicandi studium. Hoc enim ardens precandi studium hodie potissimum, si umquam alias, necessarium est, dum « naturalismus », qui dicitur, hominum mentes animosque incessit, et dum virtus periculis omne genus circumvenitur, quae quidem interdum sacrum etiam obeuntibus ministerium occurrunt. Quid enim melius efficere possit, ut ab hisce insidiis praecaveatis, quid aptius mentem vestram ad superna erigat, vosque cum Deo coniunctos vivere iubeat, quam constans ad eum admota oratio divinique supplicatio auxilii?

ac verax praecandi spiritus qui « naturalismum » praecaveat

Cum autem sacerdotes peculiari titulo Mariae Virginis filii vocari queant, temperare sibi non poterunt quin eam incensissima pietate adament, fidenti eam animo invocent, validamque eius tutelam frequenter implorent. Cotidie igitur, quod Ecclesia ipsa commendat [51], mariale rosarium recitare studeant; qua quidem recitatione etiam

Filialis et incensa erga Mariam Virginem pietas.

---

[50] Cf. can. 125, 2°.

[51] Cf. *C. I. C.*, can. 125, 2.

Divini Redemptoris mysteria meditanda nobis proponuntur, nosque « ad Iesum per Mariam » ducimur.

Visitatio eucharistica.

Praeterea sacrorum administer, antequam cotidianos suos concludat labores, ad Eucharistica tabernacula adeat ibique aliquantisper saltem commoretur, ut Iesum in suo caritatis sacramento adoret, ut tot hominum ingratitudinem expiet, ut magis in dies divino amore ferveat, ut denique nocturnae etiam requietis tempore, quod mortis silentium in mentem revocat, aliquo modo praesens in sacratissimo eius Corde permaneat.

Conscientiae perscrutatio.

Neque praetermittat suae conscientiae secreta cotidie perscrutari suique ipsius censuram gerere; quod procul dubio tantum valet simul ad spiritualis vitae rationem per elapsi diei spatium inquirendam, simul ad illa removenda obstacula, quae virtutis incrementa vel retardent, vel praepediant, simul denique ad ea omnia alacrius persequenda, quae sacerdotalia munera magis frugifera efficiant, et ad caelestis Patris, ob tot misere acta, misericordiam implorandam.

Frequentia Paenitentiae Sacramenti.

Quae quidem misericordia et admissorum venia per Paenitentiae Sacramentum nobis peculiari modo conceditur, quod praecipuum est divinae bonitatis opus, quo infirmitas nostra roboratur. Numquam contingat, dilecti filii, ut salutaris huius reconciliationis administer hoc Sacramenta se abstineat. Hac de re, ut nostis, hoc Ecclesia edicit: « Curent locorum Ordinarii, ut clerici omnes Paenitentiae Sacramento frequenter conscientiae maculas eluant » [52]. Quamvis enim Iesu Christi ministri, miseri tamen sumus; quomodo igitur possumus Dei aram ascendere ac sacra pertractare, nisi saepe nos expiare ac purificare studeamus? Hac enim ratione « recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali neglegentiae torpori obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris

Eiusdem fructus.

---

[52] *C. I. C.*, can. 125, 1°.

animorum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia »[53].

Consilium in spiritualibus.

Quam ad rem opportunum etiam ducimus vos adhortari, dilecti filii, ut in spiritualis vitae itinere ingrediendo persequendoque ne nimis vobis confidatis, sed demisso docilique animo ab iis consilium suscipiatis petatisque auxilium, qui sapienti moderatione vos regere possint, qui adventantia pericula vobis praenuntiare queant, itemque consentanea vobis indicare remedia, et in difficultatibus omnibus ex internis externisve rebus oriundis, vos recta ratione ducere, vosque ad perfectionem illam, cotidie auctiorem dirigere, ad quam sanctorum Caelitum exempla probatique christianae asceseos magistri vos alliciant et advocent. Etenim sine prudentibus hisce conscientiae moderatoribus, plerumque difficillimum est supernis Sancti Spiritus impulsionibus divinaeque gratiae recto modo obsecundare.

Sine prudent conscientiae mo deratore, divina gratiae impulsio nibus obsecun dare, difficilli mum.

Opimi fructu Exercitiorum Spi ritualium.

Cupimus demum Spiritualium omnibus commendare Exercitiorum usum. Cum enim nos per aliquot dierum spatium ex suetis rebus suetisque vivendi agendique rationibus segregamus, ac solitudinem silentiumque petimus, tum facilius profecto secundas damus aures divinis eloquiis, quae altius in animos descendunt nostros; dumque nos haec Exercitia ad officia sanctius exsequenda revocant et ad suavissima Iesu Christi mysteria contemplanda, voluntatem nostram ita confirmant, ut « serviamus illi in sanctitate et iustitia omnibus diebus nostris »[54].

---

[53] Litt. Enc. *Mystici Corporis Christi*: *A. A. S.*, XXXV, 1943, p. 235.

[54] Luc., I, 74, 75.

II

(*Sanctitas in Sacro Ministerio.*)

In Calvariae monte Divini Redemptoris fuit transverberatum latus, ex quo sacer eius cruor defluxit, qui veluti amnis per saeculorum cursum exundans, animos hominum eluit, eorum peccata expiat, eisdemque salutis thesauros impertit..

Sacerdos cum « dispensatores mysteriorum Dei » sit perfecta caritate debet Christo servire seque in fratrum salutem impendere;

Ad hoc autem celsissimum obeundum ministerium sacerdotes destinantur. Ipsi enim non modo Iesu Christi vitam et gratiam mystici eius Corporis membris conciliant, cum iisdemque communicant, sed etiam ad eiusdem mystici Corproris fovendum incrementum conferunt, cum novos continenter debeant Ecclesiae filios donare, eosque educere, excolere, moderari. Cum « dispensatores mysteriorum Dei » [55] sint, perfecta caritate debent Iesu Christo famulari suasque vires omnes in fratrum salutem impendere. Cum lucis apostoli sint, Evangelii doctrina collustrare mundum debent, christianaque fide ita ipsimet intus vigere, ut eam cum ceteri participare possint, ac Divini Magistri exemplis et praeceptis insistentes, ad eum omnes reducere queant. Gratiae ac veniae apostoli sunt, atque adeo hominum procurandae saluti se omnino devoveant, eosque ad Dei aram advocent, ubi caelestis vitae pane enutriri possint. Caritatis apostoli sunt; huius igitur caritatis opera atque incepta urgeant, cum praesertim nostris hisce temporibus indigentium necessitates in immensum succreverint.

est praeterea et lucis et gratiae et caritatis apostolus.

Curent praeterea sacerdos ut christifideles doctrinem de « Santorum Communione » recte intellegant, sentiant, experiantur; impenseque eam per instituta illa promoveant, quae ab « Apostolatu liturgico » et a « preca-

---

[55] *I Cor.*, IV, 1.

tionis Apostolatu » nuncupantur. Parique modo ceterae omnes apostolatus formae rationesque provehantur, quae hodie, ob peculiares christiani populi necessitates, tanti momenti sunt tantaeque gravitatis. In id nempe diligentissime contendatur ut sacra catechesis omnibus impertiatur, ut « Actio Catholica » ac « Missionalium Actio » quam latissime propagentur et foveantur; itemque ut ea omnia per laicos viros apte intructos ac conformatos cotidie maiora incrementa capiant, quae ad rem socialem recte ordinandam pertineant, quemadmodum nostra postulat aetas.

Apostolatum exerceat iuxta formas et rationes hodiernis necessitatibus accommodatas.

Animadvertat tamen sacerdos gravissimum sibi creditum ministerium eo fructuosius fore, quo arctius ipse cum Christo coniunctus, eiusque spiritu ductus operetur. Tum enim sacerdotalis eius actio non in naturalem tantum operositatem desinet, quae corpus animumque fatiget, et quae sacrum administrum, haud mediocri cum sui ipsius Ecclesiaeque detrimento, ex recto possit itinere abstrahere; at eius labor eiusque constantes nisus divinae gratiae ope corroborabuntur, quam quidem si Deus superbis denegat, iis tamen, qui demisso animo in « vinea Domini » operantes, non se suaque quaerunt [56], sed Dei gloriam hominumque salutem, large libenterque concedit. Quamobrem Evangelii praeceptis obsecutus, ne sibi, ut iam diximus, suisque viribus confidat, sed superno potius auxilio, secundum illud: « Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat Deus » [57]. Per apostolatum hac conformatum ratione id non evenire non potest, ut sacerdos nempe superna quadam vi omnium animos vehementer ad se alliciat. Cum enim in se in suosque mores vivam quasi referat Iesu Christi imaginem, omnes, qui eo magistro utantur, intima quadam suasione compulsi, facile agnoscent eum non sua, sed Dei verba

Apostolatus eo fructuosior erit quo Sacerdos arctius cum Christo sit coniunctus Eiusque spiritu ducatur.

Cum ipse ad sanctitatem nititur cumque sacerdotale munus exercet studiose debet Iesu Chris-

---

[56] Cf. *I Cor.*, X, 33.

[57] *I Cor.*, III, 7.

ti partes et personam agere.

loqui, itemque non sua, sed divina virtute operari: « Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus » [58]. Quin immo, dum ipse ad sanctitatem nititur, suumque munus summa perfectione exercet, tam studiose debet Iesu Christi partes personamque agere, ut verecunde queat Apostoli gentium iterare sententiam: « Imitatores mei estote, sicut et ergo Christi » [59].

Hisce de causis, dum debitis eos honestamus laudibus, qui Dei amore proximorumque caritate ducti per hos annos, qui immane diuturnumque bellum subsecuti sunt, totis viribus in id incubuere ut, Episcopis praeeuntibus ac ducibus, tot rerum animorumque miserias relevarent, abstinere non possumus quin sollicitudinem anxitudinemque Nostram iis significemus, qui ob peculiaria rerum temporumque adiuncta in externarum actionum vorticem nimio saepius ita se ingurgitarunt, ut primum neglegerent sacerdotem officium, hoc est officium suae ipsius procurandae sanctitatis. Publice iam ediximus [60] ad rectius iter eos esse revocandos, qui temere autument salutem hominibus afferri posse per eam, quae « actionis haeresis » iure meritoque nominatur; per actionem dicimus, quae divinae gratiae ope non innitatur, neque ea constanter adhibeat necessaria assequendae sanctitudinis adiumenta quae a Iesu Christo fuere data. At pari modo opportunum duximos eos ad sacri ministerii opera impellere, qui animum ab externis rebus nimis abalienatum gerant, ac quasi superni auxilii potentia diffidentes, in id non satis contendant, pro facultate cuiusque sua, ut christiani spiritus virtus in vitae usum omnibus illis agendi rationibus inducatur, quas nostra tempora postulent [61].

Ne actionum vortice se ingurgitari sinat; « actionis haeresim » caveat, contendat tamen, pro facultate sua, christianum spiritum in vitae usum ut nostra tempora postulent inducere.

---

[58] *I Petr.*, IV, 11.

[59] *I Cor.*, IV, 16.

[60] Cf. *A. A. S.*, XXXVI, 1944, p. 239; Epist. *Cum proxime exeat.*

[61] Cf. *Orat.* die XII mensis sept. a. MCMXXXXVII habitam.

Vos igitur omnes enixe adhortamur ut arctissime cum Divino Redemptore coniuncti, cuius virtute omnia possumus [62], impensa sollicitudine adlaboretis, ut eorum pro viribus aeternam procuretis salutem, quos Providentissimus Deus apostolicis concredidit laboribus vestris. Quam vehementer cupimus, dilecti filii, ut sanctissimorum sitis illorum virorum aemulatores, qui elapsa aetate immensis exantlatis laboribus praeclare testati sunt quid possit hoc in mundo operari divinae gratiae potentia. Utinam illam Apostoli gentium sententiam sibi unusquisque vestrum, christifidelibus testantibus, sincere demisseque tribuere possit: « Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris » [63]. Mentes superna luce collustrate; conscientias recto itinere dirigite; atque animos, vel dubitatione aestuantes, vel dolore excruciatos, confirmate ac reficite. Hisce autem praecipuis apostolatus operibus alia etiam adicite, quorum necessitatem hodierna tempora clamant. Omnibus tamen manifestum pateat sacerdotem quavis sua agendi ratione nihil aliud quaerere, nisi animorum bonum, ad nihil aliud spectare, nisi ad Christum, cui suas vires ac semet ipsum consecrare debet.

Aemulator sanctorum impense adlaboret ad salutem animarum sibi concreditarum, nihil aliud quaerens nisi horum bonum; ad nihil aliud spectans nisi ad Christum.

Quemadmodum vero, cum vos ad vestram adipiscendam sanctimoniam admonuimus, vos adhortati sumus ut vivam Christi imaginem in vestros mores referatis, ita in praesens ad sacerdotalis muneris vestri sanctitatem atque efficientiam procurandam provehendamque vos etiam atque etiam appellamus, ut Divini Redemptoris vestigiis continenter insistere studeatis; qui quidem, Spiritu Sancto plenus, « pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo » [64]. Eodem vos Spiritu roborati, eiusque fortitudine

Ad procurandam muneris sacerdotalis sanctitatem et efficientiam Redemptoris vestigiis continenter insistat

[62] Cf. *Philipp.*, IV, 13.
[63] *II Cor.*, XII, 15.
[64] *Acta Ap.*, X, 38.

impulsi, tale vos procul dubio expleturi eritis ministerium, quod, christiana alitum atque inflammatum caritate, et suprema virtute polleat, et ad eamdem virtutem cum ceteris communicandam contendat.

Apostolicum studium vestrum divino illo amore flagret, quo omnia aequo animo toleretis, quo rebus non debilitemini adversis, et quo omnes amplectamini homines, tenuiores, vel rerum amplitudine praestantes, amicos, vel inimicos; fideles, vel infideles. Cotidianum eiusmodi laborem cotidianasque aegritudines a vobis poscit animorum salus, pro qua Servator noster dolores angoresque suos eo usque patientissime tulit, ut ad supremos cruciatus et ad mortem perveniret, quibus quidem nos voluit in divinam amicitiam restituere. Hoc unum, ut nostis, summum omnium bonorum est. Ne nimia igitur cupiditate exoptetis ut felix habeatur rerum successus; parique modo, si impense licet adlaborando, optatos tamen non poteritis consequi fructus, ne concidatis animo; etenim « alius est qui seminat, et alius est qui metit » [65].

Apostolicum studium divino amore flagret quo omnia aequo animo tolerentur; qui omnes pari caritate amplectatur.

Hoc praeterea apostolicum studium vestrum summa benignitate niteat; quandoquidem, si necessarium omnino est errores refellere ac vitiis repugnare — ad quod quidem faciendum officio tenemur omnes — semper tamen sacerdotis animus miseratione moveatur necesse est; oportet siquidem omni nisu profligare errores, sed errantes fratres adamare eosque impensa caritate revocare ad salutem. Quot bene facta, quot miranda opera viri sanctitudine ornati patrare potuere ob suam etiam animi benignitatem; idque in rerum quoque adiunctis hominumque classibus, ubi omnia fere fallaciis ac vitiis circumveniebantur! At procul dubio ille suo officio deesset, qui ut hominibus gratificaretur, pravis blandiretur eorum voluntatibus, vel minus rectis eorum cogitandi agendique rationibus non sine christianae doctrinae morumque probitatis

Sit benignum misericordiaque moveatur.

Deesset tamen suo officio qui pravis vel minus rectis cogitandi agendique rationibus blandiretur.

---

[65] Ioann., IV, 37.

discrimine obsecundaret. Cum tamen Evangelii praecepta sarta tectaque servantur, cum qui misere lapsi sunt, sincero desiderio moventur ad frugem redeundi bonam, tum illius sententiae reminiscatur sacerdos, quam Divinus Magister Apostolorum Principi tradidit, qui ab eo percontabatur quotiens fratribus venia concedenda foret: « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies » [66].

Vestra eiusmodi navitas non ad fluxa et caduca, sed ad aeterna potissimum spectare debet. Praecipuum hoc esto sacrorum administrorum propositum, qui ad sanctitatem, ut debent, contendere velint: pro divina tantum gloria animorumque salute laborare. Quot sacerdotes, in gravibus nostrorum temporum rerumque angustiis Apostoli gentium exempla ac monita prae oculis habuere, qui quidem parvo contentus et quae omnino necessaria essent solummodo quaerens asseverabat: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus » [67].

Praecipuum Sacrorum administrorum propositum esto: pro divina tantum gloria animorumque salute laborare;

Ex hac temperata terrenarum rerum abstinentia, quae cum Divinae Providentiae fiducia coniungitur, et quae summae laudis praeconio digna Nobis videtur, sacerdotale ministerium uberes profecto in spiritualem et in socialem etiam Ecclesiae utilitatem edidit fructus.

cum temperata rerum terrenarum abstinentia

Haec impensa denique operositas vestra sapientiae ac disciplinae luce collustretur, caritatis ardore foveatur. Qui reapse ad propriam proximorumque sanctimoniam nititur, solidam callere debet doctrinam, quae non modo ad theologica studia quod attinet, sed ad ea etiam omnia, quae ex rebus pervestigandis excolendisque nostra peperit aetas, pertineat oportet; atque hisce animi ornamentis praeditus sacrorum administer, sicut optimus pater familias proferre « de thesauro suo nova et vetera » [68] poterit, ita quidem ut ministerium suum et ab omnibus valde aestimetur, et frugiferum evadat. Imprimis autem minis-

et congrua doctrina

---

[66] MATTH., XVIII, 22.

[67] *I Tim.*, VI, 8.

[68] Cf. MATTH., XIII, 52.

terium hoc vestrum huius Apostolicae Sedis praescriptis ac datis ab Episcopis normis fideliter conformetur. Numquam eveniat, dilecti filii, ut novae illae apostolatus formae rationesque, quae hodie tam opportunae sunt, iis praesertim in regionibus, ubi clerus impar est numero, vel in inertia iaceant, vel, cum non sint recto ordine instructae, christiani populi necessitatibus non respondeant.

disciplinae luce apostolicam navitatem collustrante.

Operosum igitur eiusmodi studium vestrum cotidie magis augeatur, Ecclesiam Dei roboret, christifidelibus in exemplum praeluceat, atque ingentia propugnacula excitet, ad quae quidem Dei hostium incursus misere confringantur.

Cupit Summus Pontifex ut haec adhortatio peculiariter attingat bene meritos sacerdotum consiliarios, spiritus moderatores, et confessarios qui - ut fulget v. g. in vita S. Iosephi Cafasso - semet ipsos suosque collegas ad excelsam vitae perfectionem dirigunt.

Cupimus etiam ut paterna haec adhortatio Nostra peculiari modo sacerdotes illos attingat, qui demisso quidem animo, sed incensa caritate, in ceterorum sacerdotum sanctitudinem procurandam augendamque sollerter incumbant, sive eorum consiliarios agant, sive eorum conscientiae moderatores vel Paenitentiae Sacramenti administros. Quod hi in Ecclesiae inaestimabile bonum conferunt, plerumque, dum vivunt, silentio obtegitur; at in divini Regni gloria aliquando luculentissime manifestabitur.

Nos quidem, qui non multos ante annos magno cum animi solacio summos decrevimus Sanctorum Caelitum honores Taurinensi sacerdoti Iosepho Cafasso — qui, ut nostis, temporibus difficillimis, sacrorum administris non paucis tam sapienter, tam sancte moderatus est, ut eorum non modo virtutem proveheret, sed eorum etiam sacerdotale munus salutiferum admodum redderet — fore omnino confidimus, ut ob eius etiam patrocinium validissimum Divinus Redemptor noster multos concedat paris sanctitatis sacerdotes, qui semet ipsos suosque in sacro ministerio collegas ad tam excelsam vitae perfectionem dirigant, ut christifideles omnes praeclara eorum intuentes exempla, ad ea ultro libenterque sequenda permoveantur.

III

(*Normae Ad Hodiernae Vitae Usum*)

Hucusque praecipuas veritates ac praecipua scribendo proposuimus praecepta, quibus Catholicae Ecclesiae sacerdotium eiusque explenda munera innituntur. Hisce profecto veritatibus ac normis qui sacerdotes sunt sanctitate exornati, ii procul dubio per cotidianam cuiusque suam agendi rationem, diligenter obsequuntur; dum contra, proh dolor desertores ac transfugae a susceptis per sacram ordinationem officiis misere recesserunt.

Sacerdotes universi ad Ecclesiae bonum et ad propriam proximorumque sanctitatem assequendam procedere debent.

In praesens vero, ut paterna haec adhortatio Nostra efficacior evadat, opportunum ducimus nonnulla, quae ad hodiernae vitae usum peculiari modo pertineant, satius enucleare. Idque eo vel magis quod nostra hac aetate novae interdum rerum condiciones habentur novaeque disceptationis causae, quae diligentiores a Nobis requirunt animadversiones diligentioresque curas. Cupimus igitur clerum universum, imprimisque sacrorum Antistites paterno adhortari animo ut ad ea omnia provehenda, quae nostris hisce temporibus necessaria videantur, toto pectore incumbant: quae autem recto itinere devia vel prorsus depravata habeantur, ea ad veritatem, ad probitatem, ad virtutem reducant.

Numerus Sacerdotum necessitatibus impar: omnes igitur sive saeculares sive religiosi, viribus unitis ad communem metam alacriter procedant.

Ut probe nostis, post diuturnas ac varias recentis belli vicissitudines, sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalium terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est. Quamobrem sacerdotes universos adhortamur, sive qui in saeculo vivunt, sive qui in religiosos Ordines vel in religiosas Congregationes adsciti sunt, ut coniunctis voluntatibus coniunctisque fraterno animo viribus ad communem metam alacriter procedant, hoc est ad Ecclesiae bonum et ad suam proximorumque assequendam sanctitatem. Omnes utique,

ii etiam qui umbratilem in recessu et in silentio vitam traducunt, ad sacerdotalis ministerii efficacitatem, precando seseque devovendo, conferre queunt; qui tamen actione etiam possunt, id libenter, id alacriter faciant.

Necessarium quoque est advocare collegas novosque laboris socios;

At alios quoque necessarium est, divina adspirante gratia, advocare collegas ac laboris socios. Hac de re Nos sacrorum praesertim Antistites paterno admonemus animo, itemque ceteros omnes, qui christiani gregis quovis modo curam gerunt, ut gravissimam huiusmodi causam agant ac provehant, cui quidem futurus Ecclesiae status coniungitur quam maxime. Societati a Christo conditae procul dubio necessarii sacerdotes numquam deerunt; vigilemus tamen oportet ac laboremus omnes, illius sententiae memores: « Messis quidem multa, operarii autem pauci »[69] ac omni nisu contendamus ut quam plurimi habeantur et quam sanctissimi Dei administri.

oratione ad Deum,

Divinus ipse Redemptor nobis indicat quo aptiore modo frequentes suscitari queant sacerdotii candidati: « Rogate ... Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam[70]. Humilibus nempe ac fidentibus ad Deum admotis precibus id impetrare debemus.

eximiam sacerdotii dignitatem, utilitatem, merita, in sua luce collocando,

At necesse quoque est ad invisibilem superni Flaminis impulsionem actionemque eorum praeparentur animi, qui ad ingrediendum sacerdotium divinitus vocentur; ad quod quidem efficiendum cum christiani parentes, sacri pastores, Paenitentiae Sacramenti administri ac Seminariorum moderatores multum profecto conferre possunt, tum universi etiam sacerdotes ac christifideles, quibus Ecclesiae incrementa provehere eiusque occurrere necessitatibus cordi sit. Dei administri non modo sacris concionibus ac catecheseos institutionibus ad populum habitis, sed privatis etiam opportune intersertis sermonibus, sedulo curent ut illae refellantur praeiudicatae ac fallaces opi-

---

[69] Luc., X, 2.

[70] Ibidem.

niones, quae hodie adversus sacerdotium tam late proferuntur; atque etiam eius excelsam dignitatem, pulchritudinem, utilitatem et eximia promerita in sua luce ponant. Patres vero matresque familias cuiusvis ordinis impensas ad Caelum admoveant preces, ut digni habeantur qui unum saltem e prole sua divino servitio mancipare queant. Omnes denique, qui christiano censentur nomine, officio sibi ducant eos fovere omnique ope iuvare, qui se ad sacra vocatos sentiant.

studiosa canonis I. C. 1353 observantia,

Sacerdotii candidatorum instituere ac fovere dilectum quod Codex Iuris Canonici [71] animorum pastoribus concredit eisdemque valde commendat, omnibus etiam sacrorum administris peculiari curae esse debet; qui quidem, non modo aeterno Numini demisse generoseque grates agant ob inaestimabile acceptum beneficium, sed nihil antiquius, nihil optatius habeant, quam sibi aliquem deligere omnique ope iuvare successorem, quem illis perspexerint dotibus ornatum ad tantum opus necessariis. Utque id efficacius assequi possint, adulescentibus praesertim, quibus familiariter utantur, et in quibus divinae vocationis indicia animadverterint, optima exempla praebeant, quae imitentur.

una cum optimis exemplis.

Instituenda semper et ubique prudens ac recta candidatorum selectio.

Prudens ac sapiens huiusmodi candidatorum dilectus semper et ubique instituatur; non igitur inter iuvenes habeatur solummodo, qui iam in Seminario vitam agant, sed inter eos etiam qui in quibusvis litterarum ludis as scholis disciplinarum studiis dent operam, atque inter eos potissimum, qui in variis apostolatus formis atque inceptis adiutricem suam navitatem praestent. Hi siquidem, etsi sero sacerdotium ingrediuntur, cum tamen iam graves eluctati fuerint difficultates, et in agitatione vitae animum firmaverint suum, cumque iam in operibus elaboraverint, quae cum sacerdotali munere arcte coniunguntur, maioribus non raro enitent solidioribusque virtutibus.

---

71 Cf. can. 1353.

Imprimis, singulorum intentio examinanda.

Semper tamen necessarium est in singulos sacerdotii candidatos diligentissime introspicere, ac praesertim exquirere qua mente, quibus de causis eiusmodi inierint consilium. Ac peculiari modo, cum de pueris agitur, attente considerare oportet utrum necessariis animi corporisque dotibus iidem praediti sint, et utrum ad sacra suscipienda munera adspirent ob eorum tantum nobilitatem ac spiritualem suam ceterorumque utilitatem.

Considerandae eorum mentis animique dotes.

Vos profecto, Venerabiles Fratres, probe nostis quae sint mentis animique ornamenta, quibus, ad eiusmodi causam quod attinet, Ecclesia postulat ut sacrorum alumni praestent; supervacaneum igitur esse ducimus hisce exponendis rebus rationibusque immorari. Opportunum potius putamus vos adhortari, ut ea, qua enitetis, prudentia sedulo exquiratis, utrum, qui sacros suscipere ordines velint, physice etiam idonei sint; idque eo vel magis quod recens bellum succrescentem praesertim subolem funeste non raro affecit pluribusque modis perturbavit. Hi igitur candidati accurate hac de causa inspiciantur, adhibito etiam, si oportet, probati medici iudicio.

Sedulo quoque exquirendum utrum candidati physice etiam idonei sint.

Hoc sapienti prudentique dilectu fore confidimus, ut ubique conferta habeantur lectissimaque sacrorum alumnorum agmina.

In Seminaria assumpti diligentissime instituantur.

Quodsi plures sacri Pastores in gravi sunt sollicitudine, quod rariores cotidie adulescentes exsistant, qui sacerdotalia munera affectent, non minore tamen iidem sollicitudine afficiuntur de iuvenum institutione, qui in sacra iam fuerint Seminaria assumpti. Non nescimus profecto, Venerabiles Fratres, quam arduum id opus sit, quotque quantisque implicetur ad perficiendum difficultatibus; sed ex necessario hoc adhibito officio maximum reportabitis solacium, quandoquidem, ut Decessor Noster Leo XIII monet, « ex industria diligentiaque in instituendis sacerdotibus posita, fructus percipietis summopere op-

tabiles, munnsque vestrum episcopale multo sentietis esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius » [72].

Quamobrem a Nobis opportune factum censemus, si documenta vobis statuerimus, quae necessitate imperantur, hodie maiore quam cum maxima, sanctos educandi sacerdotes.

Quo pacto a dulescentuli sin conformandi.

Animadvertendum primo loco est Seminariorum alumnos, qui primis disciplinis instituantur, nonnisi adulescentulos esse a nativo suae domus humo separatos. Res igitur ipsa postulat ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat; magni tamen hinc eorum religiosa conformatione existimata, hinc naturalibus eorum facultatibus spectatis ingeniique propensionibus: quae omnia in spatiosis et capacibus locis excurrant oportet ad salubritatem et ad tranquillitatem idoneis. Attamen hac etiam in re « aeque mensura ac temperatio » serventur; ita quidem ut numquam eveniat ut « in sumptuosis domibus et in exquisitis suavitatibus et commodis » [73] ii vitam agant, qui ad sui abnegationem atque ad evangelicam virtutem conformari debeant.

Elaborandun praecipue est u singulorum puc rorum indoles cuiusque propria recte conforme tur.

In universum elaborandum praecipue est, ut singulorum puerorum indoles cuiusque propria recte conformetur; in iisque magis magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus iudicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant. Quam ob causam ii qui sacris Seminariis praesunt modum prudenter animadversionibus imponent, ac crescentibus iuvenum annis ab strictiore eorum custodia vel cuiusvis generis refrenationibus sensim temperent; id prorsus consecuturi ut sibimet ipsis adulescentes moderentur, seseque suorum esse ope-

---

72 Litt. Enc. *Quod multum*, ad Episcopos Hungariae, die 22 mensis Augusti a. 1886: *Acta Leonis*, vol. VI, p. 158.

73 Cf. Allocut. d. 25 Novembris a. 1948 habitam: *A. A. S.*, XL, 1948, p. 552.

Curandum ut adulescentes sibi metipsis moderentur;

rum auctores sentiant. In quibusdam praeterea rebus non modo licitam largiantur alumnis agendi libertatem, sed eos etiam ad secum cogitandum in animo insuescant, ut veritates, quae vel doctrinas vel quae usum spectent, faciliore negotio combibant. Neque extimescant moderatores ne concrediti sibi iuvenes hodiernos cognoscant eventus; quin etiam praeter quam quod illis rerum notitias aperient ex quibus maturum de factis iudicium iidem sibi faciant, controversias etiam de quaestionibus id genus ne declinent, ut iuvenum mentes ad aequam rerum rationumque aestimationem informent.

ad integritatem et sinceritatem erudiantur.

Quae si normae servatae religiose fuerint, cum alumni, ad probitatem sinceritatemque instituti atque eruditi, suam non minus ac ceterorum vitae integritatem animique firmitatem summo in pretio habeant, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrebunt. Ab eiusmodi integritate ac sinceritate facile proficiscetur, ut a moderatoribus efficientius iidem adiuvari possint, cum dignoscendum sit utrum divinitus ad sacra capessenda munia vocentur.

Alumni sensim prudenterque in populi consiliis et studiis penetrent.

Ubi vero iuvenes — qui praesertim a teneris in sacra Seminaria fuerint recepti — in locis educentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis, ii profecto, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment. Opera idcirco danda est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia penetrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret.

Ad haec qui sacris Seminariis praepositi sunt plurimas oportet curas locent in mente alumnorum excolenda.

Perspecta sane habetis, Venerabiles Fratres, normas atque praescripta, quae hac de re Apostolica haec Sedes identidem tulit, et quae Nosmet ipsi omnibus commendavimus, cum primum, sub Pontificatus Nostri initio, Seminariorum atque Collegiorum Romanorum alumnos coram admisimus [74].

Institutio intellectualis litteralis et scientifica.

Qua de re cupimus cumprimis ne litterarum doctrinarumque studiis ii qui futuri sit sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores. Hoc namque si cautum fuerit, et ut discipulorum mentes severius expoliantur, et ut facilius eorum habeatur suo cuiusque tempore dilectus cautum sane fuerit. Re enim vera si id contigerit, cum sacrorum alumnus de suae vitae futura condicione deliberaturus erit, nulla prorsus necessitate astringetur; aberitque plane a periculo ne, quod ea non ornetur eruditione atque doctrina, quae civilia sibi munera obicere possit, viam insistere sibi non paratam cogatur, secundum illam villici infidelis sententiam: « Fodere non valeo, mendicare erubesco » [75]. Quodsi quis alumnorum, utilem licet Ecclesiae operam ostendens, e Seminario nihilo minus cederet, hoc non esset omnino dolendum; quandoquidem is, rectam viam ingressus, beneficiorum in Seminario acceptorum non recordari non posset, nec ad laicorum hominum catholicam alacritatem multum suae alacritatis non adicere.

In alumnorum institutione maxima vis Philosophia et Theologiae « ad Angelici Doctoris rationem » tribuenda,

In sacrorum institutione alumnorum, quamvis multarum cognitio disciplinarum perquiratur, in quibus hodie rerum socialium investigatio magni quidem est momenti, maxima tamen vis doctrinis philosophicis ac theologicis « ad Angelici Doctoris rationem » [76] tribuenda est, cum his necessitatum atque errorum, quae nostra invexerit aetas, notitia coniuncta. Huiusmodi enim doctrinae

---

[74] Cf. Orationem diei 24 mensis Iunii 1939 habitam: *A. A. S.*, XXXI, 1939, pp. 245-251.

[75] Luc., XVI, 3.

[76] Cf. *C. I. C.*, can. 1366, 2.

ut seipsos aliosque sacerdotali ministerio iuvare possint.

cum sacerdotibus ipsis, tum christiano populo maximi sunt ponderis et utilitatis: pietatis magistris asseverantibus eas, modo fuerint idonea ratione traditae, ad servandum alendumque fidei studium, ad cupiditates debilitandas, ad animum cum Summo Dei Numine coniungendum maxime valere.

Accedit quod sacerdos, qui veluti « sal terrae » et « lux mundi » [77] est putandus, opus est, ut in fidei tuitione conatu maximo elaboret, Christi Evangelium promulgans, atque oppositos errores coarguens, qui omnibus viis hoc tempore seruntur in vulgus. Atqui erroribus valenter refragari nequibit, nisi quod firmissima philosophiae ac theologiae catholicae elementa penitus didicerit.

Quae scholastica methodo, quae magna efficacitate est docenda.

A qua causa alienum non est animadvertere docendi rationem, quae in catholicis scholis iamdiu invaluit, plurimum habere efficacitatis simul ad perspicue rerum notiones mente concipiendas, simul ad hoc confirmandum: veritates nempe, quae ut sacrum depositum fuere Ecclesiae, christianorum magistrae, concreditae inter se perfecte congruere ac cohaerere. Non desunt vero hac nostra aetate qui, cum de recentioribus Ecclesiae documentis deflexerint, cumque minus notionum definitae perspicuitati studeant, praeterquam recta discesserint nostrarum scholarum via, erratis etiam ambiguisque opinionibus, ut est experiendo cognitum, introitum patefaciant.

Servandae normae ab A. S. de studiorum ratione datae.

Quare ne sacrorum administrorum studia fluctuationibus, vel dubitationibus miserum in modum haereant, maximopere vos, Venerabiles Fratres, hortamur omnes sedulo evigiletis, ut quas Apostolica haec Sedes de huiusmodi studiis colendis certas constituit normas, eae integra fide accipiantur atque serventur.

Si tam impense, pro Apostolico quo fungimur officio, de clericorum intellegentia praeclare excolenda adhuc ad-

---

[77] Cf. Matth., V, 13, 14.

monuimus, haud difficile tamen cognitu est cur nihil sit Nobis potius quam ut eorumdem iuvenum animi moresque probe conformentur; quoniam si secus acciderit, vel exquisitissima doctrina, ob superbiam atque arrogantiam, quae facile descenderit in animos, maximas edere poterit ruinas. Quapropter Ecclesia Mater vult praesertim in sacris Seminariis adulescentes illius sanctimoniae initia inchoënt, quam deinceps in omni vita praestent atque confirment.

Institutio spiritualis et moralis potissima.

Quemadmodum de sacerdotibus iam scripsimus, haud secus nunc instamus ut sacri ordinis alumnis persuasissimum sit debere se ad animi potiunda ornamenta, quae virtutes sunt, omni nisu contendere, eademque postquam assecuti fuerint, fortiter servare studioseque augere.

Alumni sacrorum ordinum ad virtutes potiundas omni nisu contendant.

Cum cotidie, iisdem fere semper horis, eadem pietatis officia adulescentes exsequantur, timeri potest ne cum extrinseca religionis exercitatione intimus animi sensus non consonet; quod ferme ex consuetudine facilius fieri apud eos poterit vel etiam ingravescere, cum sacra iidem domicilia egressi, in necessariam suorum munerum perfunctionem saepenumero rapientur.

Cavendum ne pietatis officia extrinseca religionis exercitatio fiant.

Omnis itaque opera atque industria impendatur, ut qui in cleri spem educantur, vitam pie sibi intentam vivant, quae superno spiritu alatur quaeque superno spiritu gubernante moveatur. Omnia iidem operentur divina fide collustrati atque cum Christo Iesu coniuncti; pro certo habentes ab sancto hoc vivendi genere abesse eos non posse, qui sint olim sacerdotio initiandi, Divinique ipsius Magistri personam in Ecclesia gesturi. Nihil enimvero magis sacrorum alumnos impellit ad virtutes sacerdote dignas consequendas, ad perrumpendas difficultates, ad salutaria consilia explenda, quam intimus hic pietatis sensus.

Sacerdotio initiandi educentur ut vitam vivant quae superno spiritu alatur et moveatur.

Qui clericorum moribus effingendis dant operam id summe spectent opus est, ut iidem virtutes eas complectantur, quas Ecclesia a sacerdotibus poscit. De quibus

Virtutes sacerdotales complectantur.

cum alio huius Exhortationis loco dixerimus, non est profecto cur eadem hic iteremus. Attamen facere non possumus quin ex omnibus virtutibus, quibus sacrorum alumni exornandi sunt, ad eas singulariter illos hic incitemus, quibus, veluti fundamentis, tota sacerdotum sanctitas nititur.

Obedientiae spiritum assequantur.

Pernecesse est iuvenes ita obedientiae studium assequantur, ut suam voluntatem assuescant Dei voluntati candide subicere, cuius sunt Seminarii moderatores veluti interpretes habendi. Ac nihil umquam sit in eorum agendi ratione, quod a divina sit voluntate alienum. Huius, de qua loquimur, obedientiae iuvenes a Divino Redemptore exemplum expetant, cui hisce in terris illud unum erat propositum: « Ut faciam, Deus, voluntatem tuam » [78].

Iam in Seminariis addiscant ex animo Superioribus filiorum more, obsequi.

Quid adulescentes in Seminariis versantur iam a primis annis discant ex animo rectoribus suis filiorum more obsequi; ut aliquando Episcoporum suorum voluntati mansuete inserviant; sicut in praeceptis est invictissimi Christi athletae Ignatii Antiochensis: « Omnes Episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri » [79]. « Qui honorat Episcopum a Deo honoratus est; qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo servit » [80]. « Sine Episcopo nihil facite, carnem vestram ut templum Dei custodite, unionem amate, dissidia fugite, imitatores estote Iesu Christi, sicut et ipse Patris sui » [81].

In eorum animis iamdiu firmiterque pudi-

Vigil quoque diligensque cura adhibenda est, ut sacrae militiae tirones magni ducant, ament atque in animo suo pudicitiam tutentur, quippe in qua sit magnam partem positum quod eiusmodi vitae genus iidem sibi constituant, in eoque permaneant. Quae propterea, cum in hu-

---

[78] *Hebr.*, X, 7.

[79] *Ad Smyrnaeos*, VIII, 1: MIGNE, *P. G.*, VIII, 714.

[80] Ibid., IX, 1, 714, 715.

[81] *Ad Philadelphienses*, VII, 2: MIGNE, *P. G.*, V, 700.

mana consortione in tanta incurrat pericula, est quod, qui sacerdotalem dignitatem suscepturi sint , in illorum animis iamdiu firmiterque inhaeserit. Non modo igitur certiores clerici opportune fiant quid sint sacerdotum caelibatus ab iisdemque servanda castitas [82], quidve ea officii exigant, sed de periculis etiam moneantur, quae hanc ob rem afferri ipsis possint. Cohortandi item sunt sacrorum alumni, ut iam a prima aetatula ab periculis praecaveant, ad eas confugiendo cupiditatum comprimendarum rationes, quas caelestium rerum magistri suadeant; quoniam quo erit cupiditatum firmior ac constantior moderatio, eo magis in ceteris virtutibus proficiet animus, uberioresque erunt sacerdotalis sollertiae fructus. Quodsi quis clericorum hac in re ad malum se praestiterit proclivem neque, experimento per aequum temporis spatium capto, ab improba propensione se removerit, is erit utique e Seminario exigendus, antequam sacris ordinibus initietur.

citia inhaeserit oportet.

Qui hac in re ad malum se praestiterit proclivem ... e Seminario exigendus.

Haec, de quibus diximus, ac cetera animi ornamenta, sacerdotibus digna, iuvenes in Seminarii degentes facile sibi comparaverint, si a pueris sinceram ac teneram pietatem suxerint erga Christum Iesum « vere, realiter, et substantialiter » sub Sacramenti augustissimi specie praesentem interque nos hisce in terris commorantem; si simul aeque a Christo incitata fuerint atque in Christum spectaverint vel consilia vel labores quae alumni susceperint. Laetitia vero summa perfundetur sane Ecclesia, si ad pietatem erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adulescentuli singularem pietatem adiunxerint in Beatissimam Virginem Mariam; pietatem inquimus, cuius impulsu animus se totum Divinae Matri committat, ad eiusque sequenda exempla virtutum moveatur; quandoquidem numquam praeclara sollersque actio in sacerdote desiderabitur, cuius adulescentiam praecipuus enutriverit in Iesum et in Mariam amor.

Alumni a pueris sincera, tenera, operosa pietate erga Sanctissimum Eucharistiae sacramentum ergaque Beatissimam Virginem Mariam conformentur.

---

82 Cf. *C. I. C.*, can. 132.

Facere hoc loco, Venerabiles Fratres, non possumus quin etiam vobis hortatores simus, ut novellorum sacerdotum commendatam singulariter vobis curam habeatis.

Cura novellorum sacerdotum habenda.

Eo tempore quo e Seminarii claustris sacra obituri munera egrediuntur, sacerdotibus, idcirco quod in apertum prosiliunt apostolatus campum, periculum occurrere potest, nisi iam ad novam huiusmodi vitae rationem prudenter ii fuerint instructi. Quam ad rem opportune consideraveritis spes bonas de recentibus sacerdotibus captas saepe posse ad irritum cadere, nisi quis ad labores pedetemptim eos admoverint, nisive ipsius ad labores accedentibus sapienter quis advigilaverit paternoque more moderatus fuerit.

Ad labores pedetemptim et sub paterna vigilantia admoveantur.

Quapropter probatur valde Nobis novellos hosce sacerdotes, ubicumque potest, per aliquot annos in certa collegia recipi, quibus locis, viris gubernantibus multarum rerum peritis, altius ad pietatem ad sacrasque disciplinas excolantur, ac pro suo cuiusque ingenio ad sacerdotalia munera erudiantur. Has ob causas in votis Nobis est eiusdemmodi collegia vel singula in singulis diocesibus vel, si res id postulaverit, singula ad plures diocceses constitui.

Summus Pontifex valde probat hos per aliquot annos in collegia ad modum Domus S. Eugenii in Urbe constitutae, recipi et informari.

Quod ad Nostram hanc Urbem attinet, idem iam Nos, quinquagesimo expleto Nostri sacerdotii anno, perlibentes fecimus, cum Domum, cui a S. Eugenio nomen est inditum, recentibus a sacerdotio iuvenibus excitari iussimus [83].

Vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut quantum fieri potest, inexpertos adhuc sacerdotes in medias ne ingeratis operas, neve eos assignetis locis, vel ab urbe Dioecesis principe vel a celebrioribus eius oppidis remotis. In huiusmodi enim vitae statu si versarentur, segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas possent.

Probatur quoque admodum Nobis, Venerabiles Fra-

---

[83] Cf. *A. A. S.*, XLI, 1949, pp. 165-167.

tres, hos novellos sacerdotes una cum loci curione maximo eiusque administris vivere; propterea quod facilius ita, senioribus praeeuntibus, ad sacra munera iidem poterunt informari, atque pietatis studio ardentius imbui. Animorum Pastores omnes ea de causa commonefacimus in suis, magna ex parte, positum esse manibus futurum horum iuvenum sacerdotum successum. Ardor namque et vis, quibus in sacerdotio tirones ad primas se conferunt operas, aut restingui aut certe imminui quandoque poterunt seniorum exemplo, talium videlicet qui sive virtutum ornamentis non niteant, sive, illata causa ne veteres, quibus assueti sunt, consuetudines immutentur, otiosum praeoptent vitae institutum.

Ei admodum probatur quoque novellos sacerdotes una cum loci curione eiusque administris vivere.

Quod in votum iam venerat Ecclesiae [84] id Nos et nunc comprobamus et commendamus vehementer, iniri scilicet vel ab unius curiae vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitae consuetudinem.

Commendat vehementer omnis curiarum cleri vitam communem.

E qua communis vitae consuetudine etsi quaedam incommoditates oriri possunt, nemini tamen dubium est maximas proficisci utilitates: primum caritatis atque alacritatis studium magis magisque cotidie apud sacerdotes incendi; deinde christiano populo documentum supponi quomodo iidem sint a suis ipsorum rationibus a suisque propinquis voluntate seiuncti; tum palam fieri omnibus quam religiosa cura sacerdotes castimoniae suae consulant.

Ceterum opus est etiam studiis sacrorum administros dare operam, uti Codice Iuris Canonici continetur: « Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant » [85]. Quo Codice praeter quam quod periculum a sacerdotibus novellis praecipitur « singulis annis saltem per integrum triennium » faciendum [86], conventus quoque

Sacerdotes studia prosequi opus est.

---

[84] Cf. *C. I. C.*, can. 134.

[85] Can. 129.

[86] Can. 130, 1°.

saepius in anno ab iisdem habendi praescribuntur « ad scientiam et pietatem ... promovendam » [87].

Sed ad studia incitanda, quae saepenumero sacerdotes prae domesticae exiguitate rei celebrare nequeunt, summopere expedit locorum Ordinarios, ex vetere praeclaroque Ecclesiae instituto, bibliothecas vel ad aedem Dioecesis principem, vel ad canonicorum collegia, vel ad curias ipsas quondam ordinatas, in pristinam revocare dignitatem.

Bibliothecae pro Sacerdotibus aptae.

Quae quidem bibliothecae, quamvis plerumque expilatae eversaeque fuerint, non raro tamen acceptis quasi permagna hereditate cum membranis tum libris aut scriptis aut typis excusis adhuc ornantur atque ditantur: « quae praeclaro sane testimonio hinc sunt quantos Ecclesia exantlaverit labores quantaque auctoritate floruerit, hinc qua divina fide pietateque maiores nostri arderent, studia exercerent, politam elegantiam adamarent » [88]. Ne neglectorum receptaculorum loco hae bibliothecae existimentur, sed veluti viventis potius structurae, in qua idoneum conclave libris pervolutandis paretur. At cumprimis bibliothecae ad nostrorum temporum usus ordinentur, atque scriptis omne genus instruantur, praecipua religiosarum et sociabilium rerum ratione habita; ut nimirum praeceptores, ut curiones, ut novissimi praesertim e sacerdotibus satis inde doctrinarum ad veritates evangelicas promulgandas ad erroresque redarguendos haurire possint.

(*Difficultates Praecavendae*)

Nostrarum denique partium esse ducimus, Venerabiles Fratres, de difficultatibus vos commonere, quae ad nostra haec tempora proxime pertinent. Exploratum certum-

---

[87] Can. 131, 1°.

[88] Cf. Epistulam E.mi Card. Petri Gasparri, a publicis Ecclesiae negotiis, ad Italiae Episcopos datam die 15 mensis Aprilis anno 1923: in *Enchiridion Clericorum*, Typ. Pol. Vat., 1937, p. 613.

que esse vobis arbitramur serpere latius et gravius in dies novarum rerum studium inter sacerdotes, ut plurimum sive eruditione atque doctrina sive vitae severitate minus quam ceteri praeditos.

Pericula nostrae aetatis.

Per se novitas neutiquam est veritatis indicium, atque una ea est condicione laudanda, ut simul veritatem confirmet, simul probitati ac virtuti conducat.

Hac, quae volvitur, aetate graviter quidem itinere deerratum est: est siquidem dolendum plura philosophorum genera internasci, eademque, hominum moribus nullo modo emendatis, dilabi; insignia ad deformitatem artis opera cerni, quae christianum nihilo secius nomen mentiuntur; administrandae rei publicae rationem magis ad singulorum civium quam ad communem omnium prosperitatem haud paucis in locis spectare; vitae instituta de oeconomicis ac socialibus rebus plus periculi honestis quam versutis hominibus moliri. Ex quo proclive consequitur sacerdotes nostri hisce diebus omnino non deesse, in quos eiusmodi contagio aliquo modo influat; qui non numquam opiniones imbibant vitaeque genus, etiam in ipso vestis ornatu cultuque corporis, instituant, aeque a sua dignitate aeque a suis muneribus aliena; qui novitatis cupiditate ducantur, cum in concionibus ad christianum populum habendis, tum in adversariorum erroribus coarguendis; qui denique, cum haec fecerint, non solum animi sui fidem infirment, sed, sua etiam attrita fama, efficacitatem sacri officii extenuent.

Contagio vel ab studio novarum rerum vel a novitatis cupiditate proveniens penitus vitanda.

Quibus super rebus diligentiam summopere excitamus vestram, Venerabiles Fratres, nihil sane dubitantes inter immodicam, quae apud non paucos invaluit, vel acti temporis vel futuri cupiditatem, eam vos esse prudentiam adhibituros, quae tum etiam sapiens ac vigilans sit oportet, cum in novis periclitabitur viis, quid alacritatis quidve contentionis suscipiendum sit quaerens, ut una veritas tandem victrix emergat. Longe plane absumus, ut profiteamur apostolicos labores non debere cum ipsa, quae nunc

Quid hac in re Episcopi curent oportet.

agitur, vita congruere, neque eas, quae nunc instituuntur, operas non debere huius aetatis necessitatibus inservire. Sed cum sacerdotalem quamvis in Ecclesia sumptam operositatem per legitimae dignitatis gradus necesse sit digeri, nova hac de re incepta non nisi Episcopo sinente ineantur. Sacri autem Pastores ex eadem regione vel Natione hisce super causis identidem opportunam consilia inter se conferant, ea quidem mente ut propriis locorum utilitatibus prospiciant, ac rationibus caveant ad religiosam actionem magis accommodatis atque idoneis. Quae si omnia ad mandatum ordinem relata fuerint, sacerdotum officia non poterit quidem efficacitas non consequi. Haec sibi persuadeant omnes: Aeterni Numinis potius quam hominum voluntati esse obsequendum, atque apostolicam assiduitatem non pro suis cuiusque opinationibus, sed pro sacrae potestatis aut legibus aut normis esse praebendam. Spe enim usquequaque destituitur qui in opinione est posse se insolitis atque absurdis agendi rationibus et animi sui egestatem obtegere et Christi prolatando regno efficientem dare operam.

Dei potius quam hominum voluntati parendum est et apostolica navitas pro sacrae potestatis aut legibus aut normis est praebenda.

Porro non dissimilem recto huic, de quo diximus, agendi modo sacerdotibus ineundum esse putamus, cum de doctrinis socialibus, perinde ut hodie explicantur, causa versatur.

Ad sociales doctrinas quod attinet, non est cur aliqui ad communismum aut ad capitalismum se pavidos aut incertos ostendant.

Sunt quidem hoc tempore qui ad communistarum, quos vocant, machinationes id videlicet cumprimis spectantium, ut quibus temporalem iidem polliciti fuerint felicitatem, ex eorum animis fidem extrahant, non modo expavescant, sed aestuante etiam sint animo. Verumtamen Apostolica haec Sedes, documentis recens hac super re datis, luculentem stravit viam, cui se committant omnes, e qua, salva officii conscientia, excedat nemo.

Ex alia vero parte non desunt qui se pavidos atque incertos ostendant, ad oeconomicam illam rationem quod attinet, quae a nimio privatarum divitiarum congestu no-

men invenit; ex quo gravia consequi nocumenta Ecclesia non semel declaravit. Ecclesia siquidem non tantum ingentium opum ac vel ipsius possidendi iuris abusus indicavit, quos eadem oeconomica ratio parit ac defendit, sed etiam edocuit divitiae ac possessiones ad res labore procreandas conferant oportere, cum universae hominum societatis emolumento, itemque cum humanae libertatis dignitatisque tuitione atque incremento. Quae ex utraque oeconomica ratione oriuntur damna omnibus peculiarique modo sacerdotibus persuadeant, ut de re sociali doctrinam, quam Ecclesia tradit, fideli animo amplectantur, eamdemque ceteris impertiant ac pro viribus in usum deducant. Haec enim doctrina una potest tam late invalescentibus malis mederi; quandoquidem omnia iustitiae unaque simul caritatis officia summa perfectione componit; ac talem excitari iubet societatis ordinem, qui singulos cives non opprimat, neque ob nimium utilitatis cuiusque suae studium invicem eos distineat, sed omnes potius quodam mutuarum rationum concentu fraternaeque necessitudinis vinculis devinciat.

Sacerdotes persuasum habeant Ecclesiae de re sociali doctrinam damnis quae ex utraque illa oeconomica ratione oriuntur mederi posse.

Eam fideli animo amplectantur eamdemque ceteris impertiant.

Sacerdotes, Divini Magistri vestigiis insistentes, egentium atque opificum necessitatibus pro facultate occurrant, iiusque omnibus, qui in rerum angustiis versentur; in quibus quidem non pauci, ut omnes norunt, e media etiam societatis classe atque ex ipso sacerdotum ordine censendi sunt. Nihilominus eos ne neglegant, qui, cum satis fortunae habeant, animi tamen egestate laborant; atque adeo ad vitam penitus instaurandam vocandi sunt, Zachaei exemplo in memoriam redacto, qui dixit: « Dimidium bonorum meorum ... do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum » [89]. Cum de re sociali causa vertitur, sacrorum administri numquam obliviscantur quo suum debeat spectare munus: alacres nem-

Redemptoris vestigiis insistentes egentium atque opificum necessitatibus occurrant quin divites neglegant qui animi egestate laborant.

[89] Luc., XIX, 8.

pe ac nihil haesitantes recta ea proponant doctrinae principia, quae, in variis societatis classibus, ad ius dominii, ad divitias, ad iustitam caritatemque pertineant; eademque principia quo aptiore modo efficienda sint suo exemplo doceant.

Socialis doctrinae praecepta a laicis ad effectum deducenda quos si oportet sacerdos instruet.

Haec tamen doctrinae praecepta laici homines ad effectum deducenda curent. Quodsi ad rem pares non sint, eos sacrorum administer quam aptissime instruat atque conformet.

Sollicitudo Summi Pontificis pro clero indigenti.

Heic opportunum esse ducimus causam attingere de domesticarum rerum angustiis, quibus plurimi sacerdotes post recens bellum afflictantur; in iis praesertim regionibus, quae vel eiusdem belli causa, vel ob politicarum rerum statum maxima acceperunt detrimenta. Harum rerum condicionibus cum acerrime Nos angamur, nihil reliqui facimus, quod pro facultate Nostra possit calamitates, aerumnas summamque multorum indigentiam relevare.

Probes nostis, Venerabiles Fratres, Nos — quibus in locis maiores viderentur esse necessitates — per Sacrum Consilium cleri disciplinae praepositum, extraordinarias Antistitibus fecisse facultates ac peculiares edidisse normas, quibus graviores oeconomicarum rerum disparilitates aequo modo componerentur, quae ad sacerdotes pertinerent Dioecesis cuiusque suae. Atque exploratum Nobis est alicubi sacrorum administros non paucos, laude sane dignos, suorum Pastorum monitis obsecutos esse; alicubi vero, ob natas difficultates, datas normas integra ex parte suos effectus consecutas non fuisse . Vos igitur adhortamur ut, paterno ducti animo, inceptum iter insistatis, cum non liceat operarios in vineam Domini missos cotidiano carere pane. Hac de re ne gravemini identidem Nos certiores facere qui successus operam vestram consecuti fuerint.

Non licet operarios in vineam Domini missos cotidiano carere pane.

Ac praeterea consilia illa summopere commendamus, Venerabiles Fratres, quae inter vos collaturi estis, ut non

modo in praesens sacerdotibus cotidiano victui necessaria ne desint, sed ut iisdem, etiam in posterum, certis statutis opportunisque rationibus, prospiciatur — quod quidem in civili societate factum admodum probamus — idque cum praecipue vel iidem sacerdotes in morbos incidant, vel devexa valetudine laborent, vel senectute conficiantur. Ita enim eos sollicitudine exolveritis de futuro ipsorum vitae statu.

Quoad fieri poterit sacerdotes sollicitudine exsolvendi de futuro ipsorum vitae statu.

Quam ad rem gratum placet sacerdotibus Nostrum significare animum, qui incommoda posthabentes, quae inde sibi exoriantur, suis in sacro ministerio collegis, ope egentibus, suppetias venerint ac veniant, senio praesertim, vel infirmitate affectis. Id enim praestantes, egregium mutuae illius caritatis praebent indicium, quam Christus discipulis suis quasi insigne dedit, quo omnibus dignoscerentur: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem »[90]. Ominamur quoque ut arctioribus cotidie fraternae huius necessitudinis vinculis Nationum omnium sacerdotes invicem copulentur, ut luculentius usque pateat eos, cum Dei communis omnium Patris administri sint, eodem, ubique gentium commorentur, amoris afflatu inter se animari.

Pontifex gratum Suum significat animum in eos qui in sacro ministerio collegis suppetitias venerint et veniant.

At vobis procul dubio perspectum est gravibus huius causae difficultatibus vos mederi penitus non posse, nisi christifideles etiam se officio teneri sentiant, pro sua cuiusque parte, clero subveniendi; ac nisi opportuna omnia adhibeantur, quae ad huiusmodi conducant finem.

Propterea concreditum vobis populum admoneatis debito eum obstringi ferendi opem sacerdotibus, qui in necessitate versentur; quandoquidem semper Divini Redemptoris sententia viget: « Dignus est enim operarius mercede sua »[91]. Quomodo enim a sacrorum administris alacrem sui muneris operam postulari potest, quibus neces-

Populus admonendus de obligatione opem ferendi sacerdotibus qui in necessitate versantur.

---

90 Ioann., XIII, 35.

91 Luc., X, 7.

sariae ad vivendum res non suppetant? Ceterum qui christifideles hoc neglegunt, Ecclesiae inimicis, etsi nolentes, viam quasi sternunt, qua facilius iidem queant ad inopiam in non paucis Nationibus redigere clerum, ut eum a legitima auctoritate abstrahant.

Ii etiam, qui publicae rei praesunt, pro diversis Civitatum condicionibus, necessitatibus cleri consulant oportet, ex cuius perfunctione muneris plurimae utilitates ad civium animos eorumque mores, summo cum totius societatis profectu, permanare possunt.

Epilogus.

Postremo, antequam scribendi finem faciamus, temperare Nobis non possumus quin ea hortamenta summatim heic vobis iteremus, quae cotidie ante oculos habeatis necesse est, utpote praecipuae existimandae sint vitae navitatisque vestrae normae. Cum Iesu Christi sacerdotes simus, eo contendamus oportet, ut quam ipse egit, hominum redemptio validissimam in singulorum animos vim exserat. Gravissimas autem aetatis huius nostrae necessitates intento reputantibus animo, enitendum nobis est ut fratres, vel a recto itinere aberrantes, vel cupidinum obaecatos caligine, ad christiana praecepta reducamus: ut populos christianae doctrinae luce collustremus, christianis regamus normis et christianorum officiorum conscientia penitus informemus; ut denique omnes incitemus ad veritatis et iustitiae animose certanda certamina.

Monita,

At propositam metam tum solummodo assecuturi erimus, cum ad talem sanctitudinis pervenerimus verticem, ut quam a Christo vitam virtutemque in nos derivaverimus, eam in ceteros effundamus.

Hortamenta,

Singulos igitur sacerdotes Apostoli hortatione mone-

mus: « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi ... cum impositione manuum presbyterii » [92]; « in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis » [93]. Vota

Dilecti filii, suscepti muneris gratiam plurimi facientes, ita vivite ut eadem in vobis vigeat fructusque pariat uberrimos, qui ad spiritualem Ecclesiae utilitatem ad eiusque inimicorum emendationem summopere conferant. pro omnibus

Utque paterna haec adhortatio Nostra quod spectat feliciter assequatur, vos etiam atque etiam hisce verbis admonemus, quae hoc Sacro praesertim vertente Anno tam opportuna videntur: « Renovamini ... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis » [94]; « estote ... imitatores Dei, sicut filii carissimi: et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo » [95]; « implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et in canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino » [96], « vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis » [97]. Dei ministris praesertim pro iis Antistitibus et Sacerdotibus

Quae Apostoli gentium incitamenta animo recogitantes, opportunum ducimus suadere vobis ut, hoc eodem Sacro volvente Anno, Spiritualibus Exercitiis operam praeter statum ordinem detis; ita quidem ut, pietatis ardore moti, quem inde percepturi estis, ceterorum quoque ani-

---

92 *I Tim.*, IV, 14.
93 *Tit.*, II, 7, 8.
94 *Ephes.*, IV, 23, 24.
95 Ibid., V, 1, 2.
96 Ibid., V, 18, 19.
97 Ibid., VI, 18.

mos ad potiundos divinae indulgentiae thesauros aptius advocetis.

qui persecutionem patiuntur.

Cum autem peculiari modo experiemini quam difficile sit per arduum sanctimoniae procedere iter, ac vobis creditis perfungi officiis, tum ad eam fidentes oculos fidentemque animum erigite, quae Aeterni Sacerdotis cum sit Genetrix, catholici quoque cleri est Mater amantissima. Non modo huius Matris erga vos benignitatem optime nostis, sed multis etiam locis, illius Immaculati Cordis misericordia concionando proposita, christiani populi fidem ac pietatem mirum in modum saepenumero exsuscitastis.

Si omnes Deiparae Virgini flagranti in amore sunt, et singulari dilectionis studio ipsa sacerdotes amplectitur, qui vivam Iesu Christi imaginem in se referunt. Cum igitur eiusmodi singularem amorem ac peculiarem in vos omnes Beatissimae Virginis tutelam summo cum animi solacio consideraveritis, tum vestros sentietis ad sanctitatem et ad sacerdotalia exercenda munera nisus faciliores fieri.

Nos Almae Dei Parenti, caelestium gratiarum conciliatrici, omnes quotquot in orbe terrarum sunt sacerdotes, enixe commendatos volumus, ut, ea deprecante, largissimam Deus effusionem sui Spiritus descendere iubeat; qui quidem et sacrorum omnes administros ad sanctimoniam impellat, hominumque genus renovatis moribus instauret.

Quae fausta ac salutaria, Immaculatae Virginis Mariae interposito patrocinio, eventura sperantes, supernorum munerum copiam omnibus imploramus; sacris praesertim Antistitibus ac sacerdotibus, qui, cum Ecclesiae iura eiusque libertatem pro officii sui conscientia tuiti fuerint, insectationes, carcerem, exsilium patiuntur. Eos peculiari caritate prosequimur; utque sacerdotali illa, qua adhuc in exemplum praestitere, fortitudine ac virtute excellere pergant, paterno eos adhortomur animo.

Quorum interea supernorum munerum sit auspex paternaeque voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabilis Fratres, cunctoque clero vestro amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIII mensis Septembris anno Maximi Iubilaei MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

P. Petrus Abellan S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Gulielmus Bertrams S. I., Prof. iur. can. in Pont. U. G.

P. Ludovicus Buys S. I.,

P. Michael Fabregas S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Franciscus Hürth S. I., Cons. S. S. C. S. Off., Prof.theol. mor. in Pont. Univer. Gregoriana.

P. Ioannes Hanssens S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana.

P. Nicolaus Onstenk M. C. I.

R. D. A. Szentirmai Prof., Script.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

pag.

De sententia fundata in lege iniusta, PETRUS M. ABELLÁN S. I. 5

De sic dictis obiectoribus conscientiae, M. FABREGAS S. I. . 34

De fundationibus ecclesiasticis in iure germanico. R. D. A. SZENTIRMAI 52

De efficacia negotii iuridici ecclesiastici extra forum canonicum, W. BERTRAMS S. I., ... 117

De neo-conversorum receptione in Ecclesiam, L. BUYS S. I., . 143

Dubia matrimonialia (supplementum), F. HÜRTH S. I. . . 156

De constitutione S. Pii V. « Circa Pastoralis » super clausura monialium et tertiararum, N. ONSTENK M. S. I. . . . 231

De manus extensione in ordinatione diaconali ritus romani I. HANSSENS S. I. 263

De constitutione S. Pii V. « Circa Pastoralis » super clausura monialium et tertiariarum, (sectio altera), N. ONSTENK. M. C. I. 318

Annotationes ad Dec. S. Off. de validitate Baptismi in quibusdam sectis collati, F. HÜRTH S. I., ... 107

Annotationes ad Instructionem S. Off. « de motione oecumenica », F. HÜRTH S. I. 197

Annotationes ad Epist. Summi Pontificis R.mo P. Ioanni B. Janssens de sodalitatibus marianis, M. FABREGAS S. I. 310

Annotationes ad Monitum S. Off. de poenis quae incurruntur ab his qui associationum communistarum ad pueros instituendos erectas participes fuerint, M. FÁBREGAS S. I. 310

INDEX MONUMENTORUM

pag.

SS. D. N. PIUS PP. XII

1. - Allocutio et deputatio trium Cardinalium a Latere legatorum in S. Consistorio 72
2. - Const. Apostol. ad Germaniae Episcopatum d. 18 oct. 1949 75
3. - Allocutio ad socios Unionis Iurisperitorum Italiae . 79
4. - Allocutio ad Praelatos Auditores omnesque alios qui apud Tribunal S. R. R. assiduitatem suam navant . 88
5. - Nuntius radiophonicus pridie pervigilium Nativitatis Iesu Christi datus 159
6. - Epist. ad E.mum Normannum Card. Gilroy quem legatum mittit ad Concil. Plen. Ecc. Indiarum Orientalium 176
7. - Epist. Encyc. qua publicae indicuntur preces ad pacem concordiamque populorum 178
8. - Adhortatio ad Exc.mos Ordinarios Italiae super actione catholica 183
9. - Allocutio participantibus conventui internationali scriptorum ephemeridum catholicarum Romae habito 188
10. - Epist. Encyc. « Summi moeroris » qua publicae indicuntur preces ad pacem concordiamque populorum impetrandam 272
11. - Litt. Encyc. « Humani Generis » de nonullis falsis opinionibus quae catholicae fidei fundamenta subruere minantur 276
12. - Epist. ad R.mum P. Ioannem B. Janssens S. I. de sodalitatibus marialibus 295
13. - Allocutio participantibus conventui internationali studiorum rerum socialium et conventui sodalitatis internationalis socialis christianae 302

S. Congregatio S. Officii.

1. - Decretum de validitate Baptismi in quibusdam sectis collati. *Annotationes* P. F. Hürth S. I. 104
2. - Instructio ad locorum Ordinarios « de motione oecumenica. *Annotatione* S. P. F. Hürth S. I. . . . 197

pag.

3. - Decretum proscriptionis libri « Abscondita Diario da Irma Ines » 209
4. - Notificatio decreti quo Sac. Stanislaus Bojan ad statum laicalem reductus est 307
5. - Decretum proscriptionis libri « La Pelle » . . . 308
6. - Decretum quo proscribitur liber « La Via » . . . 309
7. - Monitum de poenis quae incurrentur a ludimagistris et pueris qui in certis a communistis erectis associationibus contra veram fidem et christianos mores conformantur vel docent. — *Annotationes* M. Fábregas S. I. 310

S. Congregatio Consistorialis.

Decretum quo infligitur Sac. Ioanni Dechet poena exc. speciali modo S. S. reservata et vitandus decernitur. 210

S. Congregatio Concilii

Decretum de vetita clericis et religiosis negotiatione . 313
Annotationes P. Abellán S. I. 231

S. Congregatio De Disciplina Sacramentorum.

1. - Decretum quo conceditur facultas litandi unam Missam media nocte intercedente inter finem anni 1949 et Anni Sacri exordium 94
2. - Quaedam animadversiones omnibus locorum Ordinariis et Iudicibus tribunalium matrimonialium de processibus matrimonialibus 95

S. Congregatio Rituum

Communicatio qua electrophonicorum organorum usus declaratur non prohibitus 102

S. Congregatio de Sem. et Stud. Universitatibus.

Epistula de disciplina Musicae Sacrae in Seminariis . . 104

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE 211

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Actio catholica Italiae, 164.
Actionis catholicae necessitas, 185.
Actio Catholica vim virtutemque in Christo invenit, 186.
Allocutio S. P. sociis Unionis Iurisperitorum Catholicorum Italiae eximiam utilissimamque de Iure doctrinam continet, 5.
Animadversiones ad causas de nullitate matrimonii perfectius expediendas, 95.
An teneantur militiam capessere conscientiae obiectores, 47.
Agens secundum conscientiam erroneam, 40.
Apostolatus sacerdotalis qua ratione exercendus, 386.
Assensum postulant quae in Litteris Encyc. proponuntur.

Baptismi validitas in sectis Congregationalistarum, Presbyterianorum, Baptistarum, Methodistarum et Discipulorum Christi, 108.
Begardi et beguinae ad tertium ordinem S. Francisci adsciti sunt, 333.
Benignitas in assiduitate sacerdotali, 389.
Bonitas actionis sicut pendet ab obiecto ita a ratione pendet, 35.
Bullae « Circa Pastoralis » commentarium, 214, 318.

Castimonia sacerdotalis integerrima, 371.
Castitas a Seminariorum alumnis exigenda, 401.
Defectus laboris, problema sociale omnium urgentissimum, 305.
Christus omnis sacerdotalis sanctitatis et apostolatus exemplar, 370.
Civile divortium potestne licite sententia iudiciali decerni, 21.
Civitas, sublata religione esse non potest, 180.
Clausura monialium et tertiariarum, 213.
Clausura papalis quibus imposita fuit vi « Circa pastoralis », 225
Coexistentia plurium hominum sufficit ad relationes iuridicas habendas, 122.
Comparatio conscientiae erroneae cum superioris praecepto, 45.
Congregationes marianae, 296.
Consistorium sacrum, 72.
Corpus Christi mysticum et Sancta Romana Ecclesia unum idemque sunt, 287.

Deplorandum, philosophiam in Ecclesia acceptam a nonnullis despectui haberi, 289.
Difficultates praecavendae a sacerdotibus in apostolatu, 405.
Disciplina Concilii Tridentini de monialium clausura, 218.
Doctrina Ecclesiae de re sociali omnibus malis e communismo et e capitalismo exortis mederi potest, 408.
Doctrina S. Thomae de lege iniusta, 6.
Doctrina P. Suarez, 7.
Donationes inter vivos et mortis causa in iure germanico, 65.

Ecclesia requirit ut futuri sacerdotes philosophicis et theologicis disciplinis instituantur ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, 289.
Encyc. « Sumi moeroris », 273.
Errores de sensu Sacrae Scripturae, 285.
Examen conscientiae, 383.
Excommunicatione S. S. speciali modo reservata iis qui in quibusdam associationibus a communistis dependentibus pueros et puellas contra fidem vel christianos mores instituunt, 310.
Existentialismus, philosophia aberrans, 278.
Extensio manus quae in ordinatione diaconi materiam constituit, 263.
Evolutionismi doctrina quo pacto prohibita est, 292.

Finis apostolatus sacerdotalis, 388.
Fons malorum quae increscentes inter populos discordias reddunt, 179.
Fundationes piae in iure francorum, 53.
Fundationes fiduciales (Zustiftungen), 63.
Fundationum piarum administratio et inspectio in iure germanico, 69.

Gratuitas ordinis supernaturalis a quibusdam corrumpitur, 286.

Haeresis « actionis » vitanda, 387.
Herus et operarii sunt simul oeconomiae subiecta, 305.
Historia quaedam de vetita clericis negotiatione, 231.
Historicismus falsus, 278.
Homo natura sua socialis, 124.
« *Humani* generis » (litt. encyc.), 276.

Intentio conferendi baptismum potestne stare simul cum intentione non conferendi sacramentum? 109.

Institutio litteralis, scientifica et spiritualis alumnorum Seminarii, 398.
Intentionis obiectum in baptismi administratione, 112.
Irenismus, 281.
Iubilaeum, 73.
Iudex sententiam iniustam legem applicans, 9.
Iuris germanici aevum antiquum et carolingiorum et francorum, 52.
Ius legale, 91.
Ius verum et falsum, 90.

Lex positiva iusta tangens valorem aut efficaciam iuridicorum negotiorum afficit valorem et efficaciam eorum naturalem, 134.
Liberior quaedam ratio libros Veteris Testamenti interpretandi, 283.

Mens humana in iudiciis de credibilitate fidei catholicae, 277.
Mixti catholicorum et acatholicorum conventus, 206.
Moderatores conscentiae, 384.
Momentum ephemeridum catholicarum, 188.
Monialibus clausuram imposuit Bonifatius VIII, 217.
Motio oecumenica, 197.
Motiva quibus civilis iudex civilis divortii sententiam ferre potest, 31.
Mumus publicam opinionem efformandi quid a catholicis periodistis exigat, 193.

Natura rationalis ut talis prima regula humanorum actuum, 35.
Navitas sacerdotalis ad aeterna spectare debet, 390.
Necessarium est innumeris familiis dare quae a dignitate humana requiruntur, 203.
Neo- conversorum receptio in Ecclesiam, 144.
Negotia iuridica ad quae peragenda homini capacitas competit vi legis naturae in uno loco valida, ubique valida, 121.
Negotia iuridica in foro societatis positivae facta num et quo ambitu recognitionem exigant ex parte alterius societatis positivae, 135.
Negotia quaedam iuridica ecclesiastica efficaciter pleneque finem non obtinent in solo foro canonico, 117.
Negotiationis quae a iure Codicis prohibetur notio et species, 244.
Non quaelibet sentiendi diversitas inter canonistas sufficit ad asserendum dubium iuris in sensu iuris, 158.
Novelli sacerdotes, 403.
Numerus sacerdotum impar est necessitatibus nostri temporis, 392.
Numquam licet iudici expresse approbare legem iniustam, 11.

Obedientia sacerdotum, 371.
Obiectores conscientiae in militare servitium, 34.
Operari contra conscientiam, illicitum, 37.
Opinio publica, 189.
Ordo iuridicus, 126.
Organorum electrophonicorum usus, 103.

Parentes qui liberos ad quasdam communistarum associationes instituendos mittunt, 309.
Patrocinium Beatae Virginis Mariae pro sanctitate, 413.
Perfectio vitae christianae in quo consistat, 369.
Perfectio sacerdotum necessaria, 366.
Personalitas iuridica piarum causarum in iure germanico medii aevi, 56.
Pietas erga Beatam Virginem Mariam, 382.
Poena excommunicationis in vetitam negotiationem agentes, 259.
Poenam innocenti sententia iudiciali imponere semperne illicitum,. 13.
Polygenismus, 292.
Populi officium opem ferendi indigentibus sacerdotibus, 410.
Positivismus iuridicus et absolutismus Status in iustitiae administrationem, 88.
Praecipuum christianae perfectionis principium, 376.
Praescripta de musica sacra in Seminariis docenda, 105.
Praesumptio quid sit et ubi locum habere nequeat, 111.
Praesumptio quoad causas matrimoniales diiudicandas, 111.
Principia ex quibus rectam et solidam pacem haurire licet, 275.
Principia philosophica quibus negotia iuridica in foro canonico peracta efficaciam habere possint vel minus in societate civili, 118.
Proscriptiones librorum 209, 308, 309.

Quaelibet communicatio in sacris in conventibus ad Ecclesiarum reunionem prohibita, 208.
Quaestum actionibus et obligationibus facere illicitum? 252.
Quibus mediis novae sacerdotales vocationes comparandae, 393.
Quid possit iudex in legem iniustam sententia applicando, 86.
Qui peccet contra conscientiam agens, 39.
Quomodo divinum officium recitandum, 380.
Quo pacto conformandi adulescentuli qui in Seminariis recipiuntur, 395.
Quatuor fundamentales Actionis catholicae associationes in omnibus Italiae paroeciis erigendae,

Rationalistarum de iurisprudentia errores, 83.
Ratio veritates divinas potestne detegere? 287.
Redemptor divinus solus est qui possit multiplices hominum contentiones feliciter componere, 182.
Recitatio divini officii « vox Christi », 379.
Relativismus dogmaticus, 281.
Revelatio divina moraliter necessaria, 277.
Reunio dissidentium cum Ecclesia, 205.

Sacerdos alter Christus est et Dei adiutor, 368.
Sacerdos Missam vivat, 376.
Sacerdos in ministerio partes et personam Christi gerit, 387.
Sacerdotium magnum Dei donum, 368.
Sacra meditatio, 371.
Sanctitas in sacro ministerio, 385.
Sententia iudicialis non est mera declaratio legis, 7.
Sententia praecipiens aliquid contra ius naturale vel divinum intrinsece mala est, 10.
Solemnitates ad fundationes praescriptae in iure germanico, 66.
Sollicitudo Romani Pontificis pro clero egenti, 409.
Spiritus precandi, 382.
Studium novarum rerum, 406.
Subiectiva conscientia ab obiectiva essentialiter dependet, 36.
Summus Pontifex adprobat laudat annuit quod Episcopi Germaniae cogitationes suas convertant ad iustitiam socialem provehendam, 77.
Summus Pontifex universum clerum ad sanctimoniam exhortatur, 366.
Syntesis doctrinae de sententia civilis divortii, 17.

Theologi et philosophi catholici opinationes a recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere possunt, 279.
Tertiariae in genere, 322.
Tertiariae S. Francisci, 325.

Ulpiani iustitiae definitio, 81.
Unde sacerdotes gratias ad perfectionem adquirendam desument, 375.

Valor sacramenti baptismi non anulatur per voluntatem modificantem nexum causalem ritus sacramentalis recte positi, 113.
Vinculum matrimonii rati intactum manet sententia civilis divortii, 23.